

In [illegible] xi.

[illegible] venerit dominus invenerit vigilātes

VIRGILIUS CHRISTIANUS

ECLOGÆ XII.

PSYCURGICON ſive DE CULTURA ANIMI SALOM. ECCL. CAP. XII.

IGNATIADOS LIBRI XII.

OPUSCULA SELECTA XII.

Authore

R. P. LAURENTIO LE BRUN,

Armorico Nannetenſi Societatis IESU.

POST EDITIONEM PARISIENSEM, PRIMA IN GERMANIA.

Cùm Facultate Superiorum.



AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ,

Sumptibus Joannis Caſpari Bencard, Bibliop.

ANNO M. DC. XCVI.



JESU, MARIÆ,

JOSEPHO, IGNATIO,

VOTUM.



VID ni enim nominatim vobis consecrem quidquid est opellæ meæ, imò quidquid est benignitatis vestræ, à qua profiteor, quantum idcumque est operis, profectum esse?

Tibi, Christe, qui Vates ipse omnium maximus ora vatum aperuisti,

poesim consecro; & veritati summæ, poeticorum figmentorum ornamenta. Peccamus, si te non colimus; cultus autem optimus est confessio egestatis, quam profiteri nostrum est, tuum sublevare: Neque enim tibi majestas est oneri propter supplicum numerum, nec abundantia fastidio propter importunas preces, nec bonitas tædio propter inquietas curas.

Tibi, Virgo, quæ cum opifice rerum omnium collaborasti, manum voveo; ut regas, mecumque sis, *cuncta componens per singulos dies*: debes beneficium & opem omnibus, ex quo tibi credita sunt omnia, ut largiaris: facta es obnoxia omnibus, cum votorum omnium constituta es arbitra: fœta es ex favo-

favore, & ex amore concepisti; cujus alterius Mater esse potes, quàm Gratiæ? qui te maximam fecit, ut adesse posses, fecit optimam, ut velles, & fortissimam, ut perdurares: nihil est vel augustum in cœlo, vel in terris magnum; nihil exoptant miseri, nulla re fruuntur Beati, nihil adamant Sapientes, quod Mariæ non sit, aut Maria: Pusilli sumus & nulli, quia nondum fecisti magnos: amamus hunc statum, quamdiu alium non dabis, pendet ab amore tuo nostra celsitas.

Tibi, Josephe, cujus in officina rerum omnium Faber laboravit, opus hoc totum laboremque voveo, nullamque à me duci lineam velim, quæ

quæ ad amussim normamque tuam non dirigatur.

Concil. Tarrac. 162. Nic. Zambec. Secr. S. Congre. Francis. Maria Cardin.


Te quoque hîc appello, Ignati, nostri Carminis potissimum Argumentum, tu enim verè Heros; & Avilæ testimonio *magnus Gigas*: tu *Hercules Divinus*, tu *Athlas fulciendo regno Dei*, tu *prodigiosus* in Apocalypsi, *Angelus*, tu *partus ultimus spiritusque salutis*. Tu ille es *in quo ostendit Deus, quantum ei curæ sit Ecclesiæ securitas*. Tuum illud opus verè est Heroicum, quod Paulus tertius *Spiritu Dei conceptum*, Clemens VIII. *brachium Ecclesiæ dexterum*; Greg. XV. *legionem fortissimam & sacræ mili-*

litiæ

litiæ societatem appellarunt. Verùm ut in te desinam, qui à te cœpi (Amantissime Jesu) tu cordis humani testis & conscius, ut nosti me uni tuæ, & Sancti Ignatii Gloriæ studere; sic votis ut meis cum eo annuas, precor, obtestorque.



Ego servus tuus, &
filius Ancillæ tuæ.



LECTORI.

QUæ rationes effecerunt, ut alii libros à se editos Florum Gallicum, Saluſtium Germanicum, Plutarchum Chriſtianum, hujus ſeculi Theophraſtum nominaverint; eædem apud me valuerunt, ut opus meum, Virgilium Chriſtianum appellarem. Porrò ſi dixit Virgilius, Æneas & Æneadæ eadem ſyllabâ modo productâ, modo correptâ, quidni dicam Lojola & Lojolides? Nihil hic attingo de duodenario numero quem quater viſus ſum affectare; vide ea de re præfationes & Virgilianas, & noſtras pro varietate operum diverſas.

VIRGILIUS CHRISTIANUS.

LAVRENTII

LE BRUN

NANNETENSIS

E SOCIET. IESU.

I.

BUCOLICA SIVE ECLÒGÆ. XII.

II.

PSYCVRGICON

SIVE DE CULTVRA ANIMI XII.

ECCLESIAS. SALOM. CAPITA.

III.

IGNATIADOS LIBRI XII.

IV.

SELECTA OPUSCULA. XII.

VIRGILIUS
CHRISTIANUS
ÆCLOGÆ
DUODECIM.



DE BUCOLICO CARMINE DISSERTATIO

Caput Primum.



BUCOLICORUM nomine paſtoritia complexus ſum, adeoque Idyllia cum ſuo tamen exilis characteris ſimplici temperamento: Ecloga enim non aliam orationis formam, quàm tenuem, nec alias perſonas quàm merè Paſtorales & agreſtes admittit: Idyllion autem eſt Poëmatis ſpecies aliquanto liberior, quàm Ecloga & latius patet, & altius aſſurgit: hac de re vide *Theocritum* teſte Fabio *in eo genere admirabilem*, qui in ſuis bucolicis multa intexuit majoris argumenti & ſpiritus, ut Epithalamium Helenes, Herculis Certamina; Ptolemæi, Hieronis regum laudes, ſub Bucolicorum nomine. Virgilius, ut Homerum in Æneide; Heſiodum in georgicis; ſic Theocritum in bucolicis eſt imitatus. Mirum autem eſt judicium Virgilii in imitatione, nonnunquam locos integros ex Theocriti bucolicis exprimit & effingit ad verbum; quoſdam alluſionibus tantum & adumbrationibus indicat: in uno eodemque loco diverſos Theocriti locos imitatur: interdum quæ Theocritus in uno idyllio ſimulque dixerat, ea Virgilius per duas, treſve Eclogas, imo per diverſos earum locos diſpergit: verbi gratia ple-

Inſtit.orat. Lib. 10. *cap.* 1.

raque Cyclopis Theocritæi, in Virgilii Alexide, & in ejusdem Pharmacentria extant. Vide in Theocrito Polyphemum Galateæ loquentem, invenies ex iis versibus Virgilium tres primos in Pharmaceutra, nec non Septimi Principium, sed non servato eodem ordine; quinque postremos in Alexide esse imitatum.

Lib. 6. de re Poet. cap. II.

Animadvertit autem Fabius oratores, & Scaliger Poëtas iisdem in causis & argumentis diverso tamen uti genere dicendi, & teste eodem Scaligero, in Virgilii Ecloga 9. cui nomen *Mœris*, & initium est *quo te. Mœri, pedes?* Imum & infimum est dicendi genus: in Ecloga cui nomen *Gallus*. mediocre; Summum denique in *Sileno*. Par ratio est in Georgicis, Imum genus est aratio & satio, summum in pestilentiâ, mediocre in fabula Aristæi. Simile esto judicium de Æneid. Summum genus in secundo & in sexto, imum in ludis; medium in primo: Imo, ut observat Scalig. differunt Virgilianæ humilitates in sublimi, ab humilitatibus in humili, differunt inquam specie: sublimitas verò ab humilitate in Æneide non specie distat, sed tantum modo & gradu. Vide has dissertationes pluribus tractatas in nostra Eloquentia Poëtica tomo primo, ubi de varietate Styli egimus. Porro invenies Virgilium in suis bucolicis nonnumquam Pastorali carmine graviora cecinisse, & lectiora verba adhibuisse, ut in Ecloga quarta, quod & ipse testatur Virgilius & veniam præfatur: ejus tamen dictio solet esse attenuata, & sermonis consuetudini vicinior, non multi sanguinis; sed tamen suum quendam habet succum integritatemque valetudinis: sententiæ humiles, non exquisitæ & argutæ, sicut, & comparationes. Romam confert cum Cupresso, cæteras urbes

bes cum viburnis : suave carmen confert cum sopore dormientium in gramine, cum haustu frigidæ per æstum. Si fides adhibenda est Ludovico Vives, sublimius aliquid continet hoc carmen & excellentius existimatione & opinione vulgari, hæc fusius sequentibus.

CAPUT SECUNDUM.

Bucolicorum nomen.

CUm sint tria pastorum præcipua genera maximè *αἰπόλοι ποιμένες βουκόλοι* Caprarii, opiliones, Bubulci : & postremi honestissimi sunt, siquidem boves inter animalia primas obtinent apud Rusticos, per speciem, genus indicavit Virgilius, & primum opus suum *Bucolica* inscripsit.

Etiamsi Virgilius Theocriti locos partim convertat, partim allusionibus aut imitatione referat, illumque sibi ducem hoc in carminis genere proponat ; inscriptionem tamen illius & titulum repudiavit, ille enim opus suum humili & diminuto Vocabulo Idyllia appellavit, quod simplices essent Poëmatum formulæ & rationes ; Virgilius verò ab electione personarum & sententiarum *Eclogas* inscripsit.

Arbitrantur plurimi in Bucolico Carmine Eclogas idem velle, quod sunt in Comœdia scenæ : hoc enim genus in theatris olim actum constat : unde Comicorum more, sua nomina singulis Eclogis prætexuntur, ut hæc *Tityrus,* illa *Alexis* appelletur ; imo & antiqui omnia parva Poemata nominabant Eclogas ab electione : & Horatius Satyras & Episto-

las; Ausonius sua Opuscula Eclogas voluit nominare, Valerius Probus hæc carmen vocat *Astrabicum* à sella Lignaria interprete Hesichio, quod Bucolici Carminis cantores in ea sederent: deinde vocatum putat Bucolicon à Bubulco, qui inter Pastores principatum obtinet.



CAPUT TERTIUM

Origo & genus Eclogarum

Et quid discriminis inter Bucolica Theoc. & Virg.

INventa est modulatio in pastionibus, vel naturæ ductu, vel avicularum imitatione, vel sibilis arborum: prodit etenim ab otio quasi à fonte fœdissimo voluptas & lascivia: inde originem duxerunt cantiuncularum duo genera: alterum cum singuli sub umbra pastores saturi canerent amores alterum, cum aut casu aut consilio unum in locum convenissent ij, quos intermutuus erat amor aut odium, aut propter cantum: gregem, amicam, excitata æmulatio & oblectatio: *Agricola assiduo primũ lassatus aratro cantavit certo rustica verba pede,* harum cantiuncularum duæ pariter erant species: altera cum versus funderent promiscuè sine lege, sine numere, sine vinculis, quæ nomine certo caruit, cum vulgaris esset, libera, non arte quæsita, sed ultrò à naturâ sibi blandiente oblata: altera versus certis quasi præceptis astringebat, fundebatque sententias veluti æmulas; quia pari numero respondentes *alternis dicetis, amant alterna Camœnâ.* Appellaturque ἀμοιβαῖον per vices responsio & reciproca concertatio; porro lapsu temporis cum suis auctoribus displicuissent incondita hæc carmina, impetu animi præcipitis potius quam ex lege fusa, selecta

selecta quædam sunt concinniora & majore meditatione elaborata, quas ἐκλογὰς appellarunt, ut habet Scal. de re Poet. cap. 4.

Notandum est & vitam pastoritiam fuisse olim viris magnis & principibus communem, unde fastorum 1. Ovid. *servabatque suas ipse senator oves &* Lib. 5. Lucretius *per loca pastorum deserta, atque otia diâ.*

Ipse Amos è domo regia *erat in pastoribus Tecuæ*

Refert Diomedes Grammaticus ortum Bucolici Carminis ad Siciliæ pastores, qui desertis ob pestilentiam agris Dianam vario ceremoniarum genere & cantu placaverunt, unde ab Italis Bucoliastæ sunt vocati propter Bucolicum carmen.

Vossius Lib. 3. Instit. Poet. cap. 8. arbitratur *inventum hoc carmen à Peloponnesiis, vel Siculis: utrique enim doricè loquebantur, & Bucolicum carmen Græcis doricè tantum est scriptum.*

Utrum Theocritus à Virgilio, an Virgilius à Theocrito sit superatus, magna fuit controversia, quæ nusquam debuit institui: possent quidem committi utriusque Carmina ad prudentum virorum judicium, si eadem essent tempora, idem linguæ usus, iidem mores exprimendi: Cum verò nihil personæ, quas induxerunt; nihil tempora quibus vixerunt; nihil linguæ, quibus usi sunt, commune inter se aut affine habeant, neutri quis palmam assignare debet, nisi de altero velit male mereri. At utriusque Carmen Bucolicum est & pastores exhibet: verum in utroque, carminis simplicitas eadem non esse debuit, Theocritus enim simplicitatem suam deprimit usque ad rusticitatem, quæ Virgilianos non decuisset Pastores, sicut ea est Virgilij simplicitas, quæ Theocriteis pastoribus non convenisset.

Servius Theocriti æquus æstimator illum ait res

multas aliter dicere, quàm se habeant, ad exprimendam rusticam simplicitatem, addit & Pontanus sermonem vitio non carere, quod tamen vitium decorum putat & probat, si enim, ut scribit in Terentium Donatus, solæcismus militi convenit, cur non & pastori? Multorum judicio Virgilius plus utilitatis habet solidæque delectationis, quam Theocritus, qui res alicubi turpissimas eloquitur aperte, quas Virgilius aut præterit, aut honestè & dissimulanter attingit. Theocriti sermo aures delectat magis, quia linguâ usus est Dorica, absonâ, hiulcâ, vastâ, asperâ quâ nihil Rusticis convenientius, quorum in ore verba fluctuant, & ita reboant, ut illi rudere magis, quàm loqui videantur. Quemadmodum hac nostra ætate sermo Tuscus in Italia cultissimus, ut Atticus in Græcia nobilibus tribuitur & graviter sapienterque loquentibus, scurris verò & bajulis, qui inculte & corrupte loquuntur, Rusticorum sermo ferinus veluti, hiulcus & vastus, qui in vita civili extra comœdiam delicatas aures ferit gravius; in scena verò voluptatem affert & risum concitat, quia cum habitu sordido & gestibus inconditis & sensu fatuo conjungitur. Sic Theocritus usus est sermone Dorico, pastoribus maxime convenienti, qui Lectori aliquanto plus delectationis affert, quam Virgilius, qui eâ asperitate caret; non enim fuit inter Latinos sermo aliquis Ulubranus aut Gabinus, qui pastoribus conveniat: Gabini enim non minus latine loquebantur quam Romani. Virgilius denique coactus est iisdem verbis uti in Bucolicis, quibus Cicero in foro & senatu. Ita Modicius defensor Virgilii.

CAPUT

CAPUT QVARTUM

An inter Bucolica Idyllion debeat numerari.

Et quid Idyllion.

EXiſtimat Heinſius, lectionum Theocriticarum cap. 1. Vulgarem inſcriptionem Librorum Theocriti non eſſe ipſius Theocriti, ſed Librariorum, adeoque decem Theocriti carmina inſcripſit Bucolica, reliqua verò, quæ varia argumenta continent, appellat Idyllia : ita autem Idyllia & Eclogæ promiſcuè uſurpantur, ut Donatus Eclogas Virgilii non dubitet appellare Idyllia,& Caſaubonus tertium Theocriti Idyllion appellat Eclogam ; Et ipſe Tullius in diſputatione de gloria apud Atticum collocutores appellat *Eclogarios*.

IDyllion, ſpecies eſt bucolici carminis, quo nullum inter omnia genera carminum aut vetuſtius, aut venuſtius : tantum ſiquidem genuinâ gratiâ cæteris poëmatis præſtat, quantum nativus oris color fucis omnibus antecellit. Hujus porrò certior origo (miſſis Græcorum fabulis) mihi videtur repetenda paulò altiùs, à primis uſque Patriarcharum Hebræorum temporibus. Paſtoralem illi vitam coluerunt ; paſtorali cantu potiùs quàm ſcripto carmine, ſæculi (quo vivebant) aurei fœlicitatem, ludos, nuptias, funera celebrarunt ? agrorum ſeceſſu paſtores illos ad meditandum carmen invitante. Quin & paſtrices puellas legimus, quotannis in unum convenire ſolitas, ut per dies quatuor filiam Ieptes alternis verſibus plangerent ? id enim ſonat vox Hebræa (tahan-

 noth)

noth) quæ, non tam plangere, quàm alternis dicere significat. Innuit hoc verbo sacra Judicum historia, Poëtrias illas in agresti scena filiam Jephtes annuo dramate repræsentasse; quò commiserationem & planctum in auditoribus excitarent eorumque mentibus varias inclytæ virginis virtutes miscellaneum velut unguentum artificio poëtico colligatas permixtasque subodorandas exhiberent. Et sanè nihil opportunius; immortalis ut heroinæ memoria in compositionem odoris facta opus pigmentarij, jucundè non minus quàm utiliter ad posteros dimanaret. Hoc Hebraidum exemplo Phœnissas, opinor, & Ægyptias mulieres Hebræis confines, Adoniam canere instituisse, nobili bucolici carminis genere. Exceperunt veterum hunc vatum morem aliquanto post intervallo, David, Salomon, Isaias. At quales hi cantores? quid, quæso, tenerius Epicedio, quo Sauli Regi, David gener parentavit; quàm molles in eo affectus? quàm decenter recurrit intercalaris versus? quid festivius Genethliaco illo carmine, quo faustos mundo Emmanuëlis ortus prosequatur Isaias vaticiniorum suorum capite undecimo? Eo (nisi fallor) allusit Virgilius Ecloga quarta, quam in gratiam proximè nasciturі Messiæ (non Salonini pueri) conscripsit, ut fusius interpretatur Divus Constantinus Cæsar, cap. 20. orat. ad Sanct. Quid excellentius denique Salomonis Epithalamio, cui titulus, *Canticum Canticorum*; quanta in eo vis, gratia, forma bucolici carminis? qui loquuntur, Upiliones sunt; pathemata, dicendi character, miræ simplicitatis & candoris; comparationes, non nisi à rebus rusticis petitæ. Laudant se amantes de forma, consuetudine inter bucolicos Poëtas receptâ: sunt officia, sunt zelotypiæ, sunt in amore vicissitudines; cujus vis tam indomita

quàm

quàm mors; cujus æmulatio, ſicut infernus: cujus lampades, lampades ignis atque flammarum mirâ deſcribuntur energiâ. Sub hujus amoris paſtoralis typo, ſapientiſſimus virorum Salomon, Eccleſiam à Chriſto in ſponſam electam, Deum hominem factum; maxima denique ſapientiæ cæleſtis arcana priſcorum Theologorum ritu ſolerter adumbravit. Sic Ægyptii Sacerdotes ſacratiora myſteria non vulgaribus literis; ſed hieroglyphicis figuris exprimebant; ac proinde Sphynges ante templa collocari jubebant, ut intelligerent adoratores, quæ in cæremoniis traderentur, ea ſub ſymbolis & ænigmatibus altiorem ſenſum includere. Velatur hîc allegoriis Divina Sapientia, nec tamen uſque adeò latet quin illam perſpicax Lector deprehendere valeat, ſi mentis aciem trans extimum literæ corticem acriùs intendat, & quaſi per minutos calathi cancellos rimetur mala aurea in argenteis lectulis, id eſt, caniſtris aſſervata. Totus operis ordo planè poëticus eſt, qui à mediis colloquia paſtorum inchoët. Nihil hic exegematicum, omnia dramatica. Quatuor omnino ſunt perſonæ; ſponſus, ſponſa, & utriuſque comites: ſed quarta perſona (quod & monet Horatius) nunquam in his diverbiis ſimul cum aliis loquitur. Denique ſi audiendi ſunt Grammatici, qui volunt poëma bucolicum unico conſtare debere argumento in plures Eclogas diviſo: quantò ſuperior erit hac in parte noſter Salomon Bione, Theocrito, Marone, & aliis qui ſibi legem hanc ſervandam non putarunt. Omnibus igitur numeris abſolutum hoc Salomonis Epithalamium velut exemplar ſibi Theocritus imitandum propoſuit in eo, quod Helenæ ſcripſit, Epithalamio; in quo non obſcura Salomonici hujus veſtigia paſſim eſt obſervare. Uterque enim in conſimili nuptiarum argumento ſponſæ,

quam

quam celebrat pulchritudinem, æqualium adolescentularum comparatione extollit, quarum certus & definitus numerus apud utrumque exprimitur. Ac rursus simili modo suam uterque sponsam exorienti auroræ, cupresso in horto, equo in curru comparat. Eam Græca Septuaginta Interpretum versio habet (*Equa mea in curribus Pharaoni assimilavit te*) Quam Septuaginta Seniorum versionem in Alexandriæ bibliothecam relatam Theocritum legisse, ex eo fit mihi verisimile, quod Callimachus illi bibliothecæ post Demetrium Phalereum præfuerit, sub id tempus, quo Theocritus, Lycophron, & alii ex famosa illâ Poëtarum Pleiade, Regi Ptolemæo Philadelpho familiariter adhærebant. Nec dubium est quin illi Poëtæ, è sacris literis jam in Græcum sermonem conversis, plurima in suos usus derivarint. Disertè id affirmat Tertullianus in Apologetico cap. 27. Quis Poetarum, inquit, qui non omninò de prophetarum fontibus potaverit ; ad illos te fontes, Christiane lector, compendio ducimus, dum hos omnes Hagiographos bucolici carminis scriptores, tibi, in hac Idylliorum appendice, velut sub unum aspectum exhibemus. Erit unus & alter fortassis in eo numero qui sublimi genere dictionis interdum assurgere videatur : sit ita, ut videtur non ideò tamen eum mihi prætereundum putavi, ut nec Theocritus à cæteris Idylliis submovit illa, quæ prolixius in laudes Hieronis & Ptolemæi Regum grandiori scripserat charactere : nec ipse Virgilius bucolicis suis excludere voluit Silenum. Gallum, Pollionem Eclogas gravioris argumenti, quamvis merè bucolicæ dici possent.

§ (o) §

CAPUT

CAPUT QVINTUM.

Definitio, materia, forma.

Bucolici Carminis.

ITa solet finiri carmen bucolicum, est imitatio actionis Pastoralis, vel quasi Pastoralis; ut Gallus Virgilianus, etsi unus è proceribus civitatis, pertinet tamen ad carmen pastoritium, quia ut pastor adumbratur.

Hinc colliges bucolici carminis materiam esse id omne, quod intra decorum à Pastore fieri potest; Imo & actio illustris & heroica potest esse materia hujus carminis, nam licèt agat Virgilius in bucolicis, ut ajunt interpretes, de funere imperatoris, de bello civili, quia tamen illud ad vitæ pastoralis modum accommodavit, non est alienum à Bucolico carmine. Reliqua verò, quæ nec ad pastores pertinent, nec pastorum more & consuetudine conficta sunt, ut Europa Moschi, Helenæ Epitalamium, Pollio Virgilii vix numeranda sunt inter bucolica, unde Servius ex triginta sex idyllis Theocriti decem tantum; ex decem Virgilii Eclogis, septem numerat inter purè pastoritia. Si quid sublimius dicendum sit debet Poëta modestè præfari ut: *Sicelides musæ paulò majora canamus* in Bucolicâ poesi, ut in cæteris, debet esse fabula, quæ si debet, poeseos nomen amittit, nam in omnibus poeseos actibus est anima.

Id videre est in Sileno Virgilii, & aliis. Quemadmodum meritò redarguenda est in carmine bucolico nimia morum elegantia & urbanitas; sic vitandus rusticus stupor & inconcinna asperitas, quæ à Theo-

à Theophraſto rejicitur & ab Horatio longiſſime.

Sententia debet reſpondere ſimplicitati morum ; & Ruſticus non exquiſitè debet ſapere, in quo peccant, Itali qui acumina & ingenii ſubtilitatem in bucolicis quærunt.

Dictio debet ſimplex eſſe ſine longo contextu verborum ; ſed caſtigatiſſima, & integerrima, cum puritate & nitore, & ut ait Pontanus ; *non multi ſanguinis ; ſed ſuum tamen ſuccum habens* : hinc Virgilius continenti ſpiritu non multa effundit cum garrulitate, ſed multa reticet, multa diſſimulat ſingulari eloquentiæ genere : *Rarum eſt loqui eloquenter, rarius eloquenter tacere* Tull. Epiſt. l. 13.

Porrò ut diligentiam fugit nimiam, ſic non amat negligentiam ; cultum quærit, ſed non exquiſitum, candorem ſed ſine fuco, leporem & venuſtatem ; ſed ſine depreſſâ humilitate ; quæ mediocritas judicii vim magnam deſiderat : debes enim abjecta & humilia canere, non humiliter, res agreſtes non agreſti modo.

Habet bucolicum carmen ſuos affectus ; ſed non admittit violentos, ut deſperationem, furorem ; ſed lenes : poteſt enim ſylvis fontibus, Lunæ ſuos amores, ſua tædia narrare ; ſed reſpuit theatrales motus & tragicos.

Suus eſt numerus Bucolico carmini, ſuperſtitioſè tamen & anxiè non conquirendus ; neque credendum Terentiano, qui dactylum ſemper quarto pedi aſſignat ; hac ſe lege liberavit Virgilius, quam ſtudioſè obſervavit Theocritus.

Admittit figuras, ut narrationem in Sileno Virgilii.

Silenum pueri ſomno videre jacentem.

Deſcriptiones, ſed breves : ut dum Virgilius : deſcribit poculum fagineum Melibœi Alcimedonti; opus

opus &c. Comparationes ut Ecloga. 8.


Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit
Vno eodemque igni: sic nostro Daphnis amore.

Respuit autem grandes illas figuras & magnificas magni splendoris & magni strepitus, quæ theatro & declamationi conveniunt.

Sententias respuit si graves, imo vix ullas admittit: semel tantum sententiosè dixit Virgilius in bucolicis.

Trahit sua quemque voluptas.

Quam sententiam damnat Servius, ut à pastore alienam: frequentia sunt proverbia: vide hæc & longè plura in Rapino optima.



CAPUT SEXTUM.

Præceptiones reliquæ.

1. VNum quid Ecloga simplexque esse debet, quamquam hæc præceptio non ita servatur à Virgilio, cujus Ecloga octava Duas habet Partes, teste Servio; alteram Damonis misere, perdite amantis; alterum carminis magici, quamquam hæ duæ partes videntur coalescere in unam, & contentionem inter duos pastores facere unam, ideoque actionis unius imitationem. Sic Minturnus ex Syncero *singulis Eclogis unum quiddam est exprimendum.* 2. Debet esse brevis Ecloga: nam *est brevis sermocinatio inter pastores,* ut definitur à Iasone Denore Doctore Patavino: potest tamen ejusdem judicio *ad horæ spatium & paulo amplius* excurrere: neque enim colloquia humana præsertim pastorum diutius solent durare. 3. Actio pastoralis potest cani Epico carmine, quanquam Epopoeia apud Aristotelem sit *imitatio actionum* illustrium: & apud Horatium.

Res

Res gestæ regumque ducumque & tristia bella.

Tenuitas enim bucolici carminis potest assurgere ad Epopoeiæ majestatem, ut si pastor per se nobilis, cut reges olim erant Pastores, & Moyses pastor; Epopoeiæ excelsitas potest descendere ad simplicitatem bucolicam; magna tamen hic cautio adhibenda est: nam David Pastor Leonem manibus enecat, grande id quidem factum, an convenit tamen Epico carmini? An debet proponi heroibus ad imitandum? Nos Nabuchodonozorem licet Regem cecinimus carmine pastorali; quia inter pecudes agentem: 4. Materia hujus carminis non assignatur ab Aristotele, aut aliis græcis; Nonnunquam sunt res grandes & arduæ: nam quid sublimius Idyllio 7. Bionis, quod quidquid in Illiade magnum est, persequitur? nam in eo canuntur Achillis & amores, Helenæ raptus, Atridarum furor, totiusque Asiæ conspiratio. Quid grandius illo Idyllio, quod scripsit Theocritus de Hercule, in quo narratur leo interfectus ab ipso Hercule, cujus ferebat exuvias? quid dicendum est de Idyllio 22. in quo omnis granditas heroici & robusti spiritus; parcè tamen his argumentis utendum est. Selegi tibi hìc duodecim Eclogas; sed plures vide in mea eloquentia Poeticâ.



VIRGI-

VIRGILIUS CHRISTIANUS

BUCOLICA SIVE ECLOGÆ XII.

IACOBUS PASTOR

Ecloga Prima.

QUÆ sit cura gregi, quis ovili cultus habendo,
Iacobus natos bis sex docuisse solebat,
Dum mandaret oves: agiles vos sive capellas
Monte sub hóc, mites seu valle libentius agnos
Ducitis, hac mecum, nati, cessate sub umbra.
Sint aliis, sinite, innumeris cum civibus urbes,
Pascite vos pecus, invitat vos blanda voluptas
Rivis, & irrigui gelidis è collibus amnes.
Ferte pedum celeres, vobis canis ecce Magistris
Gratatur, gratantur oves, & plaudit Ephrate,
Et nemus, & crebro pulsati carmine colles:
Vivit & ipsa gregem matrum pulcherrima Rachel,
Gestabatque graves humeris in mollibus urnas,
Reddabat impletis potare canalibus agnos.
Incipite, ô nati, mites mulgere Capellas,
Mulcta dum vestris demittunt ubera palmis,
Ars vestra gregi placet, & puerilibus agni
Lusibus dociles gaudent, saliuntque per herbam
...tiam testati, & agros balatibus implent.
Vos solitâ corilos inter resonate camœnâ

Tharamidem tenui calamo, fidibuſque ſecuti,
Qui Gracili primus ſylvas modulatus avena eſt,
Veſtra & grandævo certabunt carmina Viti
Æmula, ſit ſenior quamvis, vos parvula turba.
Si lupus inſidijs, ſi vi leo pugnet aperta;
Nil vos inſidiæ, nil vis terrebit aperta,
Sanguineo certos prædam extorquere leoni.
Quod ſi febris oves, ſcabies aut arida tentet,
Opportuna manus, medica ferat arte levamen,
Noxia ne reliquum vitiet contagio vulgus:
Si facitis, fœtura frequens ditabit ovile,
Et ſurgent altè in cumulum collecta ſub unum
Vellera, purpureos olim potura colores.
Veſpere nec pigeat per devia rura vagantem
Ad ſtabula, aut caulas ovium, & præſepia no
Aut humeris vitulum, aut manibus geſtare cap
lam,
Aut agnum præferre ſinu, dum firmior ætas
Ire ſuis teneras doceat cum matribus agnas.
Errantes etiam iactâ compeſcere glebâ
Juverit, inque agmen clamoſa cogere voce,
Quò lubet, ignotam ne grex per iniqua ſequa
Teſqua viam, trucibuſque lupis rapiendus abe
Ubera quam referunt Coridoni ſicca juvencæ!
Quàm pingui taurus graditur macilentus in arvo!
Impius eſt Coridon, meritis Deus illa rependit:
Ægoni ſalvi ludunt cum matribus agni;
Lac ſub ſolſtitium lac frigore ſuppetit olli;
Pars premitur, teneris pars fœtibus altera cedit,
Prima Dei cura Ægoni; Deus illa rependit.
Si facias, dilecta cohors, quam denſa videbis
Gramina & herboſis pecudum quot millia campi
Palanteſque greges! ſive ad præſepia ſtabunt.
Jam ſaturi, & niveo implebunt mulctaria lacte,
Seu virides late ſaltus, atque arbuta paſcent:

Non illos turpis ſcabies, non tetra venenis
Pabula, corruptique lacus aut frigora lædent
Mollibus albentes villis, habileſque ferendo.
Si fœtus numerare velis, prius æthere puro
Noctibus hybernis rutilent quot ſydera, dices,
Quot folia in ſylvis, tumido quot in æquore fluctus,
Litore quot conchæ quot ſunt in amore labores:
Nec veſtra finem accipient primordia; ſeri
Naſcentur, ſubeant eadem qui fata nepotes,
Et paſcant pecus, & ſtudiis pugnare laborent.
Hæc animis, & teneræ deſcribite cortice fagi.
Talia dum caneret, movere cacumina ſylvæ,
Et rupes & ſaxa; vetuſtaque robora quercus
Auditum venere, ſuis exceſſit ab antris
Jam mitis lupus, & leo jam manſuetus ovili,
Efferaque humanos didicerunt pectora mores:
Vnicus ingratis implens latratibus auras
Obſtrepuit canis, & meditantem plura coegit
Sub tectum revocare greges jam nocte propinquâ.



IOSEPHVS PASTOR

Ecloga ſecunda.

IOſephus Patris Imperio, per devia charos
Sollicitus vaſtâ fratres quærebat eremo,
Et, quicumque viâ ſe ſe tulit obvius, illum
Quali valle greges agerent, quo pinguia colle
Curarent armenta, puer ſic voce rogabat:
Dicite, vocales ſylvæ, veſtriſque ſuſurri;
Pandite, quæ charos retinent umbracula fratres,
Quæ ſpelunca tegit? mollis qui rivulus undæ
Margine proſtratos ſuper herbeſcentem moratur;

Quos ſaltus populantur oves, quæ prata juvencæ,
Quæ tondent dumeta capræ? qui paſcua fratrum
Sorte tenent, ſervantque vices, qui ſorte ſoluti
Excubiis, patula defendunt arbore ſoles,
Solventeſque animos, docto ſub judice docti
Pignoribus poſitis, alterno carmine certant?
Heu me! quid ſubito nemus horruit omne tumultu
Quo timidæ nemorum frondes quatiente tremiſcunt?
Quo motu virgulta ſonant? quibus æthra remugit
Vocibus? heu perii, vox eſt, vox iſta Leonum,
Quos odor afflavit prædæ; me, perfida prodis
Sylva, peto fratres, immitis ſæva Leones!
Heu moriar, paſcamque feras, niſi terra dehiſcis
Protinus. & patulo miſerum me condis hiatu,
Terra, dehiſce precor, latitanti afferre ſalutem
Si nequeas (quamquam ô) morituro trade ſepulchrum:
Me miſerum! approperant, ſonus increbreſcit ad aures,
Inſiliunt in colla feræ, laniabor, adeſte
Auxilio, fratres, ubicumque latetis, adeſte:
Fratr. Subdole ſurſum oculos in nos attolle; Leonum
Hæc facies: ſed ſponte facis convitia: *Ioſeph.* Fratres
Parcite, deluſos ſenſus hebetaverat horror.
Fraternos vultus agnoſco, manuſque juvantes;
Ecce novus placidos calor inſtillatur in artus,
In venaſque redux ſanguis diffunditur omnes:
His ſinite infigam victricibus oſcula palmis,
Quæ procul ad latebras rabidos pepulere Leones.
Fra. Siccine ludificas? certus cupis augur haberi;
Augur eris, damniſque tuis implebimus omen;
Fictos expulimus, germanos ecce leones
Præſtamus, moriere hodie, moriere, proterve
Puſio, nec quiſquam manibus te ſubtrahet iſtis.
Ioſeph. Non moriar, manibus niſi, quis me ſubſtrahat iſtis
Ergo

Ergo prius sit apis florum, rorisque cicada
Immemor, & nidum dediscat amare palumbes,
Fraternis ego quam frater divellar ab ulnis.



ECLOGA TERTIA
DAVID PASTOR.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit.

Cura Dei Pastoris homo, quid læva vereris
Omina, ne quondam victus mortalis egentem
Pabula deficiant, & ovem custodia fallat?
Usque vigil formosa polus dum sidera pascet,
Divitis uber agri numquam non gramine læto
Luxuriat, quamtumque die carpsere bidentes,
Fœnore centeno rediens aurora reponit.
Prataque perpetuis pubescunt ebria rivis.
Non umbræ altorum nemorum, non aura favoni,
Riparumque thori virides, aut carmina desunt,
Carmina, quæ castæ tantùm modulentur avenæ.
Cura Dei Pastoris homo, desiste moveri.
Non illic curvi amfractus, abruptaque tardant
Saxa greges; molli licet ardua scandere clivo,
Nec metus, hirsuti lacerent ne corpora vepres,
Vellera ne spinis carpat paliurus acutis.
Lanicium curæ est custodi, oviumque magistro.
Horrida si scabies per tabida corpora serpat,
Admovet artificem dextram, aut medicamina pastor,
Et nunc vel pingues ceras, aut sanguine miscet
[illegible] suo, quo nulla salus præsentior ægris.
Ulcera quin etiam ferro rescindit acuto,
Aut flammâ pestem éxhaurit, fontemque veneni,
Cura Dei Pastoris homo, desiste moveri.
Virga mihi gratis sceptrorum acceptior umbris

Virga tua & baculus

(Si quas illa tamen fundunt sine frondibus umbras
Cum ferro posuere comam) tua flore virescit
Perpetuo, & circum tutissima brachia spargit,
Jucundoque animum & nares permulcet odore;
Non odor aut flos ille tuis incognitus agnis.
Cura Dei pastoris homo desiste moveri,
Anxia degeneres turbent nec pectora curæ.
Cum procul auditi rabidis ululatibus auras
Implevere lupi, & trepidum afflavere pavorem;
Pastorale pedum longè jubet ire latrones;
Solamenque mali positâ formidine præbet.
Ferte Deo fœtus ovium, Divina Propago,
Ferte Deo cum laude preces: locus omnis in omni
Parte sonet, flagret votis, & sanguine fumet:
Auditis? Deus intonuit; qua voce resultans
Infremit & tellus, & mobilis ingemit unda:
Aeriam vox illa potest exscindere cedrum,
Cedrum, quæ terris tam late effundit odorem,
Quàm ramis altè in cœlum surgentibus exit.
Hinnulus hunc sensit, quando præsepibus exul
Avolat, ignotasque fugax auferturin oras.
Exiluit Sarus, & Libanus, tonitruque remugit:
Concussus fremuit Cadus, ceu fœmina, primum
Cum gravis indoluit maturis mensibus alvus,
Plenaque vicino fremuerunt viscera partu.
Vox eadem cervis properato tempore partûs,
Cruda puerperia ante diem, pondusque levavit?
Nulla mihi non longa mora est: quam tarda feruntur.
Sydera, qua lento titan agit axe jugales!
Sydera, vos, & solus equi, contendite cursum.
Non pisces saturantur aquis, non rore cicadæ,
Non volucres cantu, nec apes florente salicto,
Nec mens nata Deo, terrâ rebusque caducis.
Quid fuit, Alme Deus, Pastor cum parvulus essem
Et

Et patrias agerem per Ephrates rura bidentes,
Ur bonus è caulis me Judæ ad ſceptra vocares?
Ac veluti erumpit (radioſâ haud diſcrepat umbrâ
Et tenuis tantum ſub luſtri intermicat igne)
Prima dies, ſenſimque roſis ferit atria cœli,
Moxauri fulgore, faceſque exporrigit omnes,
Haud ſecus è modico paulatim ſuſtulit ortu
Me divina manus, quid enim domus eſſet Ieſſe
Ni pater indulgens huic incrementa dediſſet?
Si quis diſſimulet, ſi te quis amare recuſet,
Hunc precor & ſobolem ſummâ à radice revelle,
Iratus velut exſcindit vepreta colonus,
Arida vel purgat crepitante novalia flammâ,
Quando renaſcentes opus eſt evincere ſpinas.

ECLOGA QUARTA

NABUCODONOSOR INTER FERAS

Meliboeus Tyrſis,

Melib. EVigila, quid ſtertis iners? altone ſoporis
Murmure vicinos tentas arcere leones?
Si te ſopito Lupus inſidietur ovili,
Quis miſero præſtabit opem? vigil excute ſomnum,
Et pudeat de luce, & me præſente, morari.
Tyrs. Unde, & quo Meliboee? thorum tibi porrigit umbra
D[illegible]is, & invitat mecum indulgere quieti,
[illegible] Matura jam luce ulmis exaruit humor,
E[illegible]s, qui lætis argenteus inſidet herbis,
Quid trahis ergo moras, & deſide ſtertis in umbra;
Tyrs, Quid rerum? *Melib.* regem pecudes habuere ſodalem;

Ille Deus terræ, tetigit qui vertice cœlum,
Pascitur insuetis dapibus, rituque ferino

Tir. Cum nostris gregibus partitur graminis escas.
Quæ loqueris portenta? *Melib.* agros mugitibus implet,
Quos audire potes: quo gestat cornua fronte,
Quæ vidisse datur: fletu satis ubere plauxit
Nemo vices tantas, infelicissime rerum,
Hinc quanquam pueri, Babylonides inde puellæ
Lumina ab exhaustis jam fletibus arida gestent:

Tyr. Quis Deus hæc fecit? similes non pristina vidit
Fortunæ ludos, ætas non postera cernet.

Melib. Ergo more feræ magnorum oblitus avorum
Degener excelsis quadrupes in saltibus erras?
Tune Nini pronepos, & aviti nominis hæres;
Si vespertinus leo te, si pervigil ursa
Inveniat (stabulantur enim leo multus, & ursa
Saltibus his) quæ prompta feret tibi dextra salutem?
O utinam nostra possem lenire furorem
Voce tuum! æternis hæc cantibus arva sonarent.
Sed muto loquimur, qui saltibus incola densis
Abditur, horrendo abrumpens mea verba boatu:
Fallor, & arrectam numen mihi personat aurem,
Hunc rursùm in solio mutatâ sorte locandum,
Pristina majestas olli, & mens sana redibit.



IOANNES IN DESERTO


Ecloga Quinta.

QUid tu autem cessas tam deniq; lentus in herba?
Quis Deus hos montes novus incolat, accipe paucis.
Thuris odoratos flammis adolere vapores
Numinis ad templum, populo spectante, parabas Zacharias,

Zacharias, latus ad dextrum cum nuntius aræ
Astitit, his mandata ferens divina loquelis:
Vota precesque tuas æquâ Deus audijt aure,
Quæque senescentis jam dudum conjugis alvus
Torpet iners, mox prole gravis felice tumebit,
Tu natum curâ vigili servare memento:
Dixerat hæc, natumque dies octava videbat
Jam puerum: patris, de more, vocantur in ædes
Agnati, duroque cutem præscindere cultro,
Utque solet, gentile parant imponere nomen:
Ioannem divina vocant oracula, cœlo
Edita, mater ait: muto pater Entheus ore
Inscripsit nomen tabulis: prænuntius ito
Fauste puer, Christo, digitoque ostende fideli.
Virtutes gremio excipiunt, regaliaque ora
Componunt, artusque & mollia pectora formant.
Adjecere oculis radios, niveasque rubenti
Infecere genas ostro; sedet ardua celso
Vertice majestas, &, quo non dignior alter
Imperio, stat fronte decor; neve utilis expers
Consilij vis tanta foret, Sapientia mentem
Adjecit, docilemque animum: comes addita fraudis
Nescia, simplicitas, & religionis in omni
Cura loco vigil, atque tenax constantia recti.
Jamque viam populos venienti sternere Christo
Edocet, & veteris senium deponere vitæ,
Et mutare vices: studia in contraria scissum
Vulgus inops mentis, bellum civile movebant,
Scitarum unde domo, quid rupis in abdita sese
Urbe receptaret procul: ipso an numine natus
Afforet è cœlo, miseris quem gentibus olim
Venturum auxilio, divina oracla canebant.
Ille unum repetens iterumque iterumq; monebat,
Obductæ tenebris gentes, gaudete, propinquat
Lux optata diu, nec vos me credite lucem

Non

Non veræ immeritos luci furabor honores.
Interea solis agitabat montibus ævum
Horridus, & sylvis & littoribus desertis:
Unda ministrabat potum, victum aspera nullo
Arbuta præbebant cultu, aut sudantia truncis
Mella cavis, vestem pellis dabat horrida villis.



ECLOGA SEXTA

DEUS PUER

Damœtas, Palæmon, Menalcas.

BEthlemicæ Musæ, paulo graviora canamus.
Insolitus tacitas sermo mihi nuper ad aures
Pertigit, è cœlo summi fuit ille Tonantis.
Scilicet illa dies aderit, cum Virgine natum
Excipiet Numen duro præsepe cubili,
Et divina duæ pecudes cunabula cingent.
Damœtas. O, quæ lucebit tantis natalibus hora!
Sæcula prævertens, fatis erumpere certet.
Incipiantque atræ soli decedere noctes!
Huc ades, alma Parens; & amœni conditor ævi
Dive puer? tuque ista para cunabula, Belthe:
Parne aliquid vidistis, avi, felicia quanquam
Sæcula iactetis, quando super ardua montis
Numinis incubuit pavidæ præsentia plebi,
Et Mosi præsens manifesta in luce refulsit,
Qui videt innocuis depasci tempora flammis,
Et duo nata sibi consurgere cornua fronte?
Dicite nascentis, comites, cunabula Christi.
Nate Deo, numen, pueri sub imagine, vela,
Et prætende levem radijs fulgentibus umbram.
Dissimulata latet melius, quàm prodit aperta
Majestas

Majestas, terror cui lethifer esse satelles
Gaudet, & antevolans nigris mors pallida pennis.
Dicite, Pastores, nati cunabula Christi.
Men. Ecce magi Solymam veniunt Oriente profecti
Sideris ad ductum: & cum votis dona ferentes
Placidum regem impavido sermone requirunt.
Pastores stabulum subeunt, proni que potentem
Vilibus in pannis, regemque Deumque salutant,
Dum contrà metuens capitis sceptrique saluti
Æstuat Herodes, & proxima fata minatur.
Dicite Pastores nati cunabula Christi.
Dam. Quæ pietas stitit augustis altaribus agnum,
Illa columbinis pretio sed dispare pullis
Mox redimit: Simeon, morte; aspectoque salutis
Vindice, concessu procerum dimissus honesto,
Claudit fatiscentem postremo carmine vitam:
Dicite Pastores nati cunabula Christi.
Dam. Dum geminis faceret redimendâ prole columbis
Virgo parens, templum vates præsaga futuri
Anna subit, rerumque sagax arcana recludit:
Tu, Ioseph, puerum & matrem vigil eripe letho,
Externisque labore manus, tenuique paratu
Deliciis cœli dignos & nectare, pasce.
Dicite, pastores nati cunabula Christi
Pal. Demetit Herodes tenui surgentia trunco
Lilia; vocalem, infantes, pro lacte cruorem
Mittite, qui numen muto clamore loquatur,
Prædonisque trucis malesanos arguat ausus.
Dicite Pastores nati cunabula Christi.
Men. Ex puero firmata virum cum fecerit ætas,
Mille procul sistent vario se tramite gentes
Poplite submisso; & regum depressa potestas
Omnis adorabit: quis enim mortalis adæquet
Se tibi; quis certare paret; tamen impia si quis

Signa

Signa tuis audet demens opponere ſignis,
Sentiet ultorem, pronaſque in verbera palmas,
Nuniades iterum domini ſermonibus amnes
Aut ſiſti increpitos, aut in caput ire videbit,
Et ſolem & lunam medio ſubſiſtere curſu.
Dicite Paſtores nati cunabula Chriſti.



MIRACULA CHRISTI

ECLOGA SEPTIMA

Lycidas & Mopſus.

QUà Phœbi arcebat radios, ripamque tegebat
Denſa comis Corylus, Lycidas & Mopſus in unum
Conv[enere], ambo calamis certare parati.
Labentes fugientis aquas ut ſiſteret amnis,
Et ſylvas ad ſe traheret, pia carmina panxit
Et prior in laudes Mopſus ſic Numinis ivit:
Talia dicentem Lycidas eſt deinde ſecutus.

Mopſ. Si calamis faſta eſt ſi carmina dicere voce,
Prima Deo dicenda? Dei ſtant omnia voce:
Ille regit ſurſumque polos, terraſque deorſum
Voce potens,& cum patrio magalia cœlo
Ruſtica, divinas partitus ad omnia curas.

Lycid, Ille parens hominum, vitæ arbiter ille, neciſque:
Auctori necis & vitæ ſua ſemper apud me
Carmina erunt: vos hæc inſcribite cortice, lauri:
Tuque fluens amnis vota hæc evolve ſub undas.

Mopſ. Cernitis in ſegetes ut ager cum fenore magno
Luxuriet; lætis ut collibus uva tumeſcat?
Eſt illius opus: dextram ſi contrahat, agris
Nec ſegetes vacuis, nec erunt in collibus uvæ.

Lycid. Unda deeſt fluviis, & campis deficit imber,

Aren-

Arentesque siti pisces moriuntur & herbæ:
Est illius opus: manibus si frena relaxet,
Terra natabit aquis, & vincent flumina ripas.
Mopsus Grandia dicamus calamis miracula Christi
Atque potestates vocis, morboque levamen.
Languentes artus taboque fluentia membra
Præsentis medici famosa scientia curat.
Una salutiferæ contactu fimbria vestis
Sanguineos sistit miro medicamine fluxus,
Et medicus populum compellat voce sequacem;
Quis me? quis tetigit? cuncti sic ore reponunt,
Plebs premit, & tanta quæris de plebe prementem
Scilicet: at Christus dicto obfirmatus eodem,
Non nemo tetigit vestem; nam corpore virtus
Major ijt, tactuque manus furtiva salutem
Obtinuit: retegit mulier sibi conscia furti,
Seque ream agnoscit: tua te fiducia sanat,
Christus ait, vive atque vale jam libera morbo.
Mops. Impavidus præsente Deo felicibus audet
Gressibus infidas pelagi Petrus ire per undas:
Nox ruit, & cœlum subtexit turbine cæco,
Effrenesque volant Euri: stagna humida Christus
Percurrit durante vado, & suspensus agit se:
Apparet transire ratem; aut transire paranti
Assimilis propiore gradu, illi Protinus umbram
Exclamant, umbram: nihil hîc & fraudis & umbræ,
Christus ait; vocem agnoscens Petrus insilit undas,
Quas impune terit pedibus, vestigia longe
Sicca ferens: sed ubi ventos crebrescere sensit,
Extimuit, clamatque, cadenti, ô Christe, levamen:
Vix ea, cum Christus sorbentibus extulit undis.
Lyc. Bis quini solos omni procul urbe per agros
Fœdatas artus & turpia membra trahebant, *Leprosi.*
Quos Christus lepra simul omnes voce levavit?
Immemores abiere novem, solusque revertit,

Qui

Qui grates medico sospes Samarita rependat.
Quem fœtere doles fratrem, laudabilis hospes
Mops. Morte triumphatâ, & pulso mœrore sororum,
Lazar. Luce redonatum tumulo prodire jubebit.
Surge agedum, procede foras, ô Lazare, clamat.
Audiit auritum saxum, nec mollior Orcus
Saxo omni, manes tumulo audivere refosso:
Longa manus ambas, ambas ligat institia plantas,
Hanc jubet, & victæ mortis monumenta levari.
Lyci. Ille, quibus putri reflüebant ulcera tabo,
Aut nervi pedibus gelido torpore rigebant,
Ferre dedit firmata gradu vestigia certo.
Mop. Ille diem cæcis, & amœnæ gaudia vitæ
Reddidit auditæ solo medicamine vocis,
Et juvenem intuitus, quem dudum effunderat al[...]
Dudum. Ægra parens, gratæ donavit lumine lucis.

ECLOGA OCTAVA

PASTORES PII

De Parabolis Rusticis

POLLIO, DAMON, MOPSUS, TYRSIS, ALPHEUS.

Dam. FOrtè Parisiacam, magni quam nominis urbe[m]
Undique conveniunt gentes, ego, Mopse, puta[...]
Montlerio similem; verum caput exerit urbes
Supra alias tantùm, quantùm supereminet agris
Montlerius, quantum exiguis querceta myricis.
Quid rerum interea? *Dam.* non alta palatia regu[m]
Mop. Perque vias strepitushominum, sonitusque rota[...]
Suspexi, aut opulenta suis altaria donis,
Craterasque graves auro, celataque in auro
Divorum simulachra, artisque operumque labore[m]

Du[...]

Dum populus pauper, dum ſtabat Divus in æde
Ligneus exigua, demptique ex arbore rami,
Et quos ſeu Lycidas aliquis, ſeu Tityrus horto
Attulerat, flores, aras & templa parabant,
Non minus id gratum ſuperis: non munera curant
Aurea; ſed, qui muneribus ſe prodit, amorem:
Abſit amor, perfecta auro, celataque gemmis
Non magis urna placet, calathus quàm textus hibiſco.
Tres quondam reges tuguri ſub paupere tecto
Infanti placuere Deo: quæ munera Paſtor
Obtulit, aut agnum ſtabulis, aut corte columbas,
Hæc Numen Puer accepit: Paſtoribus illum
Agreſti effultum ſtipulâ, calamoque paluſtri
Fas primùm vidiſſe fuit, fas & fuit illis,
Reges ante ipſos, Divinis figere plantis
Oſcula, ſpeluncæque fores intendere ſertis.
Sunt & opes animo; nec ſi ſylueſtria ſordent
Munera, mens etiam ſordet, diveſque Voluntas.
Tyr. Nos quoque, ſi placitum eſt, veſtris admittite Muſis,
Et ſinite exiles calamos, gracileſque camœnas
Audiri reſonis, veſtra inter carmina, ſylvis.
Dicite quæ rudibus Chriſtus myſteria prompſit: *Decem Virgines.*
Alph. Tu ſponſas bis quinque canes, Zizania dicam,
Hic ſervum, hic ficum, ille operas vario ære locatas.
Tyr. Ordior, alternis vos reſpondere juvabit.
Sponſus adeſt, quà pompa frequens vocat, ite puellæ,
Excuſſoque gravi, quem nox parit humida, ſomno
Sponſales facibus puris incendite lychnos:
Ire parant, oblitæ olei; mox quinque precantur
Defectis modicum laticem præſtare lucernis,
Aſt aliæ, veritæ proprijs accerſere noctem
Lampadibus, cenſus inopes cauſantur olivi,
Et ſponſum, quocumque ſubit, comitantur euntem:
Janua

Ianua ſtat concluſa ſeris : fruſtrà atria pandi
Inclamant fatuæ, & pulſant ululatibus ædes :
Iſta quid edoceant, vel me reticente, loquuntur.
Alph. Mane vigil primo dum ruſticus arva pererrat,
Inſertas mediis zizania proſpicit agris,
Quanquam adeò puram cultis mandaverit arvis
Sementem ; ſed, dum famuli torpore jacerent,
Invidus hos de nocte dolos inſtruxerat hoſtis :
Illi indignati vitiatam exſcindere ſtirpem
Ire parant : dominus vetuit, ne tota periret
Cum lolio ſeges, & ſimul una falce metatur :
O famuli, ferro manibuſque abſiſtite, dixit,
Ne paribus ſtudiis ignota & nota ſecetis :
Parcite, dum ſe ſe formæ diſcrimine, prodant
Mittendum in flammas lolium, vel in horrea meſſis.
Iſta quid edoceant, vel me reticente, loquuntur.
Mopſ. Villicus immenſos furtis avertere cenſus
Suetus heri : ſimul utmonito patuiſſe rapinas
Audiit ; heu quid agam ? dixit, quò perditus ibo,
Villicus iniquus Indocilis tolerare famem, terramque ligone
Vertere ? præſtiterit certos cum fraude parare.
Qui nudum foveant, in egenis rebus amicos :
Huc, inquit, miſeri quos æra aliena fatigant,
Et leviora novis inſcribite nomina chartis :
Argutum ingenium, damnata fraude, probavit
Ipſe, licet deceptus herus : lætoque receptus
Villicus hoſpitio eſt, memores expertus amicos.
Damon. Tertius æſtivis ardebat ſolibus annus,
Ex quo ruris amans civis Solymita feraci,
Carmeli germen, ficum plantaverat horto,
Ficus. Illa ſoli languens vitio, & torpedine cœli,
Exucco raros mittebat ſtipite fructus ;
Ut ſterilem nullis Dominus curveſcere vidit
Fœtibus, & ſolâ formoſam fronde virere,
Ingratæ vitium doluit, cæſamque ſecuri

Damnavit

Damnavit flammæ, & male verba precantia dixit:
Cui sperare jubens solers meliora Colonus;
Si pateris, circum fodiam, stercusque salubre
Strenuus infundam, donec recreata valebit,
Et melior lætos succo dabit ubere fructus.
Ista quid edoceant, vel mente reticente loquuntur.
Mopse age, te similem fas est inflare camœnam:
Mop. Vix matutinas sol liquerat humidus undas,
Cum dives Solymita foro successit, ut ære
Cultores pacto plures conduceret: ille,
Dum varium Titan trahit in discrimina tempus,
Dissimiles operas simili mercede locavit?
Incumbunt operi, & curandis vitibus instant
Unà omnes, donec sera sub nocte vocavit;
Et, quos undecima tardos conduxerat hora,
Donatos pactis, blando sermone remisit;
Ad matutinos, querulo qui murmure vocis
Iactabant longæ fastidia magna diei,
Ære pari accepto, tectis excedere jussit.
Ista quid edoceant, vel me reticente, loquuntur.

ECLOGA NONA.

LYCIDAS, MENALCAS, GELAN.

Missio per pagos.

PAstores Lycidasque puer, Seniorque Menalcas,
Maturúsque Gelan sub prima crepuscula Phœbi
I…bant pecus è stabulo, pluviasque querelis
…ensas cœlo, & multis jam mensibus æstum
…ant, ah miseri! & lacrymis potiora rogabant.
Quin & clara dies aperit, quæ damna pararit
Nox inimica, lupusque, gregem qui dirus oberrat.

At tenues Lycidas cerâ dum nectit avenas,
Exploratque sonos digitis, prior ipse Menalcas
Imparibus dixit cannis, reliquisque præivit.
Quid meruistis enim placidum pecus? ut neque vobis
Præbeat herba cibos, altis nec montibus humor
Defluat, irriguis serpant nec vallibus omnes?
Dente lupi pecudes rapiunt, armenta Leones,
Nec tuta est tantos contra custodia fures:
Quas meruistis, oves, mea cura domestica, pœnas?
Milvius implumes rapit aut vulpecula pullos,
Vulturibus timidæ diris sunt præda columbæ:
Quas meruistis aves, mea cura domestica, pœnas?
Quin fuci, pecus ignavum, præsepibus altis
Insidiantur apum, & tenui se corpore pascunt:
Quas meruistis, apes, mea cura domestica, pœnas?
Fornice saxorum tygres, & rupibus ursi,
Sævus aper dumis tegitur, silvisque leones:
Arboribus volucres, aut summæ in vertice rupis
Aut inter vepres secura sedilia ponunt,
Nocte dieque lupus sub amico vellere sævit:
Quas meruistis, oves, mea cura domestica, pœnas?
Innatus cervos medicaminis edocet artem
Lucis amor, fugitiva hærent dum spicula dorso,
Et sua sunt gruibus, sua sunt medicamina corvis:
Quas meruistis aves, mea cura domestica, pœnas?
Non nobis (de nocte gregem servantibus astris)
Securis licet exiguum raptare soporem,
Sed lupus insidians spargit, laniatque, trahitque,
Indomitum rabies cum dira lacessit edendi,
Attonito mutum pecus, exanimumque pavore.
Quas meruistis oves, mea cura domestica, pœnas?
Quæ pecudes potuere, lupi vitare furorem,
Has subit herbosis gravior contagio campis:
Nemp

Nempe venena legunt cæci argumenta doloris,
Qui scabiem creat, & langventia membra resolvit:
Hinc vituli & diro correpta armenta furore
Transiliunt sua septa, ducisque audire recusant
Et vocem & baculum; sed rupibus omnibus errant
Devia per, tractusque vagos, custode relicto.
Quin etiam extremâ serpens qui dirus ab Arcto
Sibilat, ignem oculis patuloque ex gutture mittit.
Nec certa est medicina gregi, tutelaque nostro.
Talia cum lachrymis promentem, & plura parantem
Os, oculosque Deo plenus, quo sæpe doceri
Olim venturos, rerum & prædicere casus
Sueverat, in medio Mopsus sermone moratur:
Mop. Unanimi cantemus Io, Io voce triumphe!
Qui spumis serpens & nigri tabe veneni
Herycinos late tractus, & pascua læta
Pannoniæ, & septem labentem cornibus Istrum,
Atque Ararim, Rhodanumque, & turbida stagna Lemani
Infecit, vestræ jam dextræ corruet ictu.
Fer tela & calamos (calamis ea bella geruntur)
Stringe manu, nec fœda time tria spicula linguæ:
Jam rediit decus antiquum, jam pinguia florent
Gramina, jam major teneros vigor incitat agnos,
Et nuper tonsis succrescunt vellera setis,
Et multo distenta tumescunt ubera lacte.
Unanimi dicamus Io, Io voce triumphe.
Non pigeat lassis morbo aut languentibus agnis
Supposuisse humeros, si quem procumbere campo
Cernitis oblitum seræ decedere nocti:
Unanimi cantemus Io, Io voce triumphe
Ne quicquam luges miser, & solatia quæris,
Otia dum captas: curas adde, adde laborem,
Et fugient luctus, velut orto sole pruinæ:

Aſpice mane vigil primo, ſeroque recenſe
Commiſſas pecudes: nec dextram accuſet avaram
Forcipe læſa cutis: pretioſas vellere lanas,
Et timidos ſpoliare greges ſine ſanguine præſtat:
Ceſſit in exitium pecori, pecoriſque magiſtro
Talis durities, & puſtula crevit in ulcus.
Si tacitum ſubeat tecto ſub vulnere virus,
Huc ferrum medicamque manum; preſſisque latentem
Impiger ulceribus ſaniem exprime, ne qua ſuperſit
Diſſimulata lues, ſenſimque in viſcera ſerpat:
Sæpe ſub integrâ peſtis latet abdita pelle.
Quin etiam tellus aconita ſalubribus herbis
Admiſcet nocitura gregi, nuntrique venenum
Herboſo in vultu, & contagia gramine ſpargit.
Sed neque jejunum paliuro aut carice dura
Paſce gegem, vel acuta inter vepreta relinque,
Hic ubi ſilveſtres tantum ſunt pabula dumi.
At quis Paſtor oves (quas non jam paſcere preſſo
Lacte, ſed effuſo magnus vult ſanguine Paſtor)
Immemor officii dimittat? & omnium egenas
Ire ſinat, neque prima malis medicamina curet?
At ſocii quocumque micat Titana ſecuti
Ferro illibatos, nec adhuc à vomere læſos
Incipient curvo campos proſcindere aratro,
Compellentque vagum ſtabulis pecus, & tua denſa
Sole ſub oppoſita ditabunt horrea meſſes.
Cura ſit exſuccas ſterilesve evellere plantas,
Quæ foliis tantum fructu non divite gaudent:
Si qua tamen floret, multoque uberrima ſucco,
Sed ſine fruge viret, non eſt reſecanda bipenni
Continuò, ſtirpem fœcunda à matre reciſam
Vel pelli inciſæ, vel fiſſis inſere ramis;
Forſan & ipſa dabit potiores tempore fructus.

ECLO-

ECLOGA DECIMA.
FISTULARUM MATERIES.
DAMON, TITYRUS, RADAMANTUS.

Damon.

NAm quid te nostris invidit, Tityre, sylvis!
Sylvas numen amat, sylvæ sunt numine plenæ.
An quod ego vidi, multum clamante molosso,
Te rapuisse meis Pomonæ munus ab hortis?
Ne noceas aliquid credo moriaris oportet,
Abscindasve manus geminas: sed parco latroni.
Anne etiam laudem tentas auferre canendo,
Et vocis pretium? tu, qui male cultus avena
In triviis stridente soles disperdere carmen?
Tity. Vis tenui inter nos, quid possit uterque camœna,
Experiamur? ego, pugnam ne fore recuses,
Depono vitulam: dic tu, quo pignore certes.
Dam. Bis geminis agnis, qui pingue sequuntur ovile:
Efficiam ne me simili sermone lacessas
Imparibus mecum digitis congressus & arte.
Tity. Non metuo quemvis, in me mora non erit ulla.
Radam. Materiem sua cuique dabit certaminis arbor,
Fistula quâ prodit: prior incipe, tuque sequeris.
Damon. Insideo salici, salicem quoque carmine dicam:
Mœsta salix queritur, tacitos nec prodere quæstus
Sustinet, aut uteri causas aperire tumentis,
Illacrymat tamen, & læsi dat signa pudoris.
O qui me fletus, quæ, dixit, terra dehiscens
Sorbeat in fauces, penitusque in viscera condat:
Si qua polo pietas, superi! si conscia veri

Numina ferte necem miseræ suprema rogant i
Munera: quàm dulci clausissem fine dolores,
Cum potui quondam salvo illibata pudore,
Ad gemitus Dictynna pavet, pharetramque morata,
Arbor eris, dixit, domino quæ vincula tantum
Una dabis fructûsque nihil, non culmen in altum
Grandior attolles, demissa jacebis ad amnem.
Fistula detracto vocalis cortice surget,
Non regum in domibus, labris animanda superbis,
Sed quam forte puer, vel rusticus ore fatiget:
Desierat Dictynna, Salix cervice recurva
Membra reclinavit, fluviumque inflexa petivit.
Hocque situ jam planta riget, fugitiva retardat
Adnectitque solo vestigia: tum color ora
Pallidus & cortex humentes occupat artus:
Pro digitis rami surgunt, pro fronde capilli
Canescunt, exit toto de corpore truncus:
Jamque pedes fixa queritur radice teneri;
Atque, ubi sint ungues, digitique, manusque, requirit:
Omnia rugoso clauduntur cortice membra;
Brachia frondescunt ramos induta, quotannis
Quæ crescunt resecanda: nota hæc manet unica sensûs,
Sylvestres fugisse lares, & margine ripæ
Hærentem potare propinqui fluminis undas.
Rada. Incipe si quid habes, Damon: *Dam.* non fluminis orâ
Discedam aut calamis, calamo cantetur arundo
Ad fluvium: irriguas ripas prætexit arundo
Cœlo erecta caput; dependent dulcia circum
Succina, concretique abeunt de cortice rores;
Nec minor est usus, teneras seu jungere vites,
Seu libet agrestes calathos, & rustica tecta
Construere, & domibus pluvias arcere cadentes:

Seu magis incautos pisces captare dolosis
Artibus, hæc undis hamos prætendit aduncos.
Mille foraminibus garrit pulsata canentis
Arte, vago pecudes persultant gramina cursu
Ad sonitum, & Satyri passim Faunique bicornes.
Sint satis hæc, quanquam quota portio dicendorum!
Rad. Non opis est nostræ vestras componere lites:
Tu vitulâ dignus, geminis tu dignus & agnis.

ECLOGA UNDECIMA.

Neanthus, vir alioqui præstantissimus, ineptus ad Poëticen, quam impensè amat.

POLLIO, NEANTHUS, PARNASSA, TYRSIS.

Poll. Unde, & quo? bruto quid figis lumine terras
Dulcis amor nemorum, rurisque Neanthe voluptas?
Neanth. Adde odium Parnassę ludificantes amores.
Poll. Quo tu ergo solus? quid matutinus oberras
Tristior? *Neanth.* aura silet, valles, collesque supini,
Unda tacet, queruloque strepunt in pectore curę:
Ecquis erit votis modus, aut quis finis amori?
Cassa volant hæc verba notis, labor irritus exit,
Nec valuere preces: Phocas & grandia cete
Somnus habet, fessasque tenet sopor humidus undas,
Languida sopito connivent sydera cœlo,
Solus ego (proh me miserum) juxtaque, supraque
Somnorum sedem, tamen insopitus ab omni
Inconniventes oculos deflecto sopore.
Quid merui infelix? donis ut solus egerem.
Somne, tuis? dormire jubes armenta, gregesque,
Omne pecus; simulant carvata cacumina somnum:

Septima languentem Phœbe me reſpicit ægris
Stare genis, vigilemque oculo me cernit iniquo,
Non mihi centum oculos feſſo ſi præbeat Argus,
Quos vigil alternâ tantum ſtatione premebat,
Sufficiant: non, ſomne, meis te fundere totum
Luminibus poſco: tibi charior iſta precetur
Obtineatque cohors; me tange cacumine virgæ
Leniter, & ſuſpenſa ferens veſtigia tranſi.
Nulla meæ ſtat cura tibi, Parnaſſa, ſalutis;
At non Uranie ſprevit, non filia Suadæ:
Iſta, nec illa juvat, ſoli ſi denique tantùm
Diſpliceo tibi; ſi noſtram vel ſola camœnam
Averſata fugis, nec me dignaris amore;
Mille tibi miſi pendentibus eruta ſaxis
Oſtrea, fluctivagis totidem Dryadæa ſub undis
Servat adhuc, plures Nataë mihi debet echinos,
Quos vacuæ nuſquam tenuant diſpendia Lunæ.
Eſt mihi, ſi neſcis, manus opportuna legendis
Muricibus, Tyrios didici dignoſcere ſuccos,
Queis tingenda venit pretioſo lana colore;
Hoc fac ut niteas ſupra, Parnaſſa, ſodales.
Pocula bina addam, donum atque opus Alcimedontis
Queis nondum labra admovi; ſed condita ſervo.
Poma tibi ſeptem miſi, ſeptem altera mittam,
Quæ mihi conceſſit Paſtor Melibœus, ab alta
Dum mea forte ſenex audiſſet carmina rupe;
Et dixit; gracilis, puer, accipe munera Muſæ,
Qui prior has ſilvas cantu reſonare dediſti.
Cur hæc dona fugis? videor quod nauta phaſeli
Exigui, manibusque hamos & retia tractem?
Et tuus hæc iſto pater olim marmore ſæpe
Portumnus fecit, Portumnus numen aquarum
Tempore ab hoc, & jam glaucæ ſervator arenæ.
Sed laudem fugitiva tuam, & mea munera ſpernis.

Poll. Despice Parnassæ te despicientis amores:
Nanth. ah miser, ignoras doctæ sit quanta potestas
Parnassæ, & comitum Pindi juga celsa colentum!
Quisquis nec vates, nec vatum carmina curat,
Ille, licet gazas Arabum, Crœsique talenta
Congerat, antiquoque ducum sit sanguine cretus,
Attigit infausti metas inglorius ævi:
Conditur in tenebris, ut egeno pauper agello
Rusticus, & nescit caput exertare sepulchro:
Si vates aut ipse, sacris vel dona dedisset
Vatibus, invitâ vixisset morte superstes.
Mentis opumque potens Salomon oracula fudit
Carmine: clara sacris radiatus tempora Moses
Ignibus, ut rubras sicco pede transiit undas,
Carmen init, fusoque canit Pharaone triumphum:
Hi chaos & teneri prima incunabula mundi,
Et divûm genus atque hominum, & Titania secla
Vocali dixere tuba, quoque edita partu
Gramina frondiferumque genus; cur aurea ducant
Astra choros, cur se fraternis Delia flammis
Induat, & radiis eadem mox depleat haustis;
Quid portenta velint, refluos quis torqueat error
Oceani fluctus, cecinerunt carmine vates.
Quin etiam cæcos vincebant carmine morbos
Sacrifici quondam, superis gens grata, Poëtæ.
Saxa liquet docto movisse Amphiona plectro;
Fatidicaque lyra, curua de valle sequaces
In caput isse retrò refugo pede fluminis undas;
Cumque suis spelæa feris, cum rupibus ipsis
Dulcia Pierias properasse ad carmina fagos.
Ipse Lycaonias Pan carmine terruit umbras:
Carmen Appollinei Tripodes laurusque loquuntur:
Cerberus umbrarum custos atque horror Averni
Latratum posuit triplicem, tria clausit & ora
Audita captus Getici testudine vatis.

Laus Poeseos.

Vos quoque per carmen triplices oracula, Parcæ,
Per carmen vos vestra datis responsa, Sibyllæ.
Per carmen ducibus respondes, Faune, Latinis.
Queis Parnassa favet, vehit hos super æthera cantu,
Mortalesque vetat venienti occumbere letho:
Sic Mœcenatis, quem Tuscia fovit alumnum,
Carmine fama viget, populique per ora volatu,
Sidera dum rapido circumvolventur Olympo.
Hæc novi, Parnassa, tuo frustratus amore
Infelix! aliumne procul ferar exul in orbem
Navita quo nullus, nisi naufragus, æquore venit,
Quod loquor imprudens? an non per inhospita saxa
Cura sequax, & pœna comes, quocunque rates me
Forte ferent, pectus ferient, mentique subibunt?
Vitatur Boreas, & adustis solibus æstus,
Non vitatur amor, spatioque moratur eodem.
Ultrices dare præcipitem me suadet in undas,
Et lymphis explere sitim: vos ô mihi, lymphæ,
Este bonæ, mollesque manus præstate cadenti,
Ne duri veniant obitus: hæc litora nautæ
Dum rate transibunt, raucus de puppe magister
Hortatus comites, dextrum deflectite, dicat,
In latus, ô socii; vitemus forte Neanthi
Infamem scopulum, & duri loca conscia fati.
Sed queritur frustra; chelym affectare Neanthus
Ausus Apollineam, dedit isto funere pœnas:
Vindice discerpsit rictu nocturna canum vis;
Et chelys in cœlo, ceu quondam saxa, nemusque,
Sic nunc stelliferis agit aurea cornibus astra.
Pollio, pastroresque alii flevere Neanthum:
Informes gemuere feræ, lustra alta tenentes,
Auditæ aeriis in desertis ululasse.
Tecum abiit ruris jucunda, Neanthe, voluptas:
Hîc aderas, aderant simul & silvestria, Fauni,
Numina, & undantes lacrymis per litora Nymphæ
Hinc

Hinc abes, hinc absunt tecum silvestria, Fauni,
Numina, & undantes lacrymis per litora Nymphæ.
Sunt grati tecum colles, formosaque rura;
Ingrati sine te colles, deformia rura.
Ut fontes sine aquis, ut sunt sine gramine prata,
Ut sine sole dies, ut nox sine lumine lunæ;
Arida sic quallet defuncto terra Neantho.
Illo præteriens subsistet calle viator,
Felices, dicet, colles præsente Neantho.
Nunc infelices colles absente Neantho.
Hinc abes, haud gelidi fontes, haud pascua rident
Læta prius; culti sordescunt numina ruris.
Huc ades, & gelidi fontes & pascua rident,
Acceptique placent gratissima numina ruris.
Vidistin' croceo cum lux insurgit olympo,
Guttatim humenti rorem stillare roseto?
Hæc facies, hæc est mœrentis imago Neanthi.
Aspicis ut foliis cultissima germinet arbos?
Hæc facies, hæc est ridentis imago Neanthi.

ECLOGA DUODECIMA.

NANTOLIUM SIVE VITA RUSTICA.

NOn gravibus, Cęsar, gaudes, aliquando cothurnis,
Et tenui calamo non injucundius audis,
Grandisonâ quam voce cani, & clangore tubarum;
Et tua majestas tenui se temperat ausu.
Ergo sono leviore libet popularis avenæ
Dicere, pastorum qui sint, qui ruris honores,
Qui nemorum: faveat grato modo Musa labori,
Musa quies hominum, rurisque haud parva voluptas.
Oppida sint aliis: & cinctas mœnibus urbes
Incolat, urbanus quisquis contendit haberi:

Rura

Rura placent, & rura ſacro ſunt numine plena.
Pax ſylvas æterna manet: certamen id unum,
Quis ſuperos melior votivo carmine flectat:
Fecit amor vates; & amor paſſim omnibus afflat,
Hic Elegos ut ludat, ut ille libertius Odas,
Populeis alii mandent ut carmina truncis:
Arbiter hic Faunus victoribus æqua rependit
Præmia, gramineas redimitâ in fronte coronas.
Oppida ſint aliis & ſeptæ mœnibus urbes.
Felix ille animi, diviſque ſimillimus ipſis,
Qui placidos ſinit ire dies, & ſimplice cultu
Exigit inſontis tranquilla ſilentia vitæ,
Et ſorti favet ipſe ſuæ: non paſcit inanem
Lætitiam curaſque fovet, ſecurus utrinque
Incipiant res unde, & quo ſe fine reſolvant.
Non favor attollit Regum; non inſcia ſemper
Plebs ſervare fidem, vectum popularibus auris
Infido locat in ſolio: non ludit hiantem
Ambitio, & pulchros oſtentans purpura vultus.
Oppida ſint aliis, & ſeptæ mœnibus urbes.
Non umbram pavet ipſe ſuam, non conſcius omnes
Ad ſtrepitus pallet; noxis nec edacibus intus
Carpitur, aut ſplendente palam conſpectus in oſtro
Degeneri patet invidiæ; non ipſe viciſſim
Obliquo livore tumet, cæcoque veneno.
Oppida ſint aliis, & ſeptæ mœnibus urbes.
Rure agit in vacuo, ſpatiisque potitur aperti
Ætheris, aut operi inſudans longe otia pellit,
Major quippe venit ſudore parata voluptas,
Quæ ſatiata parit ſaturi faſtidia guſtus.
Oppida ſint aliis, & ſeptæ mœnibus urbes.
Irrigui interea ſaliunt per gramina rivi.
Arboribus ſpatiantur aves, ſonat aura querelis
Aut latitum aut volucrum: & quà fons argenteus errat.

Usque coloratos interstrepit unda lapillos;
Et dulces invitat amico murmure somnos.
Hic vaga cornifer insibilat aura cupressis,
Et resonat molli tibi pinus amara susurro.
Hic habitat saxis vocalibus abdita longè,
Importuna mei captatrix carminis echo.
Oppida sint aliis, & septæ mœnibus urbes.
Incola nil metuit natali incommoda rure,
Nocturnos gelido suetus Jove carpere somnos,
Vel planta algentes nuda calcare pruinas,
Et perferre famem; aut jejunia solvere solis
Glandibus, excussæ præbent quas brachia sylvæ;
Aut lassare feras cursu, aut superare natatu
Flumina, vel volucri fossas transmittere saltu,
Aut quercum annosam dura resecare bipenni,
Aut onus imposuisse humeris, validisque lacertis
Sub juga corrigeri colla obluctantia tauri
Mittere, & iratis concurrere cominus ursis,
Aut manibus rigido prædam extorquere leoni:
Oppida sint aliis, & septæ mœnibus urbes.
Hinc vigor accrescit membris, animosaque firmo
Pectore vis habitat: crudo se robore nervi
Distendunt, & membra tori robusta tuentur:
Si tuba dat sonitum, quis ad aspera convolat arma
Promptior? aut quis equum strictis domuisse lupatis
Acrior, hostilemve armis haurire cruorem,
Aut torquere sudem, aut aciem perrumpere contis?
Ducere seu vallum, sive aggere cingere castra,
Seu sit opus circum latas prætendere fossas,
Seu tormenta movere loco sternentia turres,
Ferreosque globos magno jaculata rotatu,
Nemo ausit durum agricolam contendere contra.
Oppida sint aliis, & septæ mœnibus urbes.
Rusticus insanos artus, atque Herculis armos
Ostentat, taurumque uno prostraverit ictu:

Hujus

Hujus ad aſpectum latè terrorque, pavorque
It campis; ſpectant populi, gaudentque tueri
Turbantem cuneos, & abactis agmina ſignis:
Circum adſunt comites, mentis ſolertia, & aſtus,
Et magna audentes animi, & tolerantia dura
Pectora, ſedulitaſque vigil, ſpes magna laborque,
Et cœli favor, & pennis fortuna ſecundis.
Si pax adveniat: votorum hæc ſumma, maliqu
Exilium; caret illa metu, triſtique dolore,
Et lacrymis, niſi quas ſubito nova gaudia fundunt.
Tunc Aſtræa redux patriis delabitur aſtris
Spicum illuſtre manu geſtans, quo ſidere flavet
Mox poſitura ſeges maturæ pondus ariſtæ.
Vincta fremit duris Bellona coërcita vinclis,
Noſtro pulſa ſolo, trans barbara flumina Nili:
Incurvis rigidi mutantur falcibus enſes,
Ut novus inſudet poſito jam milite meſſor
Ruſticus, & rigidis glebas invertat aratris.
Dum volat ambiguis anceps victoria pennis,
Diſcruciat mentem, & gentili imbuta cruore
Palmam odit lauroſque agnato ſanguine tinctas:
Oppida ſint aliis, & ſeptæ mœnibus urbes.
His Babylon manibus ſtetit: his Romana poteſtas
Septenâ celſum mundi caput arce locavit,
Et longe & late rerum tractavit habenas.
Sint aliis, ſine formoſis cum civibus urbes.
Nunc age, Ruricolis ſit quanta induſtria, dicam.
Dum matutinum gallus vocat æquore ſolem,
Evigilans operum ſocios adſueta magiſter
Penſa vocat, centone rudi, crudoque galero
Indutus tergum atque caput; binoſque juvencos,
Aptatoſque jugo ſtimulis ad aratra laceſſit.
Tum ſatur ipſe cibis, cantuque levante laborem,
Vomere vertit humum, fimoque & rudere paſcit.
Et mox dextra manus, ſervat dum læva caniſtrum,
Semin

Semina dispensat, quæ, ne sublime latrones
Pennigeri rapiant, verso celer obruit arvo.
Sint aliis, sine, formosis cum civibus urbes.
Est hortus junctus casulæ, quem vimina pauca
Et calamo redimita levi prætexit arundo,
Exiguus spatio, sed fertilis omnibus herbis.
Nullum gramen abest, quod pauperis exigat usus:
Nec sumptûs est illud opus, sed regula curæ.
Cœlo forte labor pluvio si cessat aratri,
Horti cura subit, varias disponere plantas,
Exiguos in opem, pedibus submittere rivos.
Hic olus, hic latè fundentes brachia Betæ
Fœcundusque rumex, maluæque inulæque virescunt,
Et siser, & capiti nomen debentia porra,
Et gravis in latum diffusa cucurbita ventrem,
Omnia quæ dorso venalia portat in urbem.
Oppida sint aliis, & septæ mœnibus urbes:
Ad casulæ portas extendit brachia ficus,
Conjuncti quæ lactis habet cum melle saporem, Ficus ad januam.
Ambrosiosque refert innato nectare succos,
Unde tulit pretium, & nomen sibi fecit in hortis,
Testis Achemeniæ ficum qui prætulit aulæ
Deliciis, claro Rex alti à sanguine Cyri.
Fitis ut allatam libavit Francia ficum,
…biferas Alpes, atque ardua claustra revulsit
…standi studio, & centum certamina movit.
Cum gravis urgeret lassas annona phalanges,
Demeruit Regem ficus donata Philippum;
…us Hamadriadum non ultima cura sororum.
…pida sint aliis & septæ mœnibus urbes.
Venerit insitio: peregrinis jungere lignis
…t excisos diversa ex arbore ramos;
… hiat truncus, ramo felicior alter
…us aptatur ramus, silvestria miti
…mina dulcescunt fructu; miratur & ornus

Ignotas

Ignotas malos, nec ſeſe agnoſcit in illis:
Pondere ab inſueto, pariendi ignara ſtupeſcit
Gentiles fugere, atque alienos ſurgere fructus.
Oppida ſint aliis & ſeptæ mœnibus urbes.
Cœpit ubi ſapiens primum frondeſcere Morus,
Ramos falce ſecat, viriſque impune fluentem
Luxuriem reprimit fingens, & robore firmat
Deciduam: tum, matris iners quæ ventre recumbat,
Acclinat ſobolem ſulco, & tellure propagat;
Aut gladio abſciſſam flentis genitricis ab aluo
Averſus rapit, atque aliò traducit alendam.
Sint aliis, ſine, formoſis cum civibus urbes.
Et dum maturis reſecat de vitibus vuas
Vinitor, & fœtos generoſo nectare fructus,
Tunc conjux, tunc virgo comes, tunc turba nepotum
Bajula completos calathos ad præla reportat;
A ſtudio decreſcit onus, ponduſque levatur.
Oppida ſint aliis, & ſeptæ mœnibus urbes.
Hic habitat tranquilla quies, & pura voluptas
Nativo cultu, & gaza prædives agreſti.
Quiſque ſibi vivit nullo ſub teſte, ſuique
Pendet ab arbitrio, nullo cenſore notandus.
Si non marmoreis ſtant olli fulta columnis
Atria, ne fulvum rutilat laquearibus aurum;
Securos in pace datur coluiſſe receſſus,
Quos metuunt intrare pavor, curæque ſequaces.
Oppida ſint aliis & ſeptę mœnibus urbes.
Dant ignem extritum ſilices, dant flumina nectar
Hauſta manu, dat ager Cererem, ſtat montibus ilex
Mella ferens trunco, & læto pomaria fructu.
Oppida ſint aliis, & ſeptæ mœnibus urbes.
Triſtis ubi ſucceſſit hiems, ſtrue ſurgit in altâ
Collucetque rogus; vicinia tota ſub uno
Convigilat tecto; grandi cum virgine fratres,
Conjuge cum conjux certatim carmina dicunt;
Carmina

Carmina civili non decedentia Musæ.
O Miseri, quotquot vel opum vel inanis honorum
Cura coquit, vestra in ventos spes omnes abibit;
Ut fundata domus cumulo fidentis arenæ,
Quamvis visa poli caput ad fastigia ferre,
A ventis tamen aut undis labefacta fatiscit.
O lætis servare modum gens nescia rebus!
Nonne fuit fortuna magis reverenter habenda,
Prospera dum vobis ad votum cuncta fluebant?
Vera salus venit è cœlo; non illa tyranni
Ense ruit sortisve rotâ, vel fraude nocentum;
Sed dum fortè dolo, vel vi cecidisse videtur,
Cæde repubescens stat, funere major in ipso.
Oppida sint aliis, & septæ mœnibus urbes.
Nam neque Pactoli gazæ, neque divitis Indi
Munera pacabunt animum virtutis egentem,
Discordemque sibi: lictorum virga tumultus
Componit vulgi, & populorum submovet undas,
Sed non serpentes curas laquearia circum
ca, pallentesque metus per tecta volantes.
Sollicitent alii votis pretiosa potentum
tria, obsideant aditus, atque atria ditis
ma domus; pugnent certatim mollia fandi
pora præripere; Ille procul civilibus undis
otus gaudet: non illum aurora morantem
nit ad portas, non anxia jurgia curat
nosumque forum, atque operosa negotia, lites.
Gaude Dei donum est, & nulli æquanda voluptas
ias inter, placidæ transmittere vitæ
dcunque est super, & pungentes fallere curas.
Fata sint aliis, & septæ mœnibus urbes.
s fugit immodicas, lætus parvoque suoque:
Quid & illudens repetit fortuna, resignat

Continuò, rigidoque libens conſueſcit honeſto.
Non ædes laxas coëmit, pretiove redemptas
Occupat, aut fœnus tabulis exegit avarum:
Fœnus amat, quod ſponte dabit cultiſſimus hor-
tus,
Fertilis aut herbis, aut conſitus arbore multa,
Quod gravidæ pecudes, armentaque fœta crea-
bunt.
Sic olim, ut fama eſt, cum nondum ferveret auri
Argentique ſitis, nec nomine crimen honeſto
Gauderet, pietas antiqua, & neſcia fraudis
Simplicitas, ſorte exigua contenta vigebant.
Nec minus & multum ſurgit nemus arbore denſa
Mollis ubi argutis in frondibus aura ſuſurrat.
Sunt loca congreſſu celebrata, apricaque luſtra,
Muſcoſusque thorus, colliſque recurvus in arcum,
Faunorum domus, unde audis armenta boare.
Et balare greges pretio numeroque carentes.
Dormiat in thalamo dives ſublimis eburno;
Agricolis ſit ſponda ſalix, & fiſſile robur.
Cui vena ſaliente ſitim ſub valle recurvâ
Siſtere, vernantique datum eſt dormire ſub orno,
O nimium felix! non toxica potat in auro,
Non bibit argento mortem: non tempora noctis
Diſtinguit lituo, ſomnique ſilentia rumpit.
Quid ſi contigerit priſcis è matribus uxor
Illæſo contenta thoro, queremque lareſque
In partem juvet, ex æquo partita labores?
Appula qualis erat mater, qualiſque Sabina
Terga gerens durata, & vultum à ſole ruben-
tem.
Cum poſito è campis remeat vir feſſus aratro;
Extruit illa focum lignis & cortice ſicco,
Includitque pecus ſtabulis, & turgida ſiccat
Ubera; tum feſtina dapes apponit inemptas.

Oppi-

Oppida sint aliis & septæ mœnibus urbes.
Ut juvat è speculis saturas spectare bidentes,
Cum sese è pastu referunt, cum lacte gravatæ
Ad mulctam injussæ veniunt, poscuntque levari!
Quanta domum reduces tauros spectare voluptas
Vomere suspenso, curvi grave robur aratri
Attrito collo & fessa cervice trahentes!
Ut juvat & crudos numeroso examine vernas
Cernere, curantes agresti corpora mensa?
Non mirum est, Cæsar, tibi si tua rura coluntur;
Regum oratorem te magno egisse cothurno,
Dum dominam coleres, septem cum collibus, urbem,
Bellorumque Ducem constat te voce tubarum
Tormentique sono, & grandi clangore locutum,
Pondere nunc belli, & rerum dum mole quiescis,
Nantolium placet, & cantus silvestris avenæ:
Quos fers cumque pedem, casiam calcata crocumque
Fundat humus, levibus mutet pia thura myricis:
Ipsæ etiam silices, nardi mutentur aristis;
Carduus Assyrio calamo, serpilla rosetis.
...lus ubi fuerat, flores Nabatheaque surgant
...mina; mollescant tibi mitia saxa sedenti.
Quod superest, aliquando tuus tua rura revise;
...lus erit, cujus dominos horrescere nutus
...garisque pati totis ingrata diebus
...ia; nullus erit, fumum qui vendat inanem.
At mater Pomana, & pictis Flora capillis
...at im tibi dona ferent. Hic otia felix
...s immixtus ages; sed nec fera turba Deorum est;
...n Martem ferrumque coles, queis corruat hostis

Ante coronatos flexâ cervice quadrigas.
Captivum errorem duces, famulumque timorem:
Et debellatas nullo enſe Cupidinis arces
Plebi oſtentabis: ſors & tibi victa trahetur,
Everſæque, rotam laceram calcabis, & orbem
Fortunæ fractum, votoque excelſior omni
Sub pedibus faſces & ſubdita ſceptra videbis.
Oppida ſint aliis, & ſeptæ mœnibus urbes.
Hic eſt muta quies, placidi comes unica ſomni
Quam plauſtrum ſtridente rotâ, ſtrepitusque viarum,
Malleus & fabri, durique incudibus ictus,
Et campana ſacris è turribus æra verentur.
Non hic Fama tubâ, aut motis Victoria pennis
Obſtrepat, aut ſocio reſonans Pæane Triumphus.
Magne armis, Magne ingenio, tu ſolus utraque
Laude viges, totumque uni tibi poſcis Homerum:
Æacides dudum alter eras felicibus armis,
Nunc Laertiades, & Cæſar Cæſare major.
O mihi ſi doctis recubanti in Phocidos antris
Inſideat tantus vati calor, ut tua facta
Bellaque fortunasque, æquantiaque arma Gradivum,
Voluere quoſque animo pugnas Mavortius ardor
Impulit, ad ſeros liceat dimittere natos!
Tunc ego victrices candentia tempora circum
Aptabo lauros, & quos tibi Parma triumphos
Debet, & hoſtili turbatus ſanguine Rhenus.
Mox tua Pieriis ſublimia montibus arma,
Loricam, & galeam, bellique inſignia ponam.
Non hic aut urbes fictæ, ſimulatave veris
Mœnia cernentur; certa ſed imagine Tibris,
Danubius, Rhenuſque, & culmina Valtelinæ
Ad pacem per te libertatemque vocata.

His ego Romani tractata negotia cœtus,
Quid mens consilio, quid virtus egerit, addam.
Argumentum ingens operis das alter Achilles;
Qualem olim tribuit Trojæ vastator Homero.
O mihi tam firmæ veniant ad carmina vires,
Quam validi ad pugnam tibi sunt, fortesque lacerti.
Ante suos repetent redeuntia flumina fontes,
Proque arvis undas curvum sulcabit aratrum,
Prove undis contrà sulcabunt arva carinæ,
Quàm vati desint laudum argumenta tuarum.
Sint alii tua qui grandes graviore Poëtæ
Plectro facta canant, nos inferiore Minervâ,
Non animis (nos non animis concedimus ulli)
Pastorale levi modulamur arundine carmen,
Mulcentes vacuas belli clangoribus aures:
Pro myrrhæ lacrymis, pro nardi mollis aristâ
Silvestrem ferimus mentham, casiamque thimumque:
Paupertas opibus cedit, non cedit amore;
Et quamvis saliuncâ humili atque palustribus herbis
Serta feram, pretiosus amor tamen aurea reddit.



LAURENTII

LE BRUN

NANNETENSIS

E SOCIET. JESU.

PSYCURGICON

SIVE DE CULTURA ANIMI

ECCLESIASTES SALOMONIS

IN CAPITA XII.

ILLVSTRISSIMO AC LAVDATISSIMO VIRO
PETRO SEGVIERO
GALLIARUM CANCELLARIO.



D quem de cunctis orbis partibus populi confluebant (VIR ILLUSTRISSIME) *nunc ipse ad te properat, Salomon recentibus sapientiæ tuæ miraculis excitus: immo & ejus sapientia præsidium ambit tuæ, quæ regno nuperis in conventibus præsidio fuit. Quod si audet coram te concionari, piæ cuidam ambitioni tribuendum est, quæ eruditissimarum aurium judicium quærit, cupitque te auditore uno maximè gloriari, in quo collectos omnium sæculorum, attentosque sapientes habet. Neque hîc poeticè loquar, si affirmavero mancam esse veluti Salomonis sapientiam, nisi sigillum apposueris, absolutamque tuo judicio reddideris. Sed dum de utriusque sapientia sermo mihi est, vix insipientiæ notam effugio; si enim hanc opellam fœtumque literarium tibi vovero; non deerunt, qui temeritatem accusent meam prudentiamque desiderent, quod te in gravissimis regni negotiis gerendis occupatissimum interpellem; at contrà quæ erit mihi ratio justæ defensionis, si sa-*

 pien-

pientissimum ævi superioris, sapientissimo nostræ ætatis omittam consecrare? Accipe igitur hunc libellum (Redivive Salomon) si arriseri, satis grandem & amplum; sin minus, placen voluntate, & nisu saltem laudabilem, quem ofert multis tum religiosæ, tum privatæ famili nominibus,

AMPLIT. T.

Addictissimus LAURENTIUS LE BRUN
è Societ. JESU.



MANUTIUS

Epist. 4. Lib. 1.

EXquisitas sententias de Cicerone excerptas, aut de Terentio tacitus in animo versabam, eas ornabam verbis quàm poteram lectissimis, ut quasi vestitu orationis mutato, cum eædem essent, aliæ tamen viderentur. Erat non dissimilis in verborum figuris commentatio. Si quas notaverem illustriores, ad alias sententias ita traducebam, ut interdum eamdem locutionem ad res prope innumerabiles accommodans, quasi ex una cerâ plures imagines, nec tamen ejusdem generis, effingerem.

Idem Ibidem.

IN hac exercitatione quantum esset, utinam aut maturè cognovissem, aut sero cognitum, avidèque arreptum vis occupationum non extorsisset. Equidem si quis me neget in scribendo quidquam esse, non pugnabo: sed si quid sum, ab hac una esse co ntendam.

PSY-

PSYCURGICON
SIVE
DE CULTURA ANIMI.

Dissertatiuncula de hoc carmine.

GEorgicon cecinit Virgilius de cultura agri, ego Psycurgicon *de cultura animi*, quod Aristoteles appellat Psycagogicon. Cum autem ab Augustino didicerim *nihil brevius, nihil verius, nihil salubrius dici potuisse* quàm quod Salomon in extremis libris scripsit de cultura animi, versu heroïco donavi Ecclesiastem, olim metrice & alio carminis genere à Salomone scriptum. De arte Poet.

Styli & dictionis rationem menti Salomonis accommodavi, medium, & mediocre dicendi genus secutus; neque enim hic reperies ducum orationes ad suos milites incitandos ante pugnam, non perturbationes, affectusque iræ, furoris, amoris; non certamina ante oculos grandi cothurno & gravioribus figuris expressa, sed nuda præcepta de excolendo animo, sine apparatu & pompa majoris eloquentiæ: Argumentum quidem postulabat, ut nobiliùs de ingenii cultu Salomon diceret quam si de agri cultura cecinisset; & ipse Virgilius, si revivisceret, ingenii cultum longè aliter caneret, quàm agri: styli tamen moderationem adhibui, ut neque nimium se demitteret, neque altius se afferret nostra poësis, memineris autem, quod animadvertit Scaliger Lib. 6. de Poet. cap. 11. varium esse stylum Virgilii in suis Georgicis, adeoque in aratione & satione imum esse dicendi genus atque infimum, mediocre in fabula Aristæi; summum in pestilentia, ideóque & me po-

tuiſſe, pro argumento capitum & mente Salomoni aut altiùs aut demiſſiùs canere. Si vis videre vari tatem ſtyli Virgiliani etiam in Bucolicis, conſule m am eloquentiam poeticam, ubi & reperies varietat ſtyli in Æneide Virgiliana, nam, ut advertit Scalig Imum dicendi genus eſt in ludis, medium in prim Libro, ſummum in ſecundo & in ſexto.

Materia hujus carminis.

Scripſit Poſſevinus libellum de cultura ingenio rum quem carmine potuiſſem donare: Prætuli Eccl ſiaſtem Salomonis, qui eſt de cultura ingenii huma in vera ſapientia ex rerum vanarum cognitione, adnotant interpretes. Patres in argumento Caten Proverbiorum ajunt materiam Eccleſiaſtis eſſe *quæ ad rectam hominis inſtitutionem faciunt plurimu* Catena Græc. in Proverb. dicit ea eſſe *quæ ad anima in virtutum ſtudio progreſſum faciunt.* Dionyſ. de E cleſ. Hierar. cap. 3. p. 3. ait eſſe *vitæ ſapientiæ moni & divinorum dulcia carmina.* Idem eſt ſenſus Am broſ. de Tob. cap. 13. à quo appellatur *bonus omnia Magiſter Eccleſiaſtes.* Denique apud Pineda omnes fermè interpretes exiſtimant materiam hu Libri eſſe ipſum hominem, & culturam humani in genii, & apud eundem, antiquorum patrum ſen tentia eſt Origenis, Athan. Baſil. Ambroſii, Hie ronymi, materiam Cantici canticorum eſſe res Theo logicas; Eccleſiaſtis culturam animi.

Animadvertit Haimo Eccleſiaſtis opus licet ag de agricultura, dum dicit: *Plantavi vineas: feci hort & pomaria* &c. non eſſe georgicon; quia agricult ram refert ulterius ad excolendum ſapientiâ an mum ex telluris aſpectu; & quanquam agat de ſo & cœlo, his verbis: *oritur ſol & occidit & ad locu ſuu*

suum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, &c. non esse tamen uranicon; quia cœli contemplationem refert ad excolendum verâ sapientiâ animum: quanquam agat de Deo & de potentia Dei, *didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum: non possimus ei quicquam addere nec auferre, quæ fecit Deus, & Deus instaurat quod abiit*, non ideo opus Theologicon debuit appellari, quia Dei opera refert ad informandum animum verâ sapientiâ ex Dei intuitu: sed quia Ecclesiastis finis & argumentum est cultura animi in verâ sapientiâ ex contemplatione rerum creatarum, & vanitatis universæ cognitione, opus hoc potuit appellari Psycurgicon, nisi mavis Psycagogicon, cujus vocabuli meminit Aristoteles de re poetica.

An materia sit poetica Ecclesiastis.

Ecclesiastes poeticus est & à Salomone versu compositus, unde inter Poetas sacros numeratur Salomon, ut bene multis probat Pineda in suo Salomone Lib. 3. cap. 13. sed nominatim *Ecclesiastem* inter *Poemata* numerat Nazianzenus de veris & germanis scripturæ libris. Damascenus autem Lib. 4. de fide cap. 18. ait *versibus constat Ecclesiastes.* Eadem est longè plurimorum opinio Ecclesiastem metricè à Salomone scriptum: unde opus assumpsi, ut vides, poëticum; Carmen alio carmine, poesim aliâ poësi donavi.

Georgica Virgiliana.

Maroni sunt rusticationis partes quatuor: prima in agrorum cultione constituta: altera in cura hortensi, sive arborum, ac præcipuè vitium: tertia in tractando pecore: postrema in procurandis apibus sive in mellificio: unde quatuor scripsit libros.

Ani-

Animadverte Virgilium & Lucretium, quo auditorem ad se raperent, ab ipso statim initio usos esse principiis valde jucundis & festivis. Neve satietas, que inter narrandum docendumque solet obrepere, in discessu auditorem comitaretur, exitus quoque librorum festivitate condivere.

Sarur. lib. 5. c. 6. c.6. In omnibus Georgicorum libris, ait Macrobius, summâ cum elegantia fecit Virgilius, ut aditione locorum perjucundorum, fastidio legentium mederetur: Ut enim omittam invocationes elegantissimas, sunt Fabulæ complures, sunt eximiæ Comparationes, Digressiones, ut de aureo sæculo, de origine agriculturæ in primo, de laudibus Italiæ in secundo: sunt Descriptiones luculentæ, ut veris, pulli equini, certaminis taurorum, equi olympici, antri Cyrenes, laborum quibus exercentur apes, apparatus & conflictus earundem. Illustrium denique metaphorarum & catachreseon magna copia.

Censent plurimi potius hos libros latinâ inscriptione *de re rustica* appellari potuisse & debuisse; opera siquidem functionesque rusticorum quatuor libris perdocent, quæ inter se diversa sunt, multumque distant: quid enim gregum armentorumque cura cum terræ cultu, quid stirpes cum apibus commune habent? iidem separatim unumquemque librum peculiari nomine appellandum putant, dicendumque primum de agriculturâ, seu de frugibus: alterum de insitione, sive de plantis, & vitibus; tertium de re pecuariâ: ultimum de mellificio sive de apibus. Certe Georgica, si vim appellationis spectes, nihil sonant aliud, quàm colendæ terræ præcepta.

Habent multas digressiones, ut in primo enumerationem prodigiorum Julii Cæsaris mortem antegredientium, consule nostram eloquentiam poeticam.

PSY-

PSYCURGICON
SIVE
ECCLESIASTIS
SALOMONIS
DE CULTURA ANIMI
CAPITA XII.



ARGUMENTUM CAPITIS PRIMI.

Salomon Initium excolendi in verâ sapientiâ animi facit ab ipso fundamento, & rerum sublunarium vanitatem ostendit; quæ cognitio primum est de cultura animi præceptum.

QUINTILIANUS.

Lib. 10. cap. 5. Instit. orator.

NOn ego Paraphrasim esse interpretationem tantum volo, sed circa eosdem sensus certamen atque æmulationem. Ideoque ab illis dissentio, qui vertere orationes latinas vetant, quia optimis occupatis, quidquid aliter dixerimus, necesse sit esse deterius. Nam neque semper est desperandum aliquid illis, quæ dicta sunt, melius posse reperiri: Neque adeo jejunam ac pauperem natura eloquentiam fecit, ut una de re bene dici nisi semel possit.

Idem Quintilianus ibidem.

NIsi forte histrionum multa circa voces easdem varia regestus potest, orandi minor vis, ut dicatur aliquid, post quod in eadem materia nihil dicendum sit. Sed esto neque melius quod invenimus sit, neque par: est certe proximis locus. An vero ipsi non bis ac sæpius de eadem re dicimus, & quidem continuas nonnunquam sententias? nisi forte condere nobiscum possumus, cum aliis non possumus. Nam si uno tantum genere bene diceretur, fas erat existimari præclusam nobis à prioribus viam. Nunc vero innumerabiles sunt modi, plurimæque eodem viæ ducunt: sua brevitati gratia, sua copiæ: alia translatis virtus, alia propriis. Hoc oratio recta, illud figura declinata commendat. Ipsa denique utilissima est exercitationi difficultas. Quid quod auctores maximi sic diligentius cognoscuntur, non enim scripta, lectione secura transcurrimus; sed tractamus singula, & necessario introspicimus: & quantum virtutis habeant vel hoc ipso cognoscimus, quod imitari non possumus.

PSY

PSYCURGIGON
SIVE
ECCLESIASTES SALOMONIS
DE CULTURA ANIMI.

CAPUT PRIMUM.

Quæ Salomon Davide ſatus, rectórque Sionis
Proximus à primo, mentis præcepta colendæ
Ediderit, dictis aures adverte, docebo.
2. Omnia mentitis illudunt vana figuris,
(Ingeminat ſapiens) nihil eſt, niſi futilis umbra,
Quidquid grande ſonat, vultúque tumeſcit inani:
Non ea ſunt tanti, mendaci ſplendida fuco
Perſtringunt hebetes oculos, & imagine pulcrâ
Senſibus imponunt, ſolo pretioſa colore.
3. Quis tibi tum fructus, cùm mille per obvia vitæ
Tædia, per caſus, variæque pericula ſortis,
Anxius ingratos in luctibus egeris annos?
Quippe laboris erit tanti, labor, unica merces.
4. Mortibus alternis ſobeles humana perennat,
Atque per æternos ortus, æternáque paſſim
Funera

1 Verba Eccleſiaſtæ filii David, Regis Jeruſalem.

2 Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes: vanitas vanitatum & omnia vanitas.

3 Quid habet amplius homo de univerſo labore ſuo, quod laborat ſub ſole

4. Generatio præterit, generatio advenit, & terra autem æternum ſtat.

Funera ſtatque caditque, nec unquam intercidit orbis
Fit natus patri, matri fit nata ſuperſtes;
Ille perit naſcente alio, gnatúsque parentes
Excipit; huic proles ſuccedit, & iſta viciſſim
Caſuram ſobolem reparanda in damna propagat:
Sic atavis, proavíſque ſuperveniſſe parentes
Aſpicis, his natos eſſe, & ſperare nepotum
Agmina, ſicque aliam ex aliâ ſuccreſcere gentem;
Uſque adeo humanæ nil ſtat durabile ſorti,
Sed cadit, atque ſua ſoboleſcit clade propago.
Suſtinet hanc ſcenam tellus ſtabilita polari
Axe ſuper, quanquam & ſimilis jam jámque ruenti,
Pendulaque expectat caſum, radicibus hæret
Ipſa ſuis, atque indefeſſo vertice montes
Inconcuſſa gerit, fundatáque mole ſuâ ſtat
Haud virtutis egens alienæ, haud indiga fulcri;
Aſt oneris ſuper ipſa ſui libramine nitens,
Ardua ponderibus ſuperaddita pondera ridet,
Et ſtans perpetui ſternit fundamina motûs.
5. Sol contrà in gyros agitur, dum terra quieſcit,
Et modò nocturnis purum caput erigit undis,
Mox idem occiduum pronus deſcendit in æquor;
Tum redit ad primos ſua per veſtigia calles,
Séque remetitur revoluto ex orbe renaſcens:
Hinc auſtrum petit, inde Arcton; ſic flexibus errans
Oppoſitis, varium trahit in diſcrimina tempus;
Annorum ſic longa facit, ſic parva dierum
Curricula, & radiis lucem diſpenſat iniquis.
6. Jam vario venti ludunt per inania curſu,
Et mox oppoſito repetunt ſua tecta recurſu
Parendi dociles: jam fulmine cuncta videbis

5. Oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum revertitur, ibique renaſcens.

6. Gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem: luſtrans univerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos revertitur.

Fervet,

Fervere, & irato sylvas Aquilone moveri,
Montibus audiri, ponto increbescere murmur;
Mox contra posito mitescere flamina fastu
Senseris, & fractas in claustra redire procellas.
7 Sed quid ego non digna loquor vertigine tanta?
In mare tot passim declivi vortice currunt,
Et Nereo pendunt æterna tributa Parenti
Undique flumina vasta, diúque exercita longo
Impete, perpetuâ nec aquarum exuberat æquor
Alluvie exundans, nec iniquâ mole tumescit
Tot circumfusis hinc inde accessibus actum:
Non rapido evincit disrupta repagula fluctu,
Immensúmve furens undantè supernatat alveo
Altius, aut tumido circumfremit impete cautes
Durius incursans, nec fundamenta procellis
Atterit, aut ripæ victrix insultat adesæ;
Objice sed tenui jacet inviolatus arenâ
Terminus, unde redit fluctus, suáque ipse resorbet
Per vestigia sese, & mole repressus amicâ
Littori inoffenso tantùm oscula mollia figit.
8. Hactenus humanis quæcunque obtutibus astant;
Nunc animos intra, & penitus scrutare; quietum
Reperies nihil, & nullo sudore paratum.
Quo res fonte fluant, vel quo se fine resolvant,
Est penetrare labor; neque quis, si prodere tentes
Voce, recensendis modus est, cùm copia sese
Fundat inexhausta, & cunctis sermonibus impar:
Nam nec habent numerum, nec rerum pondera nomen.
Aspice quà cælúmque patet, tellúsque profundumq;,
Et totus spatio immenso diffunditur orbis,
Fontésque, & fluvios, terræ juga, & infima terræ,
Arbo-

7. Omnia flumina intrant in mare & mare non redundat: ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant.

8. Cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.

Arboreumque genus; tum quidquid reptile arenam
Ventre terit, liquidúmve citis ſecat aëra pennis;
Tot vultus usque abſimiles, tot regna, tot urbes,
Sparsáque diverſo populorum examina tractu,
Tot variis genera inter ſe diſtantia formis;
Auſculta tacitus quod muſſat amicus amico,
Clámque avidam tecto interiore ſuſurrat in aurem
Et ferè inauditus: vel quod contrà intonat altùm
Voce theatrali & diſrupto gutture præco;
Non oculum viſu hoc ſatias, non vocibus aurem:
Sævit inexpletùm rabies, gliſcítque medendo
Acriùs in venas, exardeſcítque fruendo:
Semper anhelantes ſinuoſo fornice conchas
Auris habet, nova ſemper amat ſpectacula viſus.
9. Quæ ſunt facta, & quæ facimus, facienda recurrent:
Quæ vidêre patres, eadem ventura videbit
Poſteritas: & jam, quidquid fuit antè, videre eſt.
10. Nil oritur ſub ſole novum, nec ſæpe recurſans
Phœbus præteriti teſtis, teſtíſque futuri,
Orbe pererrato nova jam ſpectacula cernit:
Quæ capiunt auditu aures, quæ lumina viſu,
Omnia ſunt primis auditáque, visáque ſæclis:
An ſcire eſt animus, quam rerum poſthuma meſſem
Sæcla dabunt? quam lapſa retro jam protulit ætas.
11. Geſta patrum ignorat, facit ignoranda futuris
Cæcus homo, æternas namque intercepta ſub umbras
Fama ſubit mutum indecori cum mole ſepulchrum
Et nimis ante loquax, ſubitò poſt fata tacere
Edidicit, legéſque ſacras ſervare ſilentum:

Quæ

9. Quid eſt quod fuit? ipſum, quod futurum eſt. Quid eſt quod factum eſt? ipſum quod faciendum eſt.

10. Nihil ſub ſole novum. Nec valet quiſquam dicere, Ecce hoc recens eſt: jam enim præceſſit in ſæculis, quæ fuerunt ante nos.

11. Non eſt priorum memoria, ſed nec eorum quidem quæ poſtea futura ſunt, erit recordatio, apud eos, qui futuri ſunt in noviſſimo.

Quære opibus laudes, & inanis nomina famæ,
Immemor hæc condet ſub inerti nocte vetuſtas:
Inſere corticibus titulos, ut in arbore vivant
Accreſcántque ſimul, duris incide metallis
Marmoribúsque; metet plantas inimica ſecuris
Artificum, vel lenta pigro, falx temporis, ictu;
Mors veniet ſaxis, monumenta exeſa fatiſcent.
12. Summus ego Solymæ Princeps, atque Iſacidum Rex
Obtutu tacito mecum undique circumſpexi,
Quod ſenſu ſolo, aut una luſtrabile mente eſt;
13. Sic placitum eſt ſuperis, iſta dum mole gravamur,
Quiſque habet immenſi faſtidia ferre laboris,
Nec potis eſt unquam extremo diſcrimine fungi.
Quo ruit implexus ſtudiis certantibus orbis,
Infidúsque ſibi, & vota in contraria pugnax?
Quid vigiles curæ, deſudatíque labores?
Scilicet impellunt ſaxum revolubile niſu
Siſyphio, & ſummis fugientia flumina labris
Prenſant fruſtrati, delusáque vota fatigant:
Omnibus hunc toto Deus arbiter orbe laborem
Imperat, aut æquâ vel iniquâ mente ferendum.
14. Qua tellus porrecta patet, quà liquitur aër
Ius in immenſum, quà latè extenditur æquor,
Aſpexi, ſolémque oculis, ac mente ſecutus
Luſtravi quæcumque videt; ſed cuncta tuenti
Viſa moleſta mihi, graviora & pondere terræ,
Mobiliora ſalo, leviora fugacibus Euris.
Aſpice quicquid ineſt circumque, infráque, ſupráque,
Nil niſi ſpectra vides, quæ ludificantia mentes

12. Ego Eccleſiaſtes fui Rex Iſrael in Jeruſalem; & propoſui in animo meo quærere, & inveſtigare ſapienter de omnibus, quæ fiunt ſub ſolo.

13. Hanc occupationem peſſimam Deus dedit filiis hominum, ut occuparentur in ea.

14. Vidi cuncta quæ fiunt ſub ſole; & ecce univerſa vanitas, & afflictio ſpiritus.

Obtusas hominum, dulci perstringere norunt
Illicio, fictaque boni fulgere sub umbra;
Omnia sunt vani mendacia splendida fuci.
15. Quæ distorta semel nodo riguêre tenaci,
Luctatus contrà nequicquam inflectere tentes;
Sic rectâ semel abreptus regione viarum,
Vix redit, & gressum in vestigia prima retorquet:
Stultorum numerum innumerũ quicumque negabit
Stultorum augebit numerum stultissimus ipse.
16. Sic tacitus: quis me regum felicior alter:
Quin animus sophiæ cupidus, tellure relictâ
Exuere infernæ cœpit contagia labis,
Calcatas per opes, & per fastidia terræ
Sidera rimari, patriísque assurgere regnis:
Dúmque polum subii, titulos exosus inanes,
Emeritæ virtutis opes, humilésque triumphos
Anteruli regnis, didici mage flore caduco
Deciduam pompam; regnum mutabile sortis
Incertæ spolium, vitam ceu fluminis undas,
Aut volucres euros, ceu denique missile telum
Effluere, & lapsis discedere promptius umbris;
Cuncta rapi foliorum instar, vanescere cuncta.
17. Quidquid & humanæ solers industria mentis
Audet, & assequitur, sum solus adeptus, & ausus;
Dum visu per cuncta feror, nil suggerit orbis
Undique non vanum: rosei vanissima vultûs
Purpura, quam canis infuscat decolor ætas;
Quidquid & è spoliis super est, hoc esca secundis
Hostibus in tumulo cedit: vanissima fama est.

15. Perversi difficilè corriguntur, & stultorum infinitus est numerus.

16. Locutus sum in corde meo dicens; ecce magnus effectus sum; & præcessi omnes sapientià, qui fuerunt ante me in Jerusalem; & mens mea contemplata est multa sapienter & didici.

17. Dedique cor meum ut scirem prudentiam atque doctrinam, erroréſque; & stultitiam, & cognovi quòd in his quoque esset labor, & afflictio spiritus.

Quæ busto caput exercat, sed labilis ævi
Mox restat spolium: vana est Cytherea, per ipsos
Si fatum ruat amplexus, & tæda jugalis
Acceleret mortis tenebras: est vana juventus,
Atque ætatis honos, si dulcibus Atropos annis
Inserat se mediam: cupidi vanissima Ditis
Munera, si naulum nequeunt exanguibus umbris
Solvere; vanus honos regni, si fata ligones
Exæquant sceptris: vana est doctrina, diurnum
Quam studium, & vigili, curæ, de nocte laborant,
18. Doctrina sed enim crescente, molestia crescit;
Et velut ad radios fumosæ est nata lucernæ,
Sic sapit auctorem vigilata scientia fumum.

18. Eò quòd in multa sapientia, multa sit indignatio: & qui addit scientiam, addit & dolorem.

ARGUMENTUM
Capitis Secundi.

Exponit vanitatem, atque inconstantiam humanæ mentis, nec non levitatem immoderatæ concupiscentiæ, quæ sapientiæ studio propter difficultatem dimisso, avidissimè se transtulerit ad corporis voluptates consectandas; ac rursus frustra redierit ad sapientiam cum voluptatibus conciliandam: atque utroque tandem illo fastidito, vanissimè se tradiderit sollicitudini colligendarum opum, non tam sibi, quàm suis, quos nescit, hæredibus profuturarum. Quod magnum est præceptum in cultura animi.

CAPUT SECUNDUM.

De cultura animi.

1. SIc igitur mecum tacitus: juvat ire per omnes
Delicias, curásque omnes immergere baccho;
Menſa coronetur dapibus, quas pontus, & aër,
Quas melior dat terra ſinu, luxúſque ſuperbâ
Ambitione tumens, elementa per omnia quærit.
Huc ades, ô domitrix curæque famíſque voluptas!
Funde merum pateris; aliò deferte dolorem,
Et luctum, & gemitus, & ſingultantia verba
Ventorum officioſa cohors; per inane faceſſat,
Si qua meis poſthac ſe cura penatibus infert:
Aſt ubi diſcuſſus ſopor, & mens reddita luci eſt,
Hæc mecum: ô fallax Siren! ô lena voluptas,
Quæ blando argutæ captum modulamine vocis
Cæcos in ſcopulos, & proxima funera ducis!
Hîc ubi feſta ſtrepunt, genióque, cutíque litatur,
Nobiſcum paribus cyathis mors ebria ludit:
Scilicet has inter pateras, libatáque menſæ
Fercula, de tenui filo tibi pendulus aſtat,
Et capitis lambit faſtigia deſuper enſis:
2. Turpiter informi qui riſum effuſus hiatu
Præcipitat, nimio diſtendit & ilia motu,
Inſanum hunc dixi: & vultu dum gaudia prodit,
Sic ego, quid vecors felici ſorte triumphas
Stultiùs, elatáque tumens cervice ſuperbis?
3. Protinus hæc animo: pudet heu quod ſola fruendæ
Cura fuit lucis, pronique in fercula ventris.

Tum

1. Dixi ego in corde meo: vadam, & affluam deliciis, & fruar bonis, & vidi quòd hoc quoque eſſet vanitas. 2. Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis? 3. Cogitavi in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad ſapientiam, devitarémque ſtultitiam: donec viderem, quid eſſet utile filiis hominum: quid facto opus eſt ſub ſole numero dierum vitæ ſuæ.

Tum subitò aversatus opes, & commoda vitæ,
Sublimem erexi propria ad penetralia mentem,
Rimantem divina, absentem & pectore toto,
(Corpore nam quantò tardanti longiùs illa
Exierit, tantò volat altiùs ardua, terras
Supra omnes, victrix & sensus sub juga mittit)
Ut remota cibis, cœlo & vicina capessens,
Séque suprà assurgens, & inani parte relictâ
Corporis, exciperet purgata per organa lumen,
Et supra populorum undas, & inertia vota,
Disceret ire viam ignotam mortalibus ægris,
Inspectura, omni si quid sit amabile vitâ:
Exemplis, non judiciis humana reguntur
Consilia; & numerus, non pondus quæritur; at, quò
Vulgus iners ruit in præceps, huc vota feruntur.
4. Regifico struxi non una palatia luxu
Marmore conspicienda, & barbarico elephanto:
Exundans juxta turgentibus uva racemis
Purpurat, & largo pubescit vinea fructu.
5. Nec fuit arborei fœtus studiosior alter,
Namque subest multæ cultissimus arboris hortus,
Vix & opes fert planta suas, sed pondere multo
Indigáque auxilii, terræ incurvata recumbit:
Nec minus & multum cælo nemus arbore densâ
Surgit, ubi spirant argutæ in frondibus auræ:
Sat loco congressu celebrata, acceptaque fessis,
Seu juga, seu ripæ virides, muscosáque saxa:
6. Non longè irriguis piscinas nutrit ab undis
Rivus, & umbriferas vaga per sinuamina currens
Lavat plantas, prætérque innoxia rura
Labitur, erranti similis, floresque comantes
Parturit, aut genitis fœcundum sufficit imbrem,

4. Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, & plantavi vineas. 5. Feci hortos, & pomaria, & consevi ea cuncti generis arboribus. 6. Et extruxi mihi piscinas aquarum ut irrigarem silvam lignorum germinantium.

Et modo messe agros, modò pingit floribus hortos
Dum lenes provoluit agens anfractibus undas:
Sic gemina hortorum pariter nemorúmque volupta[s]
His passim nutritur aquis. 7. Fremit aula ministri[s]
Vernarúmque cohors volat obsequiosa jubentis
Ad domini nutus; quid dicam armenta boare,
Et balare greges, numero pretióque carentes?
Nam quis divitiis regem prævertere tentet?
8. Sed dites inter proceres ditissimus ipse
Consideo, sceptris speculatus cuncta jacere
Inferiora meis; solitâ nec sorte vetusti
Contentus decoris, nulli superanda nepotum,
Nulli æquata patrum, laudem ad fastigia, supra
Omne tuli votum: grave pondus divitis auri
Obscurat veteres, obscurabítque futuros,
Quos verax vel fama tulit, vel fabula finget
Insignes opibus: mihi vectigalia pendunt
Vicini: lætis aures concentibus implent
Cantores, queis cantatrices adde puellas,
Incantatrices hominum: non aurea desunt
Pocula, nec quicquid conquirit ubique locorum
Prodiga luxuries, & amans splendescere fastus.
9. His me, præ reliquis Solymæ rectoribus, auctum
Una gubernatrix, vitæque magistra gerendæ
Usque affixa comes lateri Sapientia duxit.
10. Nil votis renuo, seu quod sit amabile cordi,
Seu cupido quodcumque placet spectabile visu:
Mens fruitur, quodcumque rogat; licet una rogand[i]

7. Possedi servos, & ancillas, multamque familiam habui; armenta quoque, & magnos ovium greges, ultra omnes, qui fuerunt ante me in Hierusalem. 8. Coacervavi mihi argentum, & aurum, & substantias regum, ac provinciarum; feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum, scyphos, & urceos in ministerio ad vina fundenda. 9. Et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Hierusalem: sapientia quoque perseveravit mecum. 10. Et omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ præparaveram: & hanc ratus sum partem meam: si uterer labore meo.

Mensura est, votis quidquid ferventibus ingens
Extremúmque venit; nil jam superesse, quod optet,
Conqueritur cumulata: & quò sese ipsa fatigans
Et magis, augetur magis, exuperatque voluptas:
11. His tamen ad cumulum, & votum super omne potito
Vera labor visa est; crux sceptrum, laurea pondus.
Hæc vulgus miretur iners, cuique æris habendi
Dira sitis crassâ oblimat præcordia tabe;
Fascinat argenti fallax nitor, & nitor auri.
Cui venâ saliente sitim sub valle recurvâ
Sistere, frondentíque datum est dormire sub ulmo,
Felix, ô nimium felix! non toxica gemmis
Excipit, aut pleno mortem miser ebibit auro.
Quoquò oculos verto, quoquò vestigia flecto,
Stultitiâ pars nulla vacat, locus exhibet omnis
Pro rebus simulacra, leves pro fructibus umbras;
Queis nimium addictus segni torpore fatiscit
Spiritus, occultas quia non cœlestia vires
Pabula sufficiunt, languórque invadit inertem.
12. Proinde vigil cuncta explorans, mentisque per errans
Luminibus tacitis, requiescere pectore sensus
Incipio, & propriâ mentem statione locare
Ad supra fortísque vires, ubi tota penetrat
Et totam, ingens ingentem, & defixa recedit
In sese, fœcundum exercens pectore numen,
Orbe procul nostro, mundi prævecta quod usquam est:
Támque hoc hospitio potitur, séque ipsa fatigat
Acrius, & vires intra sese colligit omnes,

 Solerti

11 Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole. 12. Transivi ad contemplandam sapientiam, erroresque, & stultitiam (quid est inquam, homo, ut sequi possit regem factorem suum?) ..

Solerti studio vigilíque expendere curâ
Et volui & cœpi, valeat sapientia quantùm
Rebus in humanis, quantùm dementia possit:
(Nam nec ego æquandus, nedum superabilis ulli
Consilio, Isacidûm princeps, quo nulla priorem
Sæcula; nulla dabunt animo & virtute secundum)
13. His ita collatis tantùm sapientia præstat
Stultitiæ, quantùm superat lux aurea noctem:
14. Nam sapiens, tanquam excubiis speculator ab altis
Erectus mentem, summáque in sede locatis.
Luminibus, velut arce super, latè omnia visu
Circumspectat agens, animumque per omnia volvit;
Stultus inerte gradu per compita devius errat.
Nec tamen usque suis fidat sapientia rebus,
Prudentem stultúmque eadem fortuna sequetur,
Lex similis necis, ut vitæ communis origo;
15. Unde alto mecum tacitus sub pectore dixi,
Si stultus prudensque pari conduntur in urnâ,
Dissimiles vitâ, si fato æquantur eodem,
[illegible]vanum, Pimplæa, decus! quid tempora cingit
Phœbæus decor, & bene desudata lucernâ
Pallenti laurus, si meta novissima cunctos
Sórsque manet similis, potare oblivia lethes?
Non mortem tardat pietas; properantibus annis
Prompta venit, mutatque comas, animique vigorem.
Indomitæ debent sese fortissima morti
Pectora; nulla fuga est, sensimque suprema ruit lux.
Non si Erebi regem, tauris mulcere tricenis

Insti-

13. Et vidi quòd tantùm præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris. 14. Sapientis oculi in capite ejus: stultus in tenebris ambulat: & didici, quod unus utrisque esset interitus. 15. Et dixi in corde meo, si unus & stulti & meus occasus erit, quid mihi prodest quod majorem sapientiæ dedi operam? locutusque cum mente mea, animadverti quod hoc quoque esset vanitas.

Institeris, votis fuerit locus: Ille superbum
Geryonem, Tityonque nigro Phlegetonte coërcet
Ferreus, & nulla ingenii placabilis arte.
Huc iter est cunctis, cœli qui munere & aura
Vescimur: hoc gravis expectat nos Portitor omnes
Littore, sive pedum manibus, seu sceptra geramus.
Falcibus, & rastris frustra mutabimus enses,
Ne mors falce metat spoliatos fortibus armis:
Frustra alio terras positas sub sole petemus,
Ipsa rates scandit, viresque assumit ab unda,
Atque mari veluti certo linit arma veneno.
Ergo Stygis vada fœda, pigraque obscœna palude
Nulli non calcanda semel: stat Belides illic,
Probrosum Danai genus, assiduoque rotatu
Sisyphus Æolides summo lapsura volutat
Saxa jugo, nec certa quies aut meta laborum est.
Agricolis linquenda casa est, & regibus aula:
Cuique thorus, consorsque thori linquendus, & uxor
Fronte placens; fructusque thori, qui ludit in ulnis
Dulce tuis pignus, tua spes, tua maxima cura.
Atque tot ex plantis, quæ lege atque ordine certo
Dispositæ surgunt, domino non ulla tegendo
Mæsto aderit, nisi fors tumulo statuenda cupressus.
16. Gestarum fugitiva dies oblivia rerum
Inducit, nequeunt magni cultíve labores
Ingenii, doctum communi à lege sepulchri
Solvere, & æternæ spirantem ostendere famæ.
17. Hinc onerosa gravis surgunt mihi tædia vitæ
Spectanti, quàm sæva viros fortuna fatiget,
Et quibus ærumnis, quot tempestatibus acti
Præcipites diram in mortem, & suprema feramur
Exitia.

16. Non enim erit memoria sapientis similiter ut stulti in perpetuum: & futura tempora oblivione cuncta pariter operient, moritur doctus similiter & indoctus. 17. Et idcirco tæduit me vitæ meæ & videntem me universa esse sub sole, & cuncta vanitatem, & afflictionem spiritus.

Exitia, oppreſſi, nec opis nullius egentes.
18. Damno operam, dubius, quis ſumat inempta laboru
19. Præmia, num compos animi, num mentis egenus:
20. Quo quid inane magis? nam cùm ſudore perenni
21. Veſtiges altè, & magno rimeris amore
Palladias artes; tanto ſudore paratas
Hæredi deceptus opes transmittis inerti,
Quas ſtertens gratis recipit molimine nullo.
22. Poſt matutinos verpertinóſque dolores
23. Quis tibi tum fructus? duro ſol igne labores
Accendit, velut imbre pluit nox anxia curis,
Non ſine nube dies, neque nox ſine turbine tranſit,
Quis neget hoc vanum, magnumque in rebus inane?
24. Temnere amat bene cautus opes mage quiſque potiri
Quàm ſtudeat: quantum ipſa ſinit natura, diurno
Pane famem, vinóque ſitim compeſcere præſtat.
Grande Dei donum eſt, & nulli æquanda voluptas,
Delicias inter, placidæ tranſmittere vitæ
Quodcumque eſt ſuper, & pungentes fallere curas.
25. Libarunt alii, plenis quas ſenſibus hauſi,
Delicias; quis enim vixit me lautiùs alter,
Séque voluptatum majori gurgite merſit?
26. Hoſtiles vitare manus, aperire ſagaci
Corde dolos, juſtis Deus, & ſua ſigna ſecutis
Munificus præbet; ſed luctifico comitatu
Exercet ſceleratum, & edacibus aſpera curis
Pectora, ut aſſidui ſibi nutrimenta doloris
Divitias cogat, quas mox ſibi vindicet alter,
(Ut viſum eſt ſuperis) verus non occupet hæres;
Hoc quoque grande malum, & ſtolidæ veſania mentis.

18. Rurſus deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, qua ſub ſole ſtudioſiſſimè laboravi habiturus hæredem poſt me 19. Quem ignoro utrum ſapiens, an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis, quibus deſudavi, & ſollicitus fui: & eſt quidquam tam vanum? 20. Unde ceſſavi, renuntiavítque cor meum ultra laborare ſub ſole. 21. Nam cùm

cùm alius laboret in sapientia, & doctrina. & sollicitudine,
homini otioso quæsita dimittit, & hoc ergo vanitas, & magnum malum. 22. Quid enim proderit homini de universo
labore suo, & afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est?
23. Cuncti dies ejus doloribus, & ærumnis pleni sunt, nec
per noctem mente requiescit. Et hoc nonne vanitas est?
24. Nonne melius est comedere, & bibere, & ostendere
animæ suæ bona de laboribus suis? & hoc de manu Dei est.
25. Quis ita devorabit, & deliciis affluet, ut ego? 26 Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, & scientiam.
& lætitiam: peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam, ut addat. & congreget, & tradat ei, qui placuit
Deo: sed & hoc vanitas est, & cassa sollicitudo mentis.

ARGUMENTUM.

Libri tertii.

Ex vicissitudine, & mutatione rerum omnium sublunarium cum tempore fluentium, & suas etiam cum tempore habentium durationis periodos, colligit cupiditatem humani cordis, atque humanæ sollicitudinis vicissitudinem, varietatem, inconstantiam, statum, intereundi terminum; ex stabilitate verò divinorum operum, & divinæ providentiæ cursu cognito hortatur ad tranquillam vitam, & multiplices curas tam præposteras, quam præproperas & immaturas abjiciendas, prout tempus tulerit.

CAPUT TERTIUM.

1. OMnia secum affert, secum aufert omnia tempus:
Alternas Cytherea vices, Libitináque servant:
2. Cuique suæ data meta viæ; primordia vitæ
Parca trahit, rumpit signato tempore fila;
Ordo suus stat cuique? suóque arbusta feruntur
Tem-

1. Omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt universa sub cœlo. 2. Tempus nascendi, & tempus moriendi: tempus plantandi, & tempus evellendi quod plantatum est.

Tempore, & ex patriâ radicitùs eruta ſede
In melius virgulta ſolum geniúmque moventur.
3. Tempus habet medicina ſuum, ſua tempora vulnus
Nunc terræ, nunc cœlo æquare palatia tempus.
4. Eſt cùm flere juvat, fletumque expellere riſu,
Et variare vices; oculos jam lacryma fœdat,
Moxque ſerenati vultus, & amica reductis
Gratia deliciis planctu fugiente reſurgit.
5. Marmoreæ disjecta domus jam culmina Princeps
Ima ſede ruit, fundamentúmque revellit;
Iámque ſuperbificam, damnatâ clade, ruinam
Ruderibus decorat lectis, atque arcibus arces,
Marmora marmoribus ſuperextruit, ædibus ædes.
Cogere jam tempus lapides, jam ſpargere tempus,
Tempus in amplexum ruere accedentis amici;
Tempus ab amplexu procul eſſe abeuntis amici:
6. Quærere tempus opes, quæſitas perdere tempus.
Servare eſt tempus, partas effundere tempus.
7. Texere jam tempus, jam texta retexere tempus,
Audire eſt tempus, tempúsque audita referre.
8. Dulcis amor, crudele odium ſua tempora norunt,
Et ſua habet Mavors, & habet ſua tempora Pallas.
9. Quando ergo æterno volvuntur cuncta rotatu,
Quæ merces ſudoris erit? 10. mortalibus ægris
Quippe molam Deus æterno dedit orbe movendam,
Quiſque ſuas patimur pœnas, ut iniqua tulit ſors.
11. Nec nulla interea eſt geſtarum gloria rerum:
Nil

3. Tempus occidendi, & tempus ſanandi. Tempus deſtruendi, & tempus ædificandi. 4. Tempus flendi, & tempus ridendi. Tempus plangendi, & tempus ſaltandi. 5. Tempus ſpargendi lapides, & tempus colligendi: tempus amplexandi, & tempus longè fieri & amplexibus. 6. Tempus acquirendi: & tempus perdendi: tempus cuſtodiendi, & tempus abjiciendi. 7. Tempus ſcindendi, & tempus conſuendi. Tempus tacendi, & tempus loquendi. 8. Tempus dilectionis, & tempus odii. Tempus belli, & tempus pacis. 9. Quid habet amplius homo de labore ſuo?

Nil operante Deo factum malè; quæque suo res
Tempore gesta fuit; cœli convexa supernè
Machina, subter humus statione resedit in imâ,
Tempore quæque suo; tenebris lux clara fugatis
Enituit; tellúsque, salo cedente, retecta est,
Ordine quippe suo noctes partita diésque
Astra gradu certo currunt; elementa diremptis
Litibus inter se præscripto ex fœdere vivunt:
Sed quo gesta modo, vel qua ratione gerentur,
Quæ facienda manent, mentem hæc caligo futuri
Occupat, & dubio pendent examine lances.
Hoc homines studium ductúque & luce carentes
Præcipitat, cúmque à veri vel tramite paulùm
Deflexere, diu longis ambagibus errant.
Est homini nescire pudor, causásque latentes
Rimatur, stimulátque animos sitis una sciendi.
Unum hoc humanas vocat in certamina mentes
Dissidium, curis acuens mortalia corda:
Desinat humanæ quisquam confidere sorti.
12. Nil didici melius, quàm gaudia mente potiri,
Atque aliis potienda dare, & certare priorem
Officiis; 13. Grande hoc concessum à numine donũ est,
Si quid edat, lautúsque bibat, vitámque beatus,
Quantum adversa sinunt, tranquilla per otia ducat
Terrore haud ullo, haud ullo intercepta dolore.
14. Ast didici, quæcumque facit divina potestas,
Supra stare vices, sortem & mutabilis ævi,
Humanum ut supra captúmque modúmque geruntur,
Nul-

10. Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in eà. 11. Cuncta fecit bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem. 12. Et cognovi quòd non esset melius nisi lætari, & facere bene in vita sua. 13. Omnis enim homo, qui comedit, & bibit, & videt bonum de labore suo, hoc donum est Dei.

14 Didici quòd omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum, non possumus eis quicquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus ut timeatur.

Nulláque divinis speranda oblivia factis;
Grande nefas his quicquam auferre, his addere quic-
quam:
Ordinat ista Deus, quò majestate verendus
Deprimat audaces animos, aciéque retusâ,
Attonitum incutiat tremefacta in corda pavorem.
15. Quæ sunt gesta priùs, rursus facienda redibunt
Singula; fit quod jam factum est; & calle rementi
Omnia sol spectans spectabilis omnibus idem
Nil videt, in primis quod non conspexerit annis:
Ille peragrato sua per vestigia cœlo
Sæcla redorditur, spatióque recurrit eodem.
Nulla nova est, fuit antè dies, quæcumque futura e
16. Grande malum; viget impietas pietate jacente,
Et violata dolus Themidis prætoria scandit:
Exulat ille animus, solers lustrare recessus
Implicitæ litis, momentáque pendere rerum.
Nequicquam læsi, malesani judicis urnam
Implorant inopes; potior qui munere, jure
Is potior vincit, causas & dona perorant:
Gratia jus omne est, justos in iniqua retrudit
Vincula, dum merito sontes è carcere solvit.
17. Protinus hæc mecum: idem oculus spectator a
astris,
Idem aderit vindex: justósque reósque tribunal
Ante suum sistet; trutinâ bonus exiget æquâ,
Seu bene, sive secus facias: si tempora novit
Quodcumque est, sua dicundum jus tempora posci
At veniet funesta dies, cùm Phœbus opacâ
Nube caput condet, concusso & cardine mundi
Mugi

15. Quod factum est, ipsum permanet: quæ futura su
jam fuerunt: & Deus instaurat, quod abiit. 16. Vidi sub
le in loco judicii impietatem. & in loco justitiæ iniquitat
17 Et dixi in corde meo justum, & impium judicabit De
& tempus omnis rei tunc erit.

Mugiet horrendum latè fragor; ira supremi
Judicis expendet justo libramine crimen.
18. Addebam quoque: dissimulat delicta nocentum
Quæsitor rigidus, sed fraus & aperta patebunt
Facta: manus vindex mox, improbitate retectâ,
Non dominos orbis, regnatorésque superbos,
Non capita imperiosa, feris distare probabit.
19. Sub leges Libitina suas jumenta, virósque
Una vocat; prudens si justo examine penses,
Nulla virûm invenies discrimina, nulla ferarum;
Est homini pecoríque eadem lex dicta sepulchri:
Usque adeò simili cernuntur quæque ruinâ
Ferri, & eò, fuerant prius unde avulsa, reverti;
Nam semper cadit, atque suâ stat morte propago.
20. Undique volve oculos circumque infraq; supraque,
Quidquid luna suo mutabilis orbe coërcet,
Corruit in sese, & per mutua vulnera semper
Dat vel habet casus, alióque renascitur ortu.
Sic perit atque vices variat, dubioque tumultu
Fluctuat incertùm, nec habet sors ulla quietem.
21. At quota pars quæque ex illis, qui turgida fastu
Corda gerunt, collóque jugum obluctante recusant
Ferre indociles, & iter commune relinquunt
Doctrinâ elati, quota pars agnovit in astra
Humanas animas, solóque authore creatas
Numine, deposito tardanti corpore, sursum
Tendere inextinctas, quas mox compage solutas
Excipiunt loca pura, & formosissimus æther?

At

18. Dixi in corde meo, de filiis hominum, ut probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestiis. 19. Idcirco unus interitus est hominis, & jumentorum, & æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius: cuncta subjacent vanitati. 20. Et omnia pergunt ad unum locum; de terra facta sunt, & in terram pariter revertentur. 21 Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum: & si spiritus jumentorum descendat deorsum?

At pecudum contra, euanescere in ima, caducas
Extenuatæ animæ partes? hi mentis egentes,
Et pecorum ritu, nil massam præter, humóque
Concretam molem, quæ morte occumbit, & annis
Carpitur, humanum ducunt: bruto æqua, viroque
Fata manere, eadem lucis data iura fruendæ:
Sunt curuæ in terris animæ, & sublimium inanes,
Queis hominum, forma vna potest defendere nomen.
Proh cæcas cordis tenebras! furor impius egit
Mortales, animis compage carentibus omni,
Ortis patre Deo, brutorum affingere tardam
Pigritiem: pars si hæc ingens, quâ vivimus unâ,
Corporea cum mole perit, iacet ilicet omnis
Victa fides, cœlóque olim promissa voluptas:
Intuitor, victrix vt molis, obambulat astra
Terram extra corpúsque, suísque enititur alis;
Illa notos superat, longèque in sæcula vibrat
Ardentes transuecta oculos, venturáque lustrat.
Illa solo & membris terrenâ mole grauatis
Altior, infernæ fugiens contagia labis
Extra se rapitur, mirúmque volubilis orbem
Assiduè rotat, & gyrum metatur eundem:
Una hæc corporeas pestes, turbásque cientem
Immunem ratione animum, ditione coërcet:
Et tamen hanc (ne falsa adeò consuesce doceri)
Dixeris exscindi! flammâ licèt, & licet ictu
Incoctum chalybem duraueris, illa securim,
Tundentísque manum violari nescia ridet:
Scilicet obscæna hæc tellus, & mobilis aër,
Et flammæ leuitas, & aquarum debilis humor,
Materiam vt lethi moribunda in corpora versant,
Sic quoque cognatam, necis in consortia, mentem
Coniiciant? quasi multiplici mens parte cohærens
Defici

Deficiat sensim, timeátque caduca ruinam?
Maxima pars nostri æterna est, neque cernitur vlli.
11. Haud cœli exiguum donum est, defessa paratis
Membra leuare bonis, & amicâ pascere mentem
Lætitiâ; neque te quidquam præstare beatum
Posse putem, nisi lætus edas, partísque fruaris,
Præsentique studens venturum tempus omittas.
Hæc mentem vna iuuat merces in corpore clusam,
Ignavósque habitantem artus, & membra trahentem:
Ex rigido neque enim tellus adaperta recessu
Exicitos reuomet supera ad conuexa silentes,
Vt videant, quæ functa semel post fata gerantur.

22. Et deprehendi nihil esse melius, quàm lætari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius, Quis enim eum adducet, ut post se futura cognoscat.

ARGUMENTUM
Capitis Quarti.

Pergit in demonstranda rerum humanarum vanitate, & afflictione spiritus: ostendens multa esse præsertim in illa honorum cupiditate, & primatus occupandi ambitione, quæ tranquillitatem impediant, & vitam perturbent, videlicet calumnias egenorum, tyrannidem potentiorum, aliorum invidiam, infidam amicitiam, maiorum insolentiam; & id genus alia; quibus medetur divinæ providentiæ timor & cultus, simul interim piis, & supplicibus ad Deum precibus,

CAPUT QVARTUM.

1. HInc mentem averſus, quantum vexetur iniquo
Sub capite, injuſto quantum ſub præſide juſtus
Aſpexi, ut gemui; & ſortem nil tale merentis
Indolui: unus enim gemitus ſolamen egenis.
Jamque adeo fractis, & rerum mole gravatis
Nil, præter cœli conſpectum & vota, relictum eſt.
Quippe gemit virtus, juſtúmque licentia contra
Inſurgit, dirâque deeſt in ſorte levamen:
Aſt animi pendet, qua ſe ratione, quibúsve
Protegat auxiliis, qua ſiſtat & arte ruentis
Fortunæ caſum, propioráque fata moretur.
2. Sors potior viſa illorum, qui ſine dolores
Prævertunt ſubito, quibus & properata ruit mors,
Nec libare ſinit, niſi primos luminis uſus;
Quam quibus opportuna quies, & mortis adempta est
Conditio, longorum & meta negata laborum.
3. Tantum illos terris oſtendunt fata, neque ultra
Eſſe ſinunt, properantque citam accelerata quietem,
Surgentem & primo vitam cum lumine claudunt;
Aſt hi ſervitio, dirâque tyrannide rerum,
Fatalem ducunt adverſa per omnia vitam,
Et moribundi animam ſolvendâ mole coërcent.
Quid juvat in tantos vitam exoptare labores,
Vel qua ſpe illectus procedere longiùs optes
Vitæ hujus ſpatium, nullo impellente, ruentis?
4. Livorem & rixas diſſeminat æmulus ardor
Æquales inter, ſimili quos arte labores

Pe

1. Verti me ad alia, & vidi calumnias, quæ ſub ſole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem conſolatorem, nec poſſe reſiſtere eorum violentiæ cunctorum auxilio destitutos. 2. Et laudavi magis mortuos quàm viventes. 3. Et feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus eſt, nec vidit mala quæ ſub ſole fiunt. 4. Rurſum contemplatus ſum omnes labores hominum & induſtrias animadverti patere invidiæ proximi: & in hoc ergo vanitas, & cura ſuperflua eſt.

Perpetui exercent; comitem comes invidus odit:
Ut socius rebus socii pingvescit adesis,
Sic lucro socii, socius macrescit, adaucto.
At quid inane magis quàm rebus flere secundis,
Exultare malis, vitâ & proscribere risum,
Oppressi nisi quem comitis fecere dolores?
5. Inde fit, ut studiis piger in contraria versis
Degeneret, parcúsque operæ, fugiensque laboris,
Pectore languenti, & contractis segniter ulnis,
Enerves torpere manus, residesque lacertos
Deficere, & sese permittere malit inerti
Desidiæ, donec rerum penuria pigrum
Abrumpat somnum, atque oculis furiosus apertis
Carne sua ventrem pascat conviva, cibusque,
Et consanguineo tumulet sua membra sepulchro.
Nec sua desidiæ velamina pulchra tegendæ
Defuerint: 6. Sæpe est audire, vel una quiete
Plena manus præstat; quàm bina referta labore,
Quæ geminet curas, & amaræ incommoda vitæ:
Hunc solet errorem turpi prætexere culpæ.
7. Nec minùs id vanum: 8. Vir cui natura negavit
Et prolem & fratrem, nullis hæredibus auctus
Aurum auro cumulat, duróque labore labores,
Mœstus, opes si fortè levi decerpserit usu;
Sed crustas rodit, cæpas atque allia frustis
Jungit, & sola fauces attemperat unda:
Non illum sopor ullus habet, noctemque diemque
Continuat studia, & curâ desudat inani,
Explerique nequit mentem, ardescitque fruendo:
Nil oculo dextræque satis; nec corde volutat,

 Quid

Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas dicens: 6. Melior est pugillus cum requie, quàm plena utraque manus cum labore, & afflictione animi. 7. Considerans reperi & aliam vanitatem sub sole: 8. Unus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis, nec recogitat dicens: cui laboro, & fraudo animam meam bonis? in hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima.

Quid juvat in tantos vitam exercere labores?
Quídve ſequor curis? medio quid egenus in auro
Fraudo bonis genium? latices & Tantalus inter
Fallo ſitim, dotem decies ceu quinque pararem
Danaidum ſponſis, generis quæ ſtemma propagent:
Non mihi mater anus ſuperat, non reſtat alendus
Longævus pater, & mutis tacet ædibus hæres.
Nulla ſuper fibra eſt ſtirpis, quæcunque laboro
Improbus, hæc vitæ non proficientia perdo:
Tam malè quid de te, veſane, mereris, ut ultrò
Exitium juvet, extremámque accerſere peſtem?
9. Vis uni duplex præſtat, majorque reſurgit
Cuique artis merces, duo cùm junxere laborem
Concordes: paribúsque operas ſi viribus ambo
In commune ferant, melioribus orſa capeſſunt
Plerumque auſpiciis, meliori & fine coronant,
Res ubi conſenſu, & curis communibus acta eſt:
Unius irriguo ſudor non pinguis ab ore
Diffluit; at comitem ſi ſe conjunxerit alter,
Succollétque jugo, gemini ſociale laboris
Munus in immenſum triplicato fœnore creſcet:
10. Væ tibi, ſi titubante pedum molimine ſolus
Ingrederis, vel crura ſolo labentia ponas;
Siſtere nutantem nemo, aut relevare jacentem
Præſto aderit, qui prompta habilis veſtigia firmet.
11. Eſt comes auxilio comiti: ſi feſſa ſub uno
Componant duo membra thoro, calet igne viciſſim
Alter ab alterius, geminóque ardore fovetur,
Alteruter celebs deſerti incommoda lecti
Incomitatus habet. 12. Si fortior unus in unum
Invalidum ſteterit, juncto duo robore robur
Unanimes hoſtile prement, vis tanta duorum eſt!

Exer-

9. Melius eſt ergo duos eſſe ſimul quàm unum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ. 10. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur: væ ſoli, quia cùm ceciderit, non habet ſublevantem ſe. 11. Et ſi dormierint duo, fovebuntur mutuò: unus quomodo calefiet? 12. Et ſi quiſpiam prævaluerit contra unū, duo reſiſtunt ei, funiculus triplex difficilè rumpitur.

Exere conatum, nodoſaque brachia ſtringe
Duratóſque artus, luctare & corpore toto
Enitens, tanto nuſquam molimine funem,
Qui triplici intortus replicatur cannabe, ſolves.
13. Præſtat egens ſapiensque puer, quàm grandior añis,
Sed virtute minor princeps, & mentis egenus,
Ignarus venturum olim prævertere tempus,
Exemplis conferre exempla noviſſima primis
Neſcius, aut aliis alios expendere caſus
Caſibus, & lapſis currentia ſæcula ſæclis.
Sæpe fit, ut fœlix altâ puer indole curſum
Annorum ſuperante, per ardua culmina celſæ
Præcurrat virtutis, & in ſublime citato
Mentis eat greſſu, neque tunc puerilia curet
Otia, ſed luſus noſcat tractare viriles,
Ardua moliri, & puero majora profari.
14. Namque catenatum durâ de compede ſervum
Excepit ſolii non expectata poteſtas;
Aurato contrà jacuit qui molliter oſtro,
Turpiter è ſolio, ſceptriſque excluſus avitis,
Huc illuc panem per compita quæritat erro,
Regaléſque manus ad ſceptra domeſtica natas
Demittens, quæ olim dederat, ſtipis æra repoſcit,
Largitor prius, & verſa nunc ſorte rogator:
Uſque adeo variata levi fortuna rotatu
Volvitur incertùm, mutatque adverſa ſecundis,
V[illegible] ſecus, infidóſque obvertit nubila vultus.
15. Vidi ego turmatim proceres coluiſſe futurum
Imperii hæredem, ſpretóque parente frequentes
Læto blanditos ſurgenti aſſurgere ſoli:

 16. Sed

13. Melior eſt puer pauper, & ſapiens rege ſene & ſtulto, qui neſcit prævidere in poſterum. 14. Quòd de carcere, catenisque interdum quis egrediatur ad regnum: & alius natus in regno, inopia conſumatur.
15. Vidi cunctos viventes qui ambulant ſub ſole cum adoleſcente ſecundo, qui conſurget pro eo.

16. Sed desertores non longùm ambita manebunt
Gaudia, succedent fallaci tædia menti,
Pœnáque perfidiæ vindex: Sed & illud inane est.
17. Dum templum ingrederis, templi hospite Numine dignas
Funde preces, memor ante sacros consistere vultus:
Nec tum multiplicis perfuso sanguine tauri,
Flexibili quàm mente lita; vovet ille bidentes,
Qui nequit indomiti cordis mactare furores,
Pejorémque ferâ rabiem; quid sanguine multo
Manantem taurum festas jugulare sub aras
Profuerit, quamquam ille recens in cornua surgat
Jam primùm, crescátque animis; si mite Tonantis
Ferre jugum collo contrà obluctante recuses,
Nec prior æternæ succumbas hostia voci?
An dubitas accepta cadat quæ victima cœlo?
Mens divûm reverens, & legi subdita cervix.

16 Infinitus numerus est populi omnium qui fuerunt ante eum, & qui postea futuri sunt, non lætabuntur in eo: sed & hoc vanitas, & afflictio spiritus. 17. Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua, ut audias: multò enim melior est obedientia, quam stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciunt mali.

ARGUMENTUM

Capitis Quinti.

Quatuor alia veræ religionis capita docet, nimirum sanctè, & prudenter orandum; statim solvenda vota; colendam submissè Dei providentiam; carnis rebelles impetus adversus Dei legem comprimendos, insertâ interim de Angelis, & de vanitate insomniorum utili doctrina. confirmat beatitudinem non in avaritia; sed potiùs vitæ jucunditatem in honesto divitiarum usu esse positam.

CA-

CAPUT QVINTUM.

1. QVid ruit effuſis lingua inconſulta loquelis?
Namque Deus ſuprà eſt, terras unde arduus imas,
Et pelagus, ſubterque meantia flumina cernit:
Conde caput cœli penetralibus, ipſe rotator
Altiorum patriâ vindex de ſede vibrabit
Fulmina; telluris gremio, ſtygiiſque cavernis
Abdere, repperies furias, armatáque telis
Agmina, & ultrices in conſcia pectora dextras:
2. Quæ paſſim ſenſu veniunt volvenda diurno,
Hæc ſimili nocturna quies in imagine reddit.
Quos ſibi ſeceſſu mens interiore tumultus,
Aut figmenta creat, veſania garrula prodit.
3. Si reus es voti, perſolvere rite memento
Vota, ſacramenti nam relligione teneris:
Inconſulta Deo, ſtulto temerarius auſu
Qui vovet, irriſor cœli eſt; citò ſolvere vota
Proderit, arridet feſtina ſolutio: 4. Præſtat
Haud voviſſe Deo, quàm non ſolvenda vovere,
Victima nulla moras patitur, nulla hoſtia fraudes.
5. Ne temere effundas, quæ te dixiſſe pigebit,
Lingua vel una trahit vitiorum in lubrica totum
Communi exitio corpus, cœlumque laceſſit
Vocibus his; dubiis mortalia caſibus errant,
Haud ſecus ad ſuperos ſi Numen obambulet orbes,

F 5 Secu-

1. Ne temere quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo. Deus enim in cœlo, & tu ſuper terram, idcirco ſint pauci ſermones tui. 2. Multas curas ſequuntur ſomnia: & in multis ſermonibus invenietur ſtultitia. 3. Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio; ſed quodcumque voveris, redde. 4. Multoque melius eſt non vovere, quàm poſt votum promiſſa non reddere. 5. Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam, neque dicas coram Angelo: non eſt providentia,

Securum quam nostra viam vestigia signent?
Fortunam frustra increpitas, sortíque ruenti
Inconcussum animum mactas, pectúsque resolvis;
Hæc contra mentem obfirma, tantíque doloris
Desine, ne, tacito quæ corde revolvis agenda,
Quæve facis, prævertat ineluctabile Numen.
6. Nam veluti mentem turbatæ insomnia noctis
Discruciant, dum contuimur volitare figuras,
Nunc fratris stare effigiem, nunc ora parentis;
Sic sua garrulitas patiens deliria, vanas
Effingit species, mentitur mille figuras,
Nomina mille, modis & ludificantia miris
Ingenii figmenta loquax dementia garrit.
At metus ante oculos divinus oberret ubique,
Qui mentem dextrámque regat. 7. Si fraude nocentum
Dejectos videas inopes, violentáque ferri
Judicia, & totum turbari legibus orbem,
Haud temerè id factum tamen est, haud numine nullo:
Namque potente potentior eminet alter, & iste
Obsequitur, servúsque alii famulatur uterque:
8. Sic magno major, majori maximus, unus
Ter summus latè imperitat regnator in omnes:
Phœbus ubi lucet veniens, mediúsque, cadensque.
9. Nullus stat finis cupiendi, nullus habendi:
Hæc vesana fames crebris accessibus aucta
Sævit inexpletùm, solitóque potentior ardet,
Copia nec potis est rabiem sedare fruendo.
10. Congeries ubi vasta tumet pondúsque metalli
Inglu-

6. Ubi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates & sermones innumeri: tu verò Deum time. 7. Si videris calumnias egenorum, & violenta judicia, & subverti justitiam in provincia, non mireris super hoc negotio; quia excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alii. 8. Et insuper universæ terræ Rex imperat servienti. 9. Avarus non implebitur pecunia: & qui amat divitias, fructum non capiet ex eis: & hoc ergo vanitas. 10. Ubi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas: & quid prodest possessori, nisi quòd cernit divitias oculis suis?

Ingluvies ibi multa viget, numerúsque vorantum:
Quid domino prodeſt grave pondus divitis auri,
Prædaque Pactoli? Quid multa lætus opum vi
Incumbit gazæ virtutæ, aut fraude parandæ,
Quæ vel cana ſitu multo, latebríſque repoſta
Clam colitur tecto interiore, ſeríſque recluſa,
Aſpectu niſi forte oculos ut paſcat inani?
Namque manu attrectare nefas, aut prodere luci.
11. Aſpice ut incomptus, multóque ex ſole peruſtus,
Callosúſque manus, & longo laſſa labore
Membra fatigatus paſtor, multumve, parúmve
Ederit, adverſo reſupinus ventre recumbit,
Sopitóque graves perflat de pectore ſomnos;
At locuples lautâ ventrem dape fartus obeſum,
Iliaque extenſus, quaſcumque liguriit, eſcas,
Aggerit, indulgens genio, pinguíque polentæ,
Dum cibus oppletâ fugiens ex fauce redundet:
Irrequieta ferens hic longæ tædia noctis
Æſtuat, alternámque vigil ſe verſat in aurem,
Quanquam illum ſtratis recubantem mollibus, altâ
Suffultum pluma, ſolitâ dulcedine ſomnus
Provocet, inſomnes non ſecius exigit horas.
12. Nec minùs id durum, quod poſſeſſoribus ægris
Deliciosus opum, fit & exitioſus acervus:
13. Divitiáſque patris, luctu lacrimiſque requiret
14. Natus inops rerum, nudúſque redibit in alvum
15. Funereæ matris, vitali nudus ab alvo
Qui venit; vitaque idem, qui prodit, abibit
Uſque miſer, nec enim merces ſuper ulla laborum eſt.

16. In-

11. Dulcis eſt ſomnus operanti, ſive parum ſive multum comedat. Saturitas autem divitis non ſinit eum dormire. 12. Eſt alia infirmitas peſſima, quam vidi ſub ſole: divitiæ conſervatæ in malum domini ſui. 13. Pereunt enim in afflictione peſſima, generavit filium, qui in ſumma egeſtate erit. 14. Sicut egreſſus eſt nudus de utero matris ſuæ, ſic revertetur, & nihil auferet ſecum de labore ſuo. 15. Miſerabilis prorſus infirmitas, quomodo venit, ſic revertetur, quid ergo prodeſt ei, quod laboravit in ventum?

16. Insipidas, dum spirat homo, mala vescitur escas
In tenebris, veluti nigris tellure sub ima
Talpa, suis infossa cavis impervia luci
Tecta amat, & patrios sibi condere docta penates,
Longos subter init tractus, sic carcere clusus
Infossusque animus vix carpit in abdita rerum
Certus iter, cæcósque nequit superare recessus;
Parte sui meliore perit, certantibus intus
Divisus studiis, gravior penetralibus ira
Incubat, ardet amor, metus in diversa renitens
Abstrahit, aut sævis dolor, aut mala gaudia pulsant
Ægram animam, vel cura vorax in viscera serpit,
Nil nisi nomen habet vitæ, sunt cætera mortis.
17. Hoc cæli magnum est, paucisque parabile munus
Si quis lætus edat, lautus bibat, atque paratis,
Ut sors æqua dabit, tranquillâ in pace fruatur.
18. Grande Dei donum est homini, non viribus ullis
Audendum, humanæ vix & sperabile sorti,
19. Si quis opes, & opum, quas jure paraverit, usum
Conjungat simul, & pacem superaddat utrisque;
Ter felix (nam nil potiùs licèt improba captet
Votorum ambitio, sed nec Deus offerat ultro)
Si facilis jam vota polus postrema secundet.

ARGU-

16. Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna, atque tristitia. 17. Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo, quo laboravit ipse sub sole, numero dierum vitæ suæ quos dedit ei Deus, & hæc pars est illius. 18. Et omni homini, cui dedit Deus divitias, atque substantiam, potestatemque ei tribuit, ut comedat ex iis, & fruatur parte sua, & lætetur de labore suo; hoc est donum Dei. 19. Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ eo quòd Deus occupet deliciis cor ejus.

ARGUMENTUM.

Capitis Sexti.

Perstat in sectandâ & exponenda avari divitis calamitosa, & ærumnosa conditione, tum inculcatis prioribus, tum novis productis vanitatis, & infelicitatis argumentis.

CAPUT SEXTUM.

1. Sed quid parva queror, studiis gravioribus æger;
Vidi aliud, non rarò oculis quod cuique recurrit.
2. Vir, cui divitiæ, & fulvi numerosa metalli
Congeries, rutiloque micat laus clarior auro,
Cui Deus indulgens, quæcumque poposcerit, implet,
Horum usu rerum caret interdictus, & alter
Indelibatas vorat ore famelicus escas.
3. Quem Lucina patrem centeno pignore felix
Auxerit & longa mensam cingente coronâ,
Natorum numerum si centum æquaverit annis
Longævus, neque concessi, quam longa manebit
Vita, boni partem minimo deserpserit usu,
Si tandem inferias tumulique inhumatus honores
Expectet, membrisque sinum neget urna tegendis,
Huic ego vel crudum, qui præcipitatus abortu est,
Prætulerim fœtum: 4. Nam fama utriusque sub umbras
Cum

1. Est & aliud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines. 2. Vir, cui dedit Deus divitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat; nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo: sed homo extraneus vorabit illud: hoc vanitas, & miseria magna est. 3. Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos; & plures dies ætatis habuerit: & animus illius non utatur bonis substantiæ suæ, sepulturaque careat: de hoc ego pronuncio, quòd melior illo sit abortivus.

Cum vitâ cedit, ſimilis lex dicta futuri eſt:
5. Neſcius hìc rerum, vitæque quid exigat ordo,
Sed priùs adverſis novies quàm luna quadrigis
Lucinam accierit completo tempore partus,
Tantum immunda lues, primique coagula fœtus,
Et maſſa informis, tabóque obſcœna cruento
Juſta puerperii præit intervalla, recluſiſque
Egeritur clauſtris, & olenti matris ab alvo:
E tenebris ruit ad tenebras; de ventre parentis
Cognatam alterius properat genitricis in alvum,
Securoſque ſubit vitai in limine portus;
  Inſtar abortivi, qui præcoce prodiit alvo,
6. Dives erit, bis mille licèt compleverit annos:
Intempeſtivam mortis prævertitur horam,
Huic niſi conceſſum eſt fructus libare laborum.
7. Totus homo inſudat cogendis, nec tibi parcit,
Explerive poteſt opibus, ſed præſcius ævi
Præteritique memor, ſibi providus omnia curat,
Accumulátque, oculis, quàm ventre capacior, eſcas:
  Ille animus ſtirpis divinæ fructus, & auræ
Particula æthereæ, memor haud cœlique ſuique
Procumbit ſolos oculorum & ventris in uſus;
Oris at eſuries, & opum veſana libido
Non ſaturanda cibis, nullóque explebilis auro eſt.
8. Quid ſtulto differt ſapiens, & dives egeno?
Huic ſatis eſt, quæ parva domi fortuna remanſit;
Tollit humo caput excelſum, & ſtellantibus infert
Syderibus pauper, proprioque ab lumine fulget:
Quæris quo tumuli, virtutem, lumine condas?
Immenſi ſpatio cœli, petit illa ſepulchrum

4. Fruſtra enim venit, & pergit ad tenebras, & oblivion[e] delabitur nomen ejus. 5. Non vidit ſolem, neque cognov[it] diſtantiam boni, & mali. 6. Etiam ſi duobus millibus ann[is] vixerit: & non fuerit perfruitus bonis, nonne ad unum l[o]cum properant omnia? 7. Omnis labor hominis in ore ej[us], ſed anima ejus implebitur. 8. Quid habet amplius ſapien[s] à ſtulto, & quid pauper, niſi vi pergat illuc, ubi eſt vita?

Inſcriptum ſtellis, vaſtóque æquabile mundo.
9. Optatâ ardentes ab imagine paſcere vultus
Præſtiterit, ſtudióque ſequi majore juvabit,
Quod ferit aſpectum, & fructu præſente laceſſit,
Denique ſorte frui oblatâ; quam corde vagari
Semper inexpletùm, & majora requirere partis.
10. Quæ ſpirant, & ſtant habili quæ vivida ſenſu,
Expectant lethum; non vis, non igneus intus
Æternùm ardor alit, lapſuráque ſponte, retentat:
Quisquis erit (quantus quantúsque ſit ille futurus)
Nomine prænotus vitam communibus haurit
Principiis, nullóque velut levis aura ſequente
Diffugiens, primas vel ſponte recurret ad umbras,
Et lucem, lethi ſub conditione paſciſcens
Deficiet, nemo cunis melioribus ortus,
Aut fictus potiore luto eſt; lex omnibus una;
Nam perit alternóque redux ſtat funere vita.
Auctori parebit opus, quis tendere dictis
Audebit contra? quis contra robore ferri?
Non par quisquam illi, nedum exuperabile numen
Viribus humanis, ut eò pertingere Adami
Auſit humo naſcens, & humum ſubitura propago:
Nullus non domino collatis viribus impar.
11. Sint ſatis hæc, quanquam quota portio dicendorum!
Omnia nec memorare decet, nec nulla neceſſe eſt.
Plurima verba, nihil niſi plurima pabula venti.

ARGU-

9. Melius eſt videre quod cupias, quam deſiderare quod neſcias, ſed & hoc vanitas eſt, & præſumptio ſpiritus. 10. Qui futurus eſt, jam vocatum eſt nomen ejus: & ſcitur quòd homo ſit, & non poſſit contra fortiorem ſe in judicio contendere. 11. Verba ſunt plurima multamque in diſputando habentia vanitatem.

ARGUMENTUM

Capitis Septimi.

Ex brevitate vitæ oſtendit quæ bona ſectan-dà, ac præ aliis eligenda in vita ſint: prœpara deinde hominem ad bonam, & felicem mor-tem: monet cavendum tum & aliis minùs no-xiis vanitatibus, tum potiſſimùm à lethali fœ-minæ veneno.

CAPUT SEPTIMUM.

1. FAta quid humanam ſuper aſſurgentia ſortem
Affectare decet, majoraque viribus orſa?
Ruſticus indecoris ductus exoſus aratri,
Cogitat æquoreos tractus, & carbaſa ventis
Explicat, & gazis ſpoliat novus inſtitor orbem:
Mox falſo ſatur amne, tubas & tympana Martis
Affectat, lauriſque caput victricibus auctus
Faſces, & trabeas, & ſpe creſcente, ſecures
Somniat, & tacitis ambit diademata votis.
Quid ſit opus facto, rerúmque quid exigat uſus,
Neſcit homo: velut umbra fugit, quò nemo penetrat
Nuncius, hic obitâ referens quæ morte gerantur:
Demens! qui neſcis ſpirantibus æthere in alto
Interclusum iter ad manes tellure repoſtos.
2. Quid fumo pretium ponis, ſtultaque vapori
Arte laborato? quid nitro corpus inungis,
Imbelléſque comas? incaſſum unguenta parabis,
Vi-

1. Quid neceſſe eſt homini majora ſe quærere, cùm igno-ret quid conducat ſibi in vita ſua, numero dierum pe-grinationis ſuæ, & tempore quod velut umbra prætere aut quis ei poterit indicare, quid poſt eum futurum ſole ſit. 2. Melius eſt nomen bonum, quàm unguenta pretioſa: & dies mortis die nativitatis.

Vita nisi gratæ redolet virtutis odorem:
Suavior unguento, dulcísque aspergine succi,
Post mortem qui restat honos, & funeris hora
Natali est potior: Stat meta reperta laborum
Funere; quique obeunt, pœnarum ex gurgite vasto,
Mille inter syrtes, saxísque hærentia saxa,
Littoribus proram obvertunt, sedésque quietas
Naufragio ex medio subeunt, patriamque vocantem;
Post sale quassatam dubio, sævísque carinam
Fluctibus, emensi ponto quodcumque pericli est,
Vota coronati, rerum tibi maxime rector,
Persolvunt ritè, optata statione potiti.
At vitæ in foribus stabulant luctúsque, dolórque,
Nudaque debilitas membrorum, & mentis egestas,
Mille necis facies, pœnarum nomina mille;
Vis nulla est animi, nec pars est corporis ulla
Commoda vel curis, vel fortibus utilis ausis:
Vidit ubi puer hoc cœli spirabile lumen,
Nascentémque parens maturâ fudit ab alvo
Ejulans, vitam impatiens lacrymante salutat
Carmine, & ingratas vagitu personat auras,
Accusat matrem, testatur & astra querelis
Invitus nasci, & detrectat corporis artus,
Ut male conveniens menti, atque ignobile pondus.
Heu miser ingratos quoties consurgere soles
Cernes, ingratas quoties succedere lunas!
1. Præstat adire domos, ubi deflet fata parentis
Filius, aut conjux dilecti conjugis urnas
Complet lamentis, & fœmineo ululatu;
Quam quæ festivis resonant concentibus, ædes.
Si domus in luctu, faciunt aliena peritum
Funera, defuncti casu tremefactus amici

Ad

1. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii, in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat quid futurum sit.

Ad vitam reſpectat homo, cautúſque futurum
Proſpicit, haud monitoris egens, vociſque magiſtræ.
Quis ruat in crimen, triſtem cùm proxima vultum
Mors aperit, ruptáque etiamnum flebile venâ
Vulnus hians lacrymas lamentáque triſtia poſcit?
Sandapilâ corpus recubans oracula fundit
Flexanima, & mutis clamoſa ſilentia labris.
4. Ira in fronte minax, &, qui ſtat vultibus, ignis
Præſtiterit riſu, laxíſque in gaudia labris.
Namque grauis facies ſcelus indignantis amici
Peccantem meliora docet, tacitíſque nocentem
Vocibus increpitans, medio ſub crimine ſiſtit.
5. Utitur ut fræno ſapiens mœrore, ſed excors
Laxatis præceps in gaudia fertur habenis,
Nullaque lex ſtulto. 6. Magis at prudentis amicam
Cenſuram perferre decet, quàm blanda loquentis
Suavi voce capi. 7. Spinas ut flamma loquaces
Depopulans, ſtrepitum præter, caſſúmque fragorem
Nil ciet, at vanos cineres cum murmure magno
Probroſum molitur opus; ſic lingua loquaci
Garrulitate, ſonos præter caſſúmque fragorem,
Nil movet; in cineres omnis labor irritus exit.
Quid tibi blanditiæ vocum? ut ſuppoſta lebeti
Tinnula flamma ſonat crebris ſtridoribus; excors
Sic crepitat riſu, tinnitúque aſperat aures:
Materies velut illa ſilet, modicóque calori
Stat ſimilis primùm, ſubitóque incendia latè
Miſcet, & exuperat magis, atque accreſcit eundo;
Sic levis eſt, & dulce ſapit jocus, & ſua lucet
Gratia, mox vires ſumit, crebriſque cachinnis
Au-

4. Melior eſt ira riſu: quod per triſtitiam vultus, corrigitur animus delinquentis. 5. Cor ſapientum ubi triſtitia eſt, & cor ſtultorum ubi lætitia. 6. Melius eſt a ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulatione decipi. 7. Quia ſicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla, ſic riſus ſtulti: ſed & hoc vanitas.

Auctior, admotas rationis spernit habenas.
8. Censoris ne temne oculos, qui vellicet aurem,
Palantesque gradus virtutis in atria flectat;
Pharmaca desipiunt ægro malè grata palato,
Reddita vita sapit; si culpa reciditur ictu,
Virga placet; nec dura manus, quæ vulnera curat.
Utque favo hyblæo præfers, quæ pocula pejus
Colchidis odisti plantâ, si pota salutem
Attulerint; monitis primùm sic censor acerbis
Aspera proloquitur, tandem meliora perorat:
9. Dignior est, oneri qui fortia colla ferendo
Duratus firmat, nec mole fatiscit ab ullâ
Languidus; excelsâ quàm qui cervice tumescit
Grandior, exitium parvâ pro laude paciscens.
10. Si sapis, haud faciles iræ inclinatus habenas
Permitte; insano sed enim sub corde moratur
In consanguineum, quæ vertitur ira, furorem:
Qui claudit primos aditus, nec sede receptat
Hostem adventantem, sed longe finibus arcet,
Sceptra sui victor furiis, diróque furori
Eripuit, quíque instabat, cadit impetus ultro;
At rapido contrâ qui cæcæ turbine mentis
Abreptus semel, excelsâ se rupe deorsum
Præcipitem dedit, incassum resilire laborat;
11. Nec labem excusas, ubi dixeris; ecquid aberrant
Num degeneres, & avitâ stirpe recedunt?
Excidet haud talis sapientis ab ore querela.
Quid Phœbo scelus astruimus? quid cudimus auro
Secla patrum, pravi artifices, præsentia ferro?
Fons nunquam illimis fluxit, nunquam æthere Phœbus
Claruit innubi: non crimina nata profundo

G 2 Ex

8. Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis ejus. 9. Melior est finis orationis, quàm principium: melior est patiens arrogante. 10. Ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit. 11. Ne dicas quid putas causæ sit, quod priora tempora meliora fuere quàm nunc sunt; falsa enim est hujusmodi interrogatio.

Ex Erebo his primùm posuere cubilia seclis;
Est æquæva solo, nec jam primùm inficit auras
Progenies Orci: vis aurea secla renasci?
Seclorum ipse opifex pretiosos indue mores,
Aurea cude opera, atque in deteriora ruentem
Te pudor atque metus sistat: laus prima nocentum
Et pudor & metus est, injectáque frena furori;
Ferrea sic ætas aberit, sic aurea surget.
12. Juncta opibus prodest sapientia, magnus ab ære
Fulget honos; claris at si virtutibus obstet
Res angusta domi, spatio breviore coërcet
Et tenebris damnat, quæ lumine digna, tuentum
Ora oculósque petunt: contrà micat aurea virtus,
Clarior, & socio geminatur lumen ab auro.
Virtus rebus inops sine vento, & remige cymba est,
Et fidibus testudo carens, arcúsque sagittis.
Si forsan locuples indocta resolverit ora,
Filius est Suadæ; multâ sed pauper in arte
Palladis instructus, cedro si digna loquatur,
Audiet ignarus, nec labra ciere peritus.
13. Præstiterit tamen æternis, animique parandis
Insudare opibus, quas fur non tollat avarus,
Non rogus absumat, non navifragi maris unda,
Sed possessori sua sint in pace voluptas.
14. Patre aliâ æternæ solers miracula dextræ
Contemplator, ei quisnam par robore? vel quæ,
Si Deus eruerit, valeat reparare potestas,
Inque suos iterum collapsa refingere vultus?
Flatibus ille solo, quæ nemo refecerit, æquat.
15. Luce bonâ lætare bonis, & luce sinistrâ.

Firmã

12. Utilior est sapientia cum divitiis, & magis prodest videntibus solem. 13. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia: hoc autem plus habet eruditio, & sapientia, quòd vitam tribuunt possessori suo. 14. Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit. 15. In die bona fruere bonis, & malam diem præcave: sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus, ut non inveniat homo contra eum justas querimonias.

Firma animum, luctúmque dies vicina levabit;
Fecit utramque Deus ne sit tibi causa querelæ.
Non risu effusus, non fletu nubilus ora
Commacula, lancémque tene moderatus utramque:
Namque vices varias decet altâ mentis ab arce
Conspicere, &, si sors blanditur læta, potiri
Lætitia, si sæua nocet, sperare medelam.
16. Vir justus pretiosæ animæ momenta coërcet
In brevius, spatiísque inclusum haud grandibus ævum
Mille trahit lethi in species, properátque feretro
Exangues artus, & eò remeantia membra,
Unde ortum jam nunc duxere; ast impius annos
Ducit in immensum, mercatus crimine vitam.
Vidi, alacri vultu, & rectá cervice nocentes
(Namque jugum collo nullum est) decurrere vitam
Tramite inoffenso, & pulsis canescere morbis:
Interea rectíque tenax, & cultor honesti
Pene aras inter cadit hostia, nec sua virtus,
Effusæque preces properantia tela retundunt.
O scopulum! quid enim superis pia turba litamus,
Insontem si pœna premit decreta nocenti?
Nec tamen in cœlum blasphema resolveris ora,
17 Virtus, quæ nimia est, vitii confinia tangens
Cultorem excessu maculat, pravósque per usus
Degenerat tandem, summa est sapientia, certis
Desipuisse locis; sua stat mensura, modúsque
Virtuti, nec in immensum sine crimine crescit.
Ne sæpe plus justo, jurísque tenacior æqui
Exactórque modum suprá, implacabilis esto,
Aut prudens nimium; ne majestate verendus
Omnia qui terret, trepidantia corda pavore

16. Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ: justus perit in justitia sua, & impius multo vivit tempore in malitia sua. 17. Noli esse justus multùm: neque plus sapias, quàm necesse est, ne obstupescas.

Compleat, audacésque oculos majore retundens
Lumine (nam contra non eſt impune ſuperbis
Surgere) te circumfuſa caligine mergat
Humanæ ſuper audentem faſtigia ſortis.
Quid fragili incauti petimus confinia cœli
Remigio alarum, curſusque inſiſtimus olim
Dædalidæ nocuos, ſacrúmque attingimus ignem?
18. Sed neque mutatos flecte in contraria mores,
Ne vitii lux prima, tibi ſit & ultima vitæ.
O multum dolituræ, tibi mors ferrea ſi te
Ignotum abripiat, quæ deinde piacula reſtant?
Namque diem ſæpe, ante diem, clauſere nocentes.
Ergo juſtitiam, ſophiámque peritus utrinque
Binâ ſtringe manu; medio tutiſſimus ibis,
Si ſcopulos hinc inde timens incurrere, plantas
Artifici moderere gradu, quem ſedulus omnem
In partem flectes, juſto moderamine librans,
Quid decet, & quando, & rerum quid poſtulat uſus.
19. O faveas miſeris, duríſque laboribus adſis,
Sufficiens lapſo vires, placidúsque jacenti
Porrige non ullo retrahendam tempore dextram.
Qui numen metuit, bene providus omnia curat,
Nec ruit hoſtilem nimis inconſultus in ictum:
Hoc duce cuncta audet, clypeo nil tectus ab iſto
Formidat, licèt haud alio cuſtode tegatur:
20. Non portę affuſus miles, non pervia nulli
Limina, non armis acies, non mœnibus urbes
Prudentem tanto firmant munimine, quanto
Unica vel nullis ſapientia cincta catervis,
Quæ crudos tacito diſtendit robore nervos:
Arma inimica cadunt, virtus ſi pectoris arcem
Occu-

18. Ne impiè agas multùm: & nolli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo. 19 Bonum eſt te ſubſtentare juſtum; ſed & ab illo ne ſubtrahas manum tuam; quia qui timet Deum, nihil negligit. 20. Sapientia conſortavit ſapientem ſuper decem principes civitatis.

Occupet: iratis repetitum fulmen ab aſtris
Emicet, irato ſplendeſcet fulmine virtus
Clarior; aſtriferi moles operoſa labaſcat
Orbis, labentem novus Atlas fulciet orbem:
Stat pugnax ſonipes, fruſtrà latrante moloſſo,
Immotus, conſtansque viæ; tumidíque leones
Non vultum obliquant, rabiem geminante catello.
21. Rarior eſt juſtus, vix tot de millibus unum
Forſan reperies, quem mens ſcelus omne peroſa,
Nec minimæ tenui tentata aſpergine noxæ
Securum reddat, nec culpa redarguat ulla:
Seu gravior, ſeu culpa minor (nec enim omnibus æqua)
Eſt nonnulla, nec in ſolidum vitabilis ulli.
22. Ne faciles de te ſparſis ſermonibus aures
Præſtiteris, ne fortè tui convitia ſervi
Aure bibas; 23. juſto ſi verba examine penſes,
Mens rea teſtis erit, te ſæpe erraſſe ſuſurris
Clam tacitis, altiſque palam nocuiſſe loquelis.
24. Nil mihi inacceſſum ſupereſt, nil reſtat inauſum,
Et mecum hæc; divina ſagax arcana recludam,
Et Sophiam, quo tecta procul ſecumque locorum
Abdiderit, ſequar, &, ſi quâ poſſum, aſſequar arte,
Hic ubi mens animi paulatim excedere rebus
Aſſueſcit, ſenſúsque excelſa avertitur omnes,
Urbe relegato procul, & tellure relicta;
Atque ſupra aſſurgit, penitúsque in ſe ipſa recedit;
Et longè à terris evectam, ſéque fruentem
Nil interturbat mortale, urgétque deorſum:
25. At fruſtra: & Sophiam propiùs quò tangere nitor

21. Non eſt enim homo juſtus in terra, qui faciat bonum & non peccet. 22. Sed & cunctis ſermonibus qui dicuntur ne accommodes cor tuum, ne fortè audias ſervum tuum maledicentem tibi. 23. Sic enim conſcientia tua, quia & tu crebrò maledixiſti aliis. 24. Cuncta tentavi in ſapientia: dixi, ſapiens efficiar & ipſa longiùs receſſit à me. 25. Multo magis quàm erat; & alta profunditas, quis inveniet eam?

Longius elusis se perfida proripit ulnis,
Et labyrinthæo latet indeprensa baratro,
Ecquis eam inveniet? 26. Nihil inquirente reliqui
Intentatum animo, quò certa pateret origo
Stultitiæ, & sceleris; cur stultus hic, impius ille;
Quò magis obscuros tentas penetrare recessus,
Vel libare levi fastigia pollice rerum,
Plura vides superesse, manent maria alta relicto
Solventem portu, & superimpendente procella
Respicere aversùm, cursúmque reflectere cogunt.
27. Singula lustranti mihi fæmina durior ipso
Funere visa fuit; namque ut formidine mortis
Venator campos cingit, laqueósque tenaces,
Mendacésque parat foveas, ut compede nectat,
Vel mactet ferro prædam, atque in tecta reportet;
Et veluti incautos pisces in retia mittit
Vel sua credulitas, vel iniquo semita casu;
Nexilibus sic corda plagis, laqueísque dolosæ
Fæminæ, & hamatis hærent delusa loquelis:
Fœmineos nescis, adamantina vincla, lacertos,
Ora focos, & verba faces? quis in igne pyrausta
Illæsus volitet, tractetque impune favillas?
Detestanda mora est, hosti dare terga triumphus.
28. Quod mihi quæsitum toties, nusquamque repertum,
Quærendum hoc iterum superest, an fortè decorum
Fœmineis aliquid deprendere moribus esset;
29. Verùm post tritas studiis tot inertibus horas,
Nulla reperta bona est mulier, quæ non rea facti
Ullius, vel non dicti sine lege profusi;

Vi

26. Lustravi universa animo meo, ut scirem, & considerarem, & quærerem sapientiam, & rationem: & ut cognoscerem impietatem stulti, & errorem imprudentium. 27. Et inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus, vincula sunt manus illius: qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa. 28. Ecce hoc inveni, dixit Ecclesiastes, unum & alterum ut invenirem rationem. 29. Quam adhuc quærit anima mea, & non inveni: virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.

Vir bonus utcunque eſt: multis de millibus, unus.
30. Mota poli facit urna reum, quem crimine purum
Os vultúsque ferunt. Procul omni labe creatus
Humanæ ſtirps gentis Adam, at labentibus annis
Lapſa quoque eſt pietas, tandèmque in prava ruentes
Defecere ſuo paulatim à fonte nepotes,
Et peſſum mores iuêre, infractaque luxu
Sæcula, proh quantum diſtant ab origine rivi!
Quis divina ſagax arcana recludere verbis
Certet, prudentíque auſit contendere factis?
Aut quis in his tantum ſperet prævertere regem?
Qui ſiſus virtute, parem ſe attollere contra
Majeſtate velit, ſimilique in ſede locare,
Quisquis is eſt, caſum fruſtra eluctatus, ab alto
Audax præcipiti deſcendet in ultima lapſu,
Ex ſummis meritus ſpatia ad poſtrema revolvi.

30. Solummodo hoc inveni quod fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus. Quis talis ut ſapiens eſt? & qui cognovit ſolutionem verbi?

ARGUMENTUM
Capitis Octavi.

Sapientis, ac ſapientiæ laudes, & proprias notas enumerat; & quædam vanitatum genera, quibus ſapientia medetur, intermixtis nonnullis bene vivendi præceptis.

CAPUT OCTAVUM.

1. GErmanis impreſſa notis prudentia vultu
Pingitur, & ſapiens molli ſinuamine ſenſus,

1. Sapientia hominis lucet in vultu ejus, & potentiſſimus faciem illius commutabit.

Regis ad arbitrium flectit, vultúmque coloremque
Alternat momenta modis per ſingula miris;
Riſeris, arridet; contorſeris ora, retorquet:
2. Regales obſerva oculos, in juſſa paratus:
Effigiem maculare Dei exitialibus auſus
Flagitiis, dat ſacrilego cum ſanguine pœnas,
Quas Deus offenſæ depoſcit imaginis ultor:
3. Si parere neges, celeri ne crede ſalutem
Aſſeruiſſe fugâ, & tutò vitaſſe furorem,
Rex lateri præſens, quocunque receſſerit, inſtat;
Perfer onus, fortè & fiet magis æqua ferendo
Sarcina, tangetúrque aliquo ſors læva pudore:
4. Nitere nec contrà: placet hoc, placuiſſe potenti
Sufficiet; ſi quid jubeat, mox acta ſequentur;
Factorum quis enim cauſas à principe poſcat,
Sicque argutetur? quianam te judice ſolo,
Te ſolo hæc auctore facis? 5. Qui pronus ad omne
Imperium ſuprema ultro decreta capeſſit,
Corpore nil, animo nihil experietur acerbum.
6. Quæ reſponſa ſibi, quo ſint & tempore danda,
Obſervat ſapiens, & dicta expenſa reponit:
Conſultandi horas, tempusque advertit agendi:
Sunt ſua conſiliis, ſunt & ſua tempora rebus.
7. Sors ita nos damnis ſuperincumbentibus urget,
Ut vix acta ſcias, nemo prænoſcat agenda.
8. Quin etiam irati fluctus componere ponti,
Luctantésque Euros, falcémque retundere mortis
Non opis eſt noſtræ; lex illa adamante notatur,
Nec

2. Ego os regis obſervo, & præcepta juramenti Dei. 3. Ne feſtines recedere à facie ejus, neque permaneas in opere malo, quia omne quod voluerit, faciet. 4. Et ſermo illius poteſtate plenus eſt nec dicere ei quiſquam poteſt: quare ita facis? 5. Qui cuſtodit præceptum non experietur quidquam mali tempus, & reſponſionem cor ſapientis intelligit. 6. Omni negotio tempus eſt, & opportunitas, & multa hominis afflictio. 7. Quia ignorat præterita, futura nullo ſcire poteſt nuntio. 8. Non eſt in hominis poteſtate prohibere ſpiritum, nec habet poteſtatem in die mortis, ſinitur quieſcere ingruente bello, neque ſalvabit impietas impium.

Nec scelus auctorem meritò turbabitur ictu,
Aut dominum impietas sua plurima proteget olim:
Fatalis nomen simul urna citaverit, horam
Est differe nefas, seu ceras ordine longo
Fumosas patrum ostentes, & stemmata multo
Nigra situ, seu stirpem obscuram inglorius imâ
Fæce trahas, cum ferro aurum, cum vomere sceptrum
Tartarei fert cymba senis, discrimine nullo:
Sic quo fonte salus hauriri creditur, inde
Derivata lues, & spem larvata fefellit
Prosperitas, lusitque alio fortuna rotatu.
9. Videli ego, proh pudor! ut dirâ feritate tyrannus
Nocte satus, germénque Erebi, haud indigna parentum
Progenies, tamen optatâ cum pace superstes,
Lance triumphata juris, post fata quiescat,
Venturis faciens famam increbrescere seclis:
Inque sinu decoris positum Dea læta, per ora
Circumfert populi, serisque nepotibus olim
Posteritas canet, & mortis secura vetustas;
Non secus, ac si jura super communia crimen
Sublimem extulerit, nihil &, nisi corpus ademptum,
Perdiderit, sed restet honos, & posthuma fama:
10. Interea justi, scelerum genus omne perosi,
Et bene de cunctis, linguáque, manúque merentes
Putrescunt mutæ sub iniquo pondere terræ,
Atque uno condunt nomenque & membra sepulchro:
Nil adeo ex cunctis (quanti quantive fuerunt)
Nil superest, pereunt spe cassi, & laudis inanes:
11. Et quia non subitò vindex sententia sontem
Castigat, summaque scelus radice revellit,

Vel

9 Omnia hæc consideravi, & dedi cor meum in cunctis operibus quæ fiunt sub sole. 10. Interdum dominatur homo hominum in malum suum. 11. Etenim quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.

Vel modicâ attingit pœnâ graviora merentem,
Impunita lues ſerpit, ſenſimque per orbem
Graſſatur; nova ſemper homo ſuperaddit inultus
Crimina criminibus; nullâ quia vindice pœnâ
Incaſtigatos nimis exorabile Numen
Permiſit toties vitiorum in lubrica lapſus.
12. Sed quamquam crimen geminet ſceleratus in horas
Et velut aggeribus gurges ſe effundat apertis,
Servatur pœnis, iræque in certa futuræ
Tempora differtur, pravorum quidquid ubique eſt;
At merces æterna manet, quem numinis urget
Usque timor, nuſquam ſacris exceſſus honeſti
Finibus: idcircò non languidus ardua cœpta
Ingentésque animos pone, & ſublimia vota:
Stat meritis æternus honos, & didita cœlo
Gloria, & in ſeros decus immortale nepotes.
13. Diſſimilis cùm vita fuit, diſpárque nocentis
Exitus, intervalla brevis mox finiet ævi,
Cùm levia intendat, levis evaneſcit ut umbra,
Captatórque auræ ſibi debita præmia ſumet.
Sed Deus immunem ſceleris, mentémque manumque
Aſpiciet felix, ſeniúmque in dona rependet.
Hinc animi ſurgunt, & condimenta malorum
Dulcia, & oppreſſos blando ſpes ubere lactat.
14. Nec minus id durum eſt, alieni pœna reatus
Juſtis ſæpe venit, juſtorum & præmia pravis:
Contemplator, uti mala, quæ debentur iniquis,
Nulle

12. Attamen peccator ex eo quòd centies facit malum, & per patientiam ſuſtentatur, ego cognovi, quòd erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem ejus. Non ſit bonum impio, nec prolongentur dies ejus, ſed quaſi umbra tranſeant, qui non timent faciem Domini. 14. Eſt & alia vanitas quæ fit ſuper terram; ſunt juſti, quibus mala proveniunt, quaſi opera egerint impiorum: & ſunt impii, qui ita ſecuri ſunt, quaſi juſtorum facta habeant: ſed & hoc vaniſſimum judico.

Nullo jure luunt, alienaque crimina justi,
Casibus exhausti immeritis, atque omnium egeni,
Sint licèt his casti mores, & candida corda;
At votum super omne, bonis, & honoribus aucti
Cervicem tollunt, & inani sórte triumphant
Tot scelerum artifices, & digni turpibus ausis
Mille necis facies consumere, nomina mille:
Munera non meritum, non culpam pœna sequuntur,
Nec sua sors ulli est: quis id inficietur acerbum?
Cur stirps una virûm, vasti non ultima mundi
Portio, non opere in tanto laus ultima summi
Artificis, curarum aliqua non parte paternam
Auctoris mentem insedit? sed sæva superbo
Impietas vultu, & populi delata secundis
Flatibus exultat, trabeas & sanguinis ostro
Purpurat? & primi plausus impunè patrati
Flagitii sunt causa novi, supremaque tandem
Intrepidum his gradibus scelus ad fastigia fertur?
Sub leges stellata vocas qui castra polorum,
Aspicis hæc, quos emeritum decus asserit astris,
Heroas cecidisse, atque inter pocula carmen
Bacchantum fieri, & stultæ ludibria plebis?
Hoc nostri securus agis? si Martius horror
Ingruat, & totum sors lubrica verterit orbem,
Clades prima ferit justum, primóque noverca
Turbine percellit, justus prima hostia lethi est.
15. Mentis inoffensæ tum tempestiva probavi
Gaudia, lætitiæque dies; explere diurno
Pane famem, vinoque sitim, licitisque levare
Deliciis curas, merces hæc sola laborum est.
16. Moxque voluptates, & vana facere jussi

Gau-

15 Laudavi igitur lætitiam, quòd non esset homini bonum sub sole, nisi quod comederet, & biberet, atque gauderet, & hoc solum secum auferret de labore suo, in diebus vitæ suæ, quos dedit ei Deus sub sole. 16. Et apposui cor meum, ut scirem sapientiam, intelligerem distentionem, quæ versatur in terra: est homo, qui diebus & noctibus somnum non capit oculis.

Gaudia, sed totus Sophiam conversus in unam,
Solerti studio, vigilique indagine nosse
Et volvi & cœpi, tantos quæ causa labores
Accendat, quid avarus homo, noctésque diésque
Multa gemat, curis excarnificatus acerbis:
Nec modus, aut requies, quasi sol immobilis hærens
Assiduâ vigiles inflammet lampade curas,
Insomnes versat turbato pectore motus:
Ingemit, & gaudet, spératque, timétque vicissim,
Et miserum non vnus agit furor; at noua semper
Intus tempestas surgit, quæ turbine cæco
Attollit modò sublimem, modò in ima retorquet:
17. Tum sensi non posse capi secreta Tonantis
Facta, sed illudi plura indagare parantem,
Et sua divinas dimensum ad brachia vires,
Namque ultra penetrare homini ratione negatum est,
Quantò anceps plures operosâ indagine curas
Collocat, ille minùs tantò quæsita reportat.
Auribus hæc, oculisque nefas vulgare profanis,
Dixerit & sophiæ qui conscendisse cacumen,
Repet humi vecors, & sede jacebit in imâ.

17. Et intellexi quòd omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem, eorum quæ fiunt sub sole; & quanto plus laboraverit ad quærendam, tantò minùs inveniat: etiamsi dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.

ARGUMENTUM
Capitis Noni.

Pergit recensere Salomon varios rerum humanarum eventus, in quorum consideratione recurrere oportet ad Dei manum, & potentiam, quâ cunctagubernantur, & ad scientiam, quâ com-

commoda, & nobis utilia providentur: Nostrum autem esse, de divina bonitate spe conceptâ, honestæ jucunditati, bonis operibus, ut sanctæ sapientiæ sedulò incumbere.

CAPUT NONUM.

ALTERNANTEM animum nunc has, nunc sedulis illas
Divisi in partes, didicique quod acta proborum,
Prudentum quòd dicta, Deo monderante, regantur.
Stultus homo intereà (quanta est caligo futuri)
Odit, amat; pretiumque, sui non novit amoris,
Aut odii: 2. Incerto nutant discrimine sortes,
Quò lex quemque vocet fatorum immota, severi
Iraque quæsitoris: an irremeabilis orci
In baratrum sidat scelerum grave pondus; in altum
In superum favor attollat virtute redemptus
Lustratas animas: nullo discrimine pravus
Confusus sine lege bono, justusque maligno est:
Usque adeo humanis insedit mentibus error!
Quisque perit, seu thuriferis altaria spargit
Muneribus, seu sacrilego pia Numina fastu
Despicit, est eadem cunctis sors dicta sepulchri.
3. Unde malum est, simili quod ineluctabile fatum
Opprimat cunctos, pravique bonique sequaces;
Inde

1 Omnia hæc tractavi in corde meo, ut curiosè intelligerem: sunt justi, & sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit. 2. sed omnia in futurum servantur incerta, eò quòd universa æquè eveniant justo & impio, bono & malo, & mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti: sicut bonus, sic & peccator: ut periurus, ita & ille qui verum dejerat. 3. Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt: unde & corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu in vita sua: & post hæc ad inferos deducentur.

Inde lues, fons inde mali, nam firma tenaci
Durities in corde riget, mentemque malignus
Ad ſcelera obfirmat, mox deſcenſurus ad umbras,
Ignotúsque ſuis, ignorandúsque futuris,
Hactenus unde pedem revocare haud contigit ulli.
4. Cuique ſuæ data meta viæ, ſperare ſenectam
Quisque poteſt, nemo æternæ rata tempora vitæ,
Naſcenti calcanda ſemel via publica lethi,
Fata Dei nam ſtant immota, & ferreus ordo.
Lumina tot periere virûm tótque agmina gentium,
Et capita alta ducum, regnatoréſque ſuperbi,
Diisque ipſis inter genitos, quos fabula finxit,
Heroum generoſæ animæ, vix pervia ſorti
Pectora, cœlicolûm non decedentia factis:
Nec non & juvenes, primævæ robora pubis,
Conceſſere neci, quo tempore & ordine fixa
Excivit ſeries quemque, atque immobile fatum:
Cuique dies numerata, nec ultra tendere fas eſt.
5. Vita neci præſtat, potiórque leone perempto,
Qui vivit latrátque canis; commune tributum
Debitor exſolvet, qui ſpirat: nam ſua quemque
Fata vocant, & mors nusquam vitabilis ulli;
Victrices lauros funeſta cupreſſus inumbrat:
Contemplator avos; hic ſponte immiſcuit aſtris
Exultantem animam; hunc longis majoribus ortum,
Quem clara de ſtirpe tulit mirata vetuſtas,
Lethiferis ſuprema dies tamen addidit umbris.
Cerne quot ediderint heroas ſæcula priſca,
Aſpice, quot doctas animas Heliconis alumnas,
Omnia complexas animo monimenta ſub uno,
Invidere ſolo ſuperi, cœlóque locarunt.
Ille perit, quem nulla unquam diſcedere juſto
Gratia

4. Nemo eſt, qui ſemper vivat, & qui hujus rei habeat fiduciam. 5. Melior eſt canis vivus leone mortuo, viventes enim ſciunt ſe eſſe morituros: mortui verò nihil ampliùs, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita eſt memoria eorum.

Gratia, nulla precum vis importuna ſubegit.
Urbes intuitor, periere, orbique ruinam,
Et ſtratam vacua oſtentant per compita mortem;
Et nunquam reditura vale, vale omnia dicunt:
Credo equidem aſpiciens, duces ſuſpiria ab alto,
Optabiſque ſequi, iam ſolus ab agmine magno
Diuulſus, dulci & comitum fruſtratus amore.
At contra fugitiua dies obliuia factis
Inducit; rerum, nobis quæcunque geruntur,
Vis leuis ad feros deſcendet fama nepotes,
Tu nil crede tuum, vitàmque & fata quod ultra eſt;
6. Ceſſat amor, ceſſatque odium, liuórque recedit,
Cœpit vbi iam iamque obito frigeſcere corpus
Funere, ſors nec enim vitæ ſuper ulla peractę eſt.
7. Ergo age, mœſtitiâ poſitâ, vultuque ſereno
Lætus pane famem depelle, ſitimque falerno,
Et fœlix pulſis agita noua gaudia curis:
Namque tibi cœli ex nutu ſuſpenſa voluptas
Omnis, eò totis contendere viribus ambit,
Ut placeant tua facta Deo: 8. Te ſplendida veſtis
Induat, & ſuaui madeant tua tempore nardo:
9. Lætos carpe dies lætâ cum compare fœlix,
Quippe thori Deus eſt auſpex, tædamque iugalem
Accendit, tecum vt, quod ſit ſuper, exigat æuum,
Editús ex imo dolor & ſe pectore migret:
10. Nec tete tempus iners, manus impendenda labori
Fortis


6 Amor quoque, & odium, & inuidiæ ſimul perierunt, habent partem in hoc ſæculo, & in opere, quod ſub ſole [illegible]. 7 Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum, & [illegible] cum gaudio vinum tuum: quia Deo placent opera tua. [illegible] tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de [illegible] non deficiat. 9. Perfruere vita cum uxore, quam di[illegible] cunctis diebus vitæ inſtabilitatis tuæ: qui dati ſunt tibi [illegible] ſole, omni tempore vanitatis tuæ: hæc eſt enim pars [illegible] & in labore tuo, quo laborat ſub ſole. 10. Quodcum[illegible] facere poteſt manus tua, inſtanter operare, quia nec [illegible] nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud in[illegible] quò tu properas.

Fortis & assidua: indoctas nam parta sub umbras
Non ratio, aut opus, aut doctrina sequentur euntem,
Omnibus mobilibus fati cessere triumphis,
Omnia mobilibus fati cessere triumphis,
Et super elapsæ sunt alta oblivia vitæ.
11. Parte aliâ pedibus celeres, validósque lacertis,
Viribus & crudos, fusos certamine vidi.
Tristis in angusto sapiens jejunia tecto
Longa levat lacrymis, doctor stipis æra reposcit
Cuncta putes ferri dubio mortalia casu,
Haud secus ac humana nihil si rector Olympi
Dirigat ipse auctor rerum, & suprema potestas.
12. Incautos pisces ut fallit arundine longâ
Piscator, dum littoreas demittit in undas
Fila sedens scopulo, atque hamos tenet esca latentes,
Olli concurrunt avidi, rapiuntque voraci
Ore cibos, sed mox captivi fila sequuntur;
Aut veluti alitibus si retia quando tetendit
Pastor agens, volucris correpta sequacibus hæret
Nexibus, & pastor toto instans corpore suprà est,
Sic mortis pellace cadit deceptus ab hamo,
Linea quem vitæ fallit, quem blandus inescat
Et cibus, & suavi aucupio cooperta voluptas;
Nemo non moritur, premitúrque à funere funus.
13. Haud equidem invenies, si sublunaria penses
Aut humana, quod huic possis componere quidquam;
14. Urbs angusta fuit, non muro aut turre frequenti
Ardua, fossarúmve morâ, aut munimine valli,
Aggere

11 Verti me ad aliud, & vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam, sed tempus casumque in omnibus. 12. Nescit homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplò supervenerit. 13. Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, & probavi maximam. 14. Civitas parva, & pauci in ea viri: venit contra eam rex magnus, & vallavit eam, extruxítque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio.

Aggere non multo, haud validis populosa colonis;
Rex mira virtute valens, & viribus audax,
Obsessos cingit numeroso milite muros,
Et circumfusas alta in tentoria moles
Tollit, ut arma armis, & mœnia mœnibus obstent;
15. Fortè hîc inventus sub egeno pauper amictu,
Ingenium cœleste tegens, qui corde sagaci
Obsidione levat; telísque prementibus urbem;
Verùm assertori, libertatísque datori
Non honor, aut merces, sed prima remansit egestas.
16. Protinùs hæc mecum; quid sordet pulvere virtus,
Tabescitque inter proprios industria cives?
17. Non pretium in voce est, & docta silentia præstant
Murmure, pascunt illa animos, hoc verberat aures:
Rex diu in auditus clamat, qui Stentora vincit
Gutture; sed tacito dum conticet ore, profatur
Vir sapiens, altúmque tonat; 18. prudentia præstat,
Quam bis quinque duces, opibusque manúque potentes:
Námque animis maturus homo, seséque suosque
Proteget, hostiles eludet callidus artes
Artibus, & fraudem majori fraude repellet;
At propriâ ruet arte, suoque peribit ab ipse
Demens consilio, & stulto temerarius ausu
In tumulos vertet, mactatis civibus, urbes.

15. Inventúsque est in ea vir pauper, & sapiens, & libera-
vit urbem per sapientiam suam, & nullus deinceps recorda-
tus est hominis illius pauperis. 16. Et dicebam ego, meliorem
esse sapientiam fortitudine: quomodo ergo sapientia pau-
peris contempta est, & verba ejus non sunt audita? 17. Ver-
ba sapientium audiuntur in silentio, plusquam clamor
principis inter stultos. 18. Melior est sapientia, quam ar-
ma bellica; & qui in uno peccaverit, multa bona perdet.



ARGUMENTUM

Capitis Decimi.

Perstat in sapientiæ laude, stultitiæ detestatione, atque vario vtriusque discrimine impugnat vanitatem ambitiosorum hominum, quæ non rarò in ipsis publicis honoribus, & potestatibus inuenitur; docétque interim non detrahendum magistratibus, neque repugnandum.

CAPUT DECIMUM.

1. DVM captiua croci retinetur in vnguine musca,
Atque in odorifero tumulo, testáque superbi
Nectaris occumbit, pretiosáque funera ducit,
Tum sua laus perit vnguento speciésque, nec vllis
Vsibus aut recreat nares aut vulnera curat;
Sic nota flagitii, næuúsque, ac criminis vmbra,
Et muscâ, licèt exiles formetur in artus,
Culpa minor, totum fœdat virtutis odorem,
Et facit æternis nomen putrescere sæclis;
Antiquos titulos & nomina prima requires:
2. Ac veluti incumbit subeundo dextra labori
Aptior, haud aliter sapiens operosa ministrat
Tempore quæque suo, & dextro facit alite cuncta
Ad læuam cor stultus habet, laterique sinistro
Mens residet læua, & nullis accommoda rebus.

3. Cor-

1. Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti: pretiosior est sapientia, & gloria parua & ad tempus, stultitia
2. Cor sapientis in dextra eius, & cor stulti in sinistra illius

3. Corporis insano nosces libramine stultum:
Nam gradus internæ damnat deliria mentis:
4. Si formidandæ grauè spiritus infremat iræ,
Et princeps tibi bile tumens crudele minetur
Exitium, statione datâ sta firmus, & ira
Concidet, & mortem mors expectata repellet;
Obsequio absistit rigor, obsequióque resurgit
Lapsus amor; 5. sed grande malum est, & deuius error
Principis; 6. insultat victrix insania, fortis
Ad celsam prouecta rotam, tenet infima virtus.
7. Sublimes in equis vidi per compita seruos
Currere, sed contra seruilia fata ferentes
Moliri insuetis proceres vestigia plantis:
Quis furor, indignis manibus mandare secures?
Cæsaque terga flagris, trabeis decorare superbis?
Sustinet hoc fortuna nefas, secura pudoris!
Signa potestatis tantæ, & vestigia regni
Protinus his impressa, oculis mirantibus hausi,
Atque animo indignante: pudet contra vrbe vagari
Semineces, lentósque pigrum per compita gressum
Ferre magistratus; tumulis reptare reclusis
Corpora, pallentésque putes volitare figuras.
8. In foueam, nutante pedum molimine, fossor
Incidet, auctorem prius ipse vorabit hiatus:
Atque ubi latrones hortorum septa reuellunt,
Vindicat ingressum coluber; 9. qui mœnibus vrbis
Abducit lapides, hunc machina sæpe dehiscens

 Sternit;

3. Sed & in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat. 4. Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris, quia curatio faciet cessare peccata maxima. 5. Est malum, quod vidi sub sole quasi per errorem egrediens, à facie principis. 6. Positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum. 7. Vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram quasi seruos. 8. Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. 9. Qui transfert lapides, affligetur in eis, & qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis.

Sternit; in artificem ſceleris, ſua pœna recurrit.
Dura lacertoſo qui ligna tenacia findit
Robore, deluſis crebrò ſecat ictibus auras
Irritus, inque caput reditura ſecuris aberrat,
Aut, quod jam ſciſſum eſt, ſcindentis in ora reſultat.
Sic quiſquis leges, & propugnacula juris,
Septa æqui, Themidiſque domum, & prætoria ſacri
Judicii temerè evertit, tabuláſque refigit,
Communi extitio patriam, latâque ruinâ
Obruit ipſe ſuâ perimendus claſſe penates.
10. Attere, ſi ſit hebes, ferrum; per longa ſecuris
Otia ſupplicium ipſa ſibi, rubigine tandem
Carpitur, hanc multâ nigram ſi ſorde, ſuique
Diſſimilem dentes antiquæ reddere formæ,
Reſtituet labor impenſus, primâque nitentem
Luce redonabit; ſic & rubigine pulsâ
Improbus exacue ingenium, ſudoris & imbre
Ignavam irrora cotem, tum luce renatâ
Reſtituet labor obtuſum repetitus acumen;
Prævia ni dubiam ſapientia dirigat artem,
Ars opus incipiet, non impoſitura coronam:
At nihil ambarum junctis niſi viribus exit
In lucem hanc, operúmque fides communia poſcit
Fœdera, concordi torquenturque omnia ductu.
11. Si quem forte vagus per devia rura viator
Preſſit humi colubrum, bifidæ mox cuſpide linguæ
Inſinuat totos virus lethale per artus,
Tum verò fuſcari ora, & caligine mergi
Lumina, & urgenti torqueri viſcera peſte;
Humanæ ſua ſunt fatalia toxica linguæ:
Viperes dentes, ſociorum in ſanguine paſſim
Figere amat, fratriſque fibras, cognataque paſci
Viſcera

10. Si retuſum fuerit ferrum, & hoc non ut priùs, ſed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & poſt induſtriam ſequitur ſapientia 11. Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.

Viscera, & arrosum verbis deglubere nomen:
In manibus linguæ, Divorum æterna potestas
Fatidicam posuere colum, nunc stamina scindit,
Nunc fila agglomerat; nunc saxa sequacia voce,
Auritásque trahit quercus, inflectere cantu
Docta tigres at, si vesana resolverit ora,
Halitus exitio est, & pestibus inficit auras,
Multiplicat cædes, atque uno funerat ictu
Immensos late populos; tellure repostos,
Quos tenet alta quies, manes furiata lacessit,
Intentátque novum functis post funera fatum:
Quæ reptante priùs convicia nata susurro
Vix steterant, prono assensu & popularibus auris
Per mensas excepta volant, centum ora resolvunt.
Heroum generosæ animæ, tot fortia bello
Pectora, quos virtus supra contagia plebis
Eripit, occumbunt funestæ victima linguæ.
12. Cum sapiens loquitur, proprio velut ore profatur
Gratia, sed stultos effrena libido loquendi
Præcipitat. 13. primásque loquax vesania voces
Inchoat, extremas concludit pessimus error:
Culpáque proloquitur dictis, & culpa perorat,
14. Dum tales geminat dementia garrula voces;
Quæ proavi tulerint, venturi quæve nepotes
Fata ferent, ignorat homo; num fortè sepulto
Ocius accedet, quà pallescente recessu
Condit inaccessas, vivis domus invia, manes?
15. Si te quæsitam non cognita ducit ad urbem
Semita, diversos nequicquam erraticus agros
Lassâ relegis plantâ, metámque fugacem
Dum sequeris, metáque magis properando recedis;

12. Verba oris sapientis grata, & labia insipientis præcipitabunt eum. 13. Initium verborum ejus stultitia, & novissimum oris illius error pessimus 14. Stultus verba multiplicat, ignorat homo, quid ante se fuerit, & quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare. 15. Labor stultorum affliget eos qui nesciunt in urbem pergere.

Haud aliter demens á recto tramite cœli
Deuius, huc illuc frustra festinus anhelat,
Anfractus superat varios, atque orbibus orbes
Impedit, incerto torquens vestigia calle:
16. Ah miseranda nimis tellus, rationis egente
Quæ puero regeris! proceres ad munia lenti
Credita iura fori, media inter pocula reddunt
Officii immemores, puros queis mane recludens
Sol radios, lances, pateras, cyathósque deaurat
Missilibus primis: 17. nimis ô prouincia fœlix,
Cui genere insignis, plenis rex imperat annis,
In quâ fixa suo conuiuia tempore patres
Instituunt, mensísque ad debita pensa relictis
Excedunt, 18. gnari corrupta putredine tigna
Sidere, & imbricibus ruptis tabulata labare.
Aspicis ut quondam inuidiosa cacumina cœlo,
Pendula iam, rimis hinc inde patentibus, imbri
Dant tristes aditus, ventísque cubilia præbent?
Desertos urtica lares, & carduus hospes
Incolit; his cornix, his noctua, miluus, & omnes
Cum socia legione striges stabulantur in aulis,
Rex ubi magnifico nuper dormiuit in auro:
Unde mali tanti labes? luxúsne vorator
Largus opum, sociíque comes socordia luxus?
Sic est, pigra quies atque otia languida tandem
Funestas clades, & vix á Marte timendas
Important; & Atlas, regni qui sustinet orbem,
Desidiæ si carpit amor, sine cuspidis ictu
Corruet, inuolutéque suá regnum omne ruinâ
19. Scurra iocis Regem reficit, corpúsque saginâ,
Et

16. Væ tibi terra, cujus Rex puer est, & cuius Principes mane comedunt. 17. Beata terra, cuius Rex nobilis est, & cuius Principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad luxuriam. 18. In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus. 19. In risu faciunt panem, & vinum, ut epulentur viuentes: & pecuniæ obediunt omnia.

Et vendit caros, mensæ pinguedine, risus.
Auri proh nimium valet infinita potestas!
10. Nec tu propterea furtiuo corde susurrans
Regibus, aut inter tecti penetralia mussans,
Et timidè ad comites verba intermissa retentans
Detrahe diuitibus, nam septa domestica purgans
Excipit has voces aurito flamine ventus:
Has pipit passer, gallina gracillat, hirundo
Trinsat, cucurrit gallus, queritúrque columba,
Garrula ad offensas auis omnis nuntiat aures.

10. In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti: quia & aues cœli portabunt vocem tuam, & qui habent pennas, annunciabit sententiam.

ARGUMENTUM

Capitis Undecimi.

Salomon suadet beneficentiam, atque beneficentiæ, & bonorum operum assiduitatem, ex fiducia in Dei prouidentiam, ex mortis memoria, ex vita florentis vanitate, ex præmio, aut supplicio futuro.

CAPUT VNDECIMUM.

TU veræ pietas amans, ut in æquor, egenis
1. Funde, redundanti mage largus flumine, panem;
Nulli clausa manus fluuios excedat Iberos
Aurea dona vomens; populisque undare penates

1. Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies illum.

Cernere sit, miseros intrare, redire beatos.
Vt nemo ingreditur siccis maria humida plantis:
Non tamen exhaustis rearsces siccus ab vndis;
Sed pleno in fontem refluet liquor omnis ab alueo,
Et Phœbo redeunte, tibi collata redibunt,
Atque datis maiora, neque indigus ære carebis,
Quod dederis: 2. sed opum partem largire tuarum
Septimam & octauam: nam quâ tibi nube nigrescat
Proxima lux, nescis: 3 sic nubem imitare tumentem
Que bibulo stillans interluit arua liquore.
Seu planta ad Boream, siue inclinata sub Austrum
Conciderit, firmis veluti radicibus hæret,
Cladèque fixa suâ est, homines sic morte sua stant.
4. Flamina ventorum dum quis speculatur, & imbres
Credulus explorat, cultæ non debita mandat
Semina telluri; vel qui vaga nubila visu
Consequitur, nunquam farris cumulabit aceruos.
5. Vt rudis ignoras, cur perpluat imbrifer auras
Africus, & rigido marmor glaciale metallo
Induret Boreas, cur roscida vernet, in ortu
Pleiadum, tellus; cœlum & prius omne serenum
In nebulas latè denset nimbosus Orion:
Prægnanti veluti nescis coalescat vt aluo
Membrorum series, carni cutis, ossibus artus;
Digerat vt partes, induret vt ossa, liquètque
Sanguinem, & infirmos neruis corroboret artus
Nexilibus, vitæ & tandem spiracula fundat
Conditor ille potens hominum, rerumq; repertor;
Sic miranda tibi, nullìque imitanda Tonantis
Con-

2. Da partem septem, necnon & octo: quia ignoras quid futurum sit mali super terram. 3. Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent: si cederit lignum ad austrum, aut ad aquilonem in quocunque loco ceciderit, ibi erit. 4. Qui obseruat ventum, non seminat, & qui considerat nubes, nunquam metet. 6 Quomodo ignoras, quæ sit via spiritus, & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis; sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.

Consilia, humanos super assurgentia captus.
6. Dum jubar exoritur, cum sole ordire laborem
Impiger, &, dubia dum luce crepuscula prima
Emicuere, manus operi præcinge diurno:
Lumina dum claudet vesper, ne claude laborem,
Vrge opus intereà, noctém que adiunge diei.
Post matutinos vespertinósque labores,
Quod tempus meliore micet sub sydere, nescis
Seu nox, siue dies, tenebrísque operitur vtrumque.
7. Gratum oculis lumen, phœbæos cernere vultus
Dulce sapit: ceruos medicaminis edocet artem
Lucis amor, fugitivo hærent dum spicula dorso;
Eludit & vitale caput seruare colubros
Corporis obiectu, & viso vim duplicat hoste:
Ipse homo cœlicolis suppar, si fata minentur,
Igne sinit, ferroque artus in frusta secari.
Quin etiam, pueri pro cunis, sedula nutrix
Sollicitat diuos, Pyliíque & Nestoris annos
Postulat, & supplex votiuâ libat acetrá,
Vita tamen fugitiua volat, breuis ambitus æui est,
8. I, metire dies, & crudæ fila senectæ,
Quá loquor, hora fluit, vix syllaba nata solutis
Carpitur è labris: multos longævus in annos
Delicias longo qui felix hauserit vsu,
Liguæ mala longa moræ, vitámque fugacem
Cogitet, vt rapidis fuerint data papula ventis
Gaudia, temporibus nunquam reuocanda futuris:
Illorúmque memor, quot cassus luce, per annos
Ille iacebit humi data vermibus esca, reuoluat;
Ante pererratis quàm cursibus vltima Phœbus
Explerit

6. Mane semina semem tuum, & vespere ne cesset manus tua; quia nescis quod magis oriatur, hoc aut illud: & si vtrumque simul melius est. 7. Dulce lumen, & delectabile oculis videre solem. 8. Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita.

Explerit ſpatia, & cœlum reuolubile ſiſtat.
9. Perge ergo, & felix innoxia gaudia carpe,
Dum licet, & turgent vernanti ſanguine venæ.
Præſtiterit cupidis, quidquid ſpectabile paſſim eſt,
Uſurpare oculis, atque, ut ſit plena voluptas,
Delicias expletum animum duxiſſe per omnes.
Tu memor uſque tamen, poſthac libranda ſeuero
Iudicio, quæcumque facis; cùm luce ſupremâ
Cœperit altiſonans dare ſigna nouiſſima clangor.
10. Diſce iram regere, & frænare libidinis æſtus
Præcipites; non quòd placeat feciſſe iuuentæ,
Sed quid opus facto, rerúmque quid exigat vſus,
Sedulus explora: nam nomina mille nocendi
Una iuventa trahit, quæ ni compeſcat honeſti
Purus amor, niſi duratum patientia corpus
Roboret, ut rigidos poſſit tolerare labores;
Nî pectus firmet patientia, ut ardua cœpta
Ingentéſque ſequare auſus, & grandia vota;
Nî doceat menti ingenitos exſcindere motus
Una gubernandæ rectrix ſapientia vitæ,
Diſcrimen generis perit, & rationis egentem
In pecudem mutatus abit, quicumque furoris
Fluctibus abreptus, nil non pro lege tuetur,
Quod placitũ eſt animis, genióq; indulget, & annis,
Haúdq; ſibi imperium, & faſces tranſcribit honeſtos;
Sed faciem oblimat verſæ ad ſublimia mentis,
Altáque ſpirantem lentanti pondere tardat.
Incipe, ſi qua fides, mores ante omnia, vitámque
In melius reuocare, aditúſque repente malorum
Obſtruere, implorare Deum, & ſperare fauentem:
Nam cum deliciis fugit haud reditura iuventus.

AR·

9. Lætare ergo iuuenis in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & ſcito, quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium. 10. Aufer iram de corde tuo, & amoue malitiam à carne tua, adoleſcentia enim, & voluptas vana ſunt.

ARGUMENTUM
Capitis Vltimi.

Domesticorum antè actæ vitæ malorum, præmaturi senij, & aliarum ex ingluvie, & intemperante libidine ægritudinum experientiâ edoctus Salomon, præcipit adolescenti assiduam Dei Creatoris memoriam; nihilque, quod facto opus est, differri oportere ad extremum vel senectutis, vel mortis tempus: tandem, quæ dixit, unico Dei timore comprehendit.

CAPUT ULTIMUM.

1. IN primis venerare Deum, florente juventâ,
Dum potes, ante tuam quàm mille incommoda vitam
Obsideant, quàm decrepito tibi tarda senectus
Adrepat, morbùsque sequax, & turba malorum
Cætera, queis miseræ languet pars vltima vitæ:
2. Antè senex oculo quàm caligante tueri,
Quam lux deficere astrorum, pallescere Phœbus
Eripiat, vel Luna hebeti nigrescere vultu,
Æreum obducat species prænubilus aer.
Quæ tibi tum vires, oculis cùm densior humor
Confluet in nubes, vel restagnabit in imbrem
Assiduum, &, claro pro sole, crepuscula cernes?

3. Costa-

1. Memento creatoris tui in diebus iuventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni de quibus dicas non mihi placent. 2. Antequam tenebrescat sol, & lumen, & luna, & stellæ, vt reuertantur nubes post pluviam.

3. Coſtarum quando ſeries tutata penates
Pectoris internos, laxâ compage dehiſcet.
Cúm poſito imperio, cor princeps, aulicus hepar
Purpureus, cordiſque duo, ſplen, pulmo, miniſtri
Deficient, pigriſque ruet cuſtodibus aula;
Aut ubi rareſcent vacuo præſepia dente.
Nudáque deformi maxilla educet hiatu
Calue inſtar rictum: & captiua foramine nullo
Pupula, viæ tenues in ſole videbit aperto
Scintillas. 4. dentiſque ſono gingiua negato,
Sanguifico ſenſim defecta calore fatiſcet:
Alitis ad cantum, quando iam nocte peractâ,
Nixibus inuitis lecto conſtricta tenaci
Membrá gemens tolles: citharæ cum flebile carmen
Auris inacceſſæ diſrupta audire negabunt
Tympana; cùm voces muſſabis ab ore, nec aure
Accipies: 5. quando refugis ad culmina plantis
Æger anhelabis: primo cùm calle viator
Languidus hærebis: tenuem ſi forté ſenili
Repſeris in cliuum baculo, cum vertice ſummo
Aut Pindi aut Tauri planta titubante propinquum
Horrebis lapſum: velut albet amygdalus horto
Candida, ſic albâ caneſcent fronte capilli.
An flectes ad templa pedes, ad ſydera palmas,
Cùm fugiet pondus minimæ geſtare locuſtæ
Ægra manus; cùm qui leuior ſaliente locuſtâ
Prata pererrabas, vix internodia læſi
Inflectes femoris; vix capparis vlla palato,
Vix gelidis ſapiet prurigo extincta medullis?

Tum

3. Quando commouebuntur cuſtodes domus, & nuta-
bunt viri fortiſſimi, & otioſæ erunt molentes in minuto nu-
mero, & tenebreſcent videntes per foramina. 4. Et clau-
dent oſtia in platea in humilitate vocis molentes. & con-
ſurgent ad vocem volucris, & obſurdeſcent omnes filiæ car-
minis. 5. Excelſa quoque timebunt, formidabunt in via,
florebit amygdalus, impinguabitur locuſta, & diſſipabitur
capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ, &
circuibunt in platea plangentes.

Tum domus æternos habitanda locatur in annos
Vltima, & alternas inuertere neſcia ſortes:
Omnibus illa patet venientibus obuia, cuiuis
Clauſa regreſſuro, foribúſque tenacibus arcet
A reditu populos, immortalique ferarum
Mole catenatur, duróque in vecte laborat;
Nec frangi metuens æterno adamante rigeſcit.
Inde redux ſuperas nequicquam euadere ad auras,
Deſertóſque focos, notúmque reuiſere limen
Crediderís, nulla eſt lucis poſt fata fruendæ,
Siue relictorum ſpes poſthuma nulla bonorum;
Præfica tum triſtem lacrymoſis vocibus urbem
Flebilis implebit, ferali & compita leſſo.
Sic tibi deliciis prior hæc ſit cura, colendi
Numinis integritas, & non violabile mentis
Obſequium, 6. priùs exhauſtis quàm ſpina medullis,
Quæ limbo dorſum, medióſque interſecat artus,
Haud aliter longo quám chorda argentea ductu,
Flectat humo grauidum prono curuamine corpus:
Vel quæ diuinum, tanquam aurea theca, cerebrum
Inuoluit, vinclis pereat membrana ſolutis:
Vel fragilis lapſu, lapidoſo fontis in ore
Hydria fracta ruat, raptáſque ſororibus vndis
Reddat aquas, verſoque ſitu mutabilis axis
Lympharum ſolitos rota perfida deneget hauſtus.
7. Ante etiam, terræ ſibi quàm cognata reuiſat
Viſcera; vitali matris condendus in aluo
Puluis, & acceptæ repetens cunabula vitæ
Spiritus, vno auctore Deo cæleſtibus ortus
Sedibus, ſæpe exilium indignatus, Olympo
Priuatus patrio, quem ſpe conſcendit inani
Finibus humi, cæcâque inter caligine merſus.

8. Hoc

6 Antequam rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea, & conteratur hydria ſuper fontem, & confringatur rota ſuper ciſternam. 7. Et reuertatur puluis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui fecit illum.

8. Hoc quodcumque vides, ſpecies mentita decoris,
Exclamat Sapiens, rebúſque abſentibus umbra:
Quę, niteat quamvis, & ſuavi perlita fuco
Deceptos ad vana trahat ſpectacula ſenſus,
Umbra tamen tantum eſt, & inanis ludit imago:
Vanum, diua Themis, nomen, ſi dulcius omni
Eloquio Suadæ præſentia dona perorant:
In ſuperos vana eſt pietas, quam falſa deorum
Agmina dedecorant, ſacriſque altaribus arcent:
Spes vana eſt, dubiis ſi caſibus omnia verti
Credideris, Deus ac ſi celſa perambulet aſtra,
Securus quæcumque humili ſub ſole geruntur:
Vana fides, quæ fracta dolis; ſapientia vana eſt,
Quam vigili ſtudio Muſis dilecta parit nox,
Et redolet comites; quibus eſt prognata, tenebras.
9. Sic Salomon, cæli interpres, dulcique furore
Suetus humum fugere, & mortales linquere terras
Se ſuper aſſurgens, magni hæc veſtigia præbet
Ingenij; quòdque ingenio præfertur & arti,
Virtutis monimenta, & non delebile ſacræ
Indicium mentis: nam pectora & ora reſoluens
Plena Deo, crebris homines hortatibus inſtans
Sollicitat, mentéſque urget, doctiſque laceſſit
Alloquiis, ſenſim ut ſacræ reuerentia legis
Gliſcat, & optatos formet virtutis in uſus.
10. Plura dedit præcepta, memor quæ tota ſequatur
Poſteritas, ſcripſitque accomoda ſymbola rebus
Ad populi captus, ut tandem aut luce renatâ
Funditus excutiant noctem, aut ſubluſtris obortæ
Scintillæ radius mediis intermicet umbris;
Conſulit in commune, & formatura nepotes,
Qu

8. Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes, & omnia vanitas.
9. Cùmque eſſet ſapientiſſimus Eccleſiaſtes docuit. & enarrauit, quæ fecerat, & inueſtigans compoſuit parabolas multas. 10. Quæſiuit verba utilia, & conſcripſit ſermones rectiſſimos, & veritate pleniſſimos.

Quæ ſibi longæuis uſu collegit ab annis,
Scis ex adytis oracula plurima pandit,
Unde indocta cohors hominum, reſponſa reportet
In dubiis, ſtétque auctoris fundamine magno.
Jamque opus exegi, nulla quod nocte vetuſtas
Conſiderit: quod dextra dedit, quod lingua profudit
Diuinum eſt; aliàs docui, quodcumq; vel Hybla,
Vel vario fœcundus Eryx medicamine nutrit,
Excelſas Libani cedros, humileſque myricas,
Et ſalices cecini: hæc cedent in pabula ventis
Scripta, vel in tenues ibunt reſoluta fauillas;
Sed nunc maiori mens enthea numine, ſacrum
Condit opus, nullis poſthac violabile ſeclis.
11. Sicut anhelantes rigido ſub vomere tauros
Accelerare gradum cogunt admota coloni
Spicula; ſic animos operoſo in calle morantes
Acrius exſtimulant ſapientis acumina, & urgent
Ad virtutis iter; clauiſque profundiùs hærent
Mentibus, in paruum ſi fortè redacta volumen,
Prudentum ex monitis, paſtore legantur ab uno.
Hæc tibi ſufficiant, fili, nec plura require,
Ante oculos quæ cuique, mea neq; voce monenda:
Librorum modus eſt nullus, multiſque ſuperbus
Scribendi pruritus ineſt, libróſque libellus
Attrahit, his hominum mens altè infixa terendis
Exiique langueſcit, tantiſquè laboribus impar
Corpus hebet: 13. verbis aures aduerte, monebo
Quæ ſit ſumma Libri, & vitæ quæ norma regendæ:
Hoc timere Deum, ſupremáque juſſa Tonantis
Usque ſequi; ſtat in hoc generis diſcrimen, & omnis
Humanæ

11. Verba ſapientum ſicut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt à paſtore uno. 12. His amplius fili mi ne requiras: faciendi plures libros nullus eſt finis, frequenſque meditatio carnis afflictio eſt. 13. Finem loquendi pariter omnes audiamus; Deum time, & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo.

Humanæ rationis apex; ſit cura proinde
Hæc tibi prima, Deum colere, attonitiſque pauci
Senſibus, hunc, caſus ſicunde ſuperuenit atrox,
Implorare unum, molli cùm membra grabato
Seró dabis, lecto cùm matutinus abibis:
Hæc adeò dum vita manet, ſeu pulchra iuuentus
Corpus agit crudum, ſeu dudum effœta ſenectus
Languenti exercet defectas pectore vires,
Pro ſcelere æternáſque preces ad ſidera ferre
Edico, & totum gemitu conuoluere cœlum.
14. Seu bene, ſeu contra facias, Deus ante tribunal
Siſtet opus, meritis facient ſibi præmia cuncti,
Virtutem merces, & culpam pœna ſequetur.

14. Et cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium; pro omni errato, ſiue bonum, ſiue malum illud ſit.



Quo ætatis tempore ſit editus à Salomone Eccleſiaſtes ſive KOHELETH, & PSYCVRGICON.

SCRIBUNT *Hebræi, Salomem adoleſcentem edidiſſe Canticum Canticorum; Prouerbia iam grandem natu, ac ætate virili; Koheleth verò conſeneſcentem. Conjecturam faciunt ex variis iſtorum operum inſcriptionibus; nam in Cantico nominis ſui duntaxat meminit; prouerbiis regem Iſrael adſcribit; in Eccleſiaſte regem ſe in Ieruſalem appellat.*

Contendit Bellarminus variis rationibus probare Eccleſiaſten ſcriptum à Salomone adhuc puero, & incorrupto ante vitæ deprauationem: ſed veriſimilius putat Pineda cum D. Hieronymo, & viginti quatuor aliis grauiſſimis Interpretibus, hunc librum ſcriptum ab eo poſt universam gloriam & felicitatem non ſolùm delibatam

sed affatim perceptam & exploratam, imò & post peccatorum pœnitudinem, quippe in eo tanquam res sibi experimento compertissimas describit, sapientiam, opulentiam, ædificia, familiæ splendorem, operum magnificentiam: at viginti anni à regni initio usque ad domus absolutionem elapsi erant, id est septem templi, tredecim, domus suæ ædificandæ.

Neque solùm post gloriam Salomonis, sed post pœnitentiam scriptus est hic liber, quia ut dixi pœnitentiam agentis, ut vult Hieronym. post Hebræos, Græcos, atque Latinos; videtur sanè is primus fuisse pœnitentiæ fructus; atque statim ut resipuit, hanc concionem habuisse, de cultura animi scriptoque suam pœnitentiam testatam voluisse apud suos populares. Iuxta illud Proverb. 24. iuxta & Septuag. & ego novissimus pœnitentiam egi, post data præcepta de cultura animi.

ENUMERATIO ARITHMETICA
vanitatum quæ continet Ecclesiastes siue KOHELETH *siue* PSYCURGICON.

VOCATUS est Salomon KOHELETH, id est congregator, quòd præcepta omnia de cultura animi colligat, & rerum omnium summam, eásque vanitate, id est cifris illis, quæ nihil per se sonant, vocamus (zero) quasi iusto valore & æstimatione notet.

Cap. 1. Sunt terræ & elementorum omnium mutationes; inferiorum generationes & irrequietæ circuitiones; inter quas nihil internæ tranquillitatis ex scientia, aut usu rerum istarum humanus percipit animus, cogitúrque inclamare: O *vanitas!* Sensus nullis experimentis contenti satiantur; oculus & auris nova semper appetunt. O *vanitas!*

Rerum cognoſcendarum ingens eſt difficultas, & ſapientiæ comes, ingens corporis labor aſſiduaque animi defatigatio. *O vanitas!*

Cap. 2. Deliciæ, riſus, cumulus auri & argenti, regum & prouinciarum affluentia, familia, horti, pecora, cantores, cantatrices non explent animum. *O vanitas!*

Cap. 3. Temporum & ſtudiorum inconſtantia atque varietas, ſententiarum philoſophorũ.nque de mundi conſtitutione diſſenſio nullum fructum habet. *O vanitas!*

Impietas effert caput & iudicium ſcandit tribunalia, perturbata & confuſa omnia miſcentur ignoratione finis. *O vanitas!*

Cap. 4. Induſtria & labor honeſtus ſubiacet inuidiæ vicinorum. *O vanitas!*

Populus ſolem adorat orientem, & regni hæredem, ſpreto parente ſene. *O vanitas!*

Cap. 5. Loquendi temeritas, ſomniorum obſeruatio, prouidentiæ obliuio. *O vanitas!*

Egenorum calumniæ, auaritiæ ſitis inexplebilis, divitum aſſentatores, ſordida vitæ parſimonia cogunt inclamare: *O vanitas!*

Cap. 6. Qui non audet & à ſe non impetrat, ut comedat, & bonis, quibus circumfluit, utatur, ſtultitiam ſuam probat. *O vanitas!*

Eſt, qui ſibi in vitâ ſepulchrum non præparat neque curat funeris honorem, in futurum prouidus, ſed præſenti totus tempori inuigilat. *O vanitas!*

Eſt quoque, qui deſiderat quod neſcit, & vota ſua longiùs cognitione extendit. *O vanitas!*

Cap. 7. Qui ſuis viribus & meritis maiora ambit & ultra vitam quaſi ſibi profuturas diuitias accumulat. *O vanitas!*

Cap.

Contemptus boni nominis, consectatio adulationis, correptionis impatientia, studium vitæ diuturnioris dementem arguunt. *O vanitas!*

Fœmina ipsa fœminarúmque blanditiæ decipiunt. *O vanitas!*

Cap. 8. Principum obsequia & irritatio nil tibi, nisi laborem pariunt. *O vanitas!*

Iustorum ærumnæ, mœror ex alienâ sorte, & rerum, quæ supra nos sunt, stulta perscrutatio. *O vanitas!*

Cap. 9. Eiusdem sortis omnibus indiscriminatim casus, nullâ habitâ ratione personarum. *O vanitas!*

Incertum & dubium apud homines in vita, virtutis præmium. *O vanitas!*

Cap. 10. Stultorûm præpostera de rebus opinio, *O vanitas!*

Temerarius sepium dissipator vulnus sæpe ab angue latente accipit, & pœna in auctorem redit. *O vanitas!*

Multiloquium, & iudicum pigritia, dum rex puer rernm potitur. *O vanitas!*

Pecuniæ virtus, cui obediunt omnia, cùm vile metallum. *O vanitas!*

Cap. 11. Nimia rerum omnium præcautio, & stulta timiditas, *O vanitas!*

Adolescentiæ deliciæ, quam aut mors, aut senilus proxima urget. *O vanitas!*

Si omnium cifrorum (zeros vocant) summam colligas, iustum rerum omnium pretium elicies, id est nihil: Iure itaque *vanitas vanitatum* cecinit psychologicon, *vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

LAURENTII

LE BRUN

E SOCIET. JESU

EPICUM CARMEN.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.



DISSERTATIO
DE EPICO CARMINE



CAPUT PRIMUM.

Vis Epici Carminis.

OMnis præſtantia orationis, omnis eximia & à vulgari abhorrens conformatio verborum, omnes figuræ inſigniores, non ab alio ſcriptorum genere, quàm ab Epico carmine petuntur. Numeroſe autem dicere, quo nullum maius elocutionis ornamentum eſt, nemo poterit, niſi qui aures in numeris Poëticis diu multumq; tritas & exercitatas habeat. Quis negare audeat Epico carmini conuenire hæc tria quæ memorantur à Tullio his verbis: erit igitur eloquens is qui ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat: probare neceſſitatis eſt, delectare ſuauitatis, flectere victoriæ; Ac primò quod apud Ciceronem L. Craſſius aiebat, nihil ſibi præſtabilius videri, ad commendationem ſcilicet Eloquentiæ, quam poſſe dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere quò velit, unde autem velit deducere. Illi certè qui primi diſperſos congregaſſe homines, & ex agreſti feraque vita ad mitiorem & dulciorem traduxiſſe dicuntur, non alij quam Poëtæ fuerunt, quos propterea Plato Deorum Filios, & ſapientiæ Patres ac Duces vocat, qui & præclaras ſententias funderent, & certis numeris, ac pedibus verba vincirent, ita ut neque excurrerent ulteriùs quam par e-

rat, neque subsisterent citatiùs: sed paria paribus reddentes, concentum quendam efficerent dicendi. Admirata illos rudis antiquitas, & diuinum aliquid in eis latere rata est, & suauitate cantuum irretita, ducendam se illis gubernandamque permisit.

Quam porro in Poëtis multa sunt quæ moueant animos & incredibili suauitate peruadant! delectant enim propter admirabilitatem eorum, quæ mirifice narrant, numero item ipso & sono, qui naturæ ita consentaneus est, ut veterum quidam, animum ipsum esse numerum atque harmoniam putauerint. Delectant etiàm, quia cùm Poesis imitatio sit, quâ homines gaudent, res imitando expressæ, quoniam præferunt acumen ingenii, plurimum placent: nil dico de moribus, cum ignoret nemo affectus omnes legendis audiendisve Poëtarum versibus excitari solere; adeo ut vim Poëtarum Horatius cum funambulorum & magorum operibus comparans dicat, illos peruadere per hominum animos, in iis diuersos ciendo motus, & ad varias quasque orbis regiones cogitationem transferendo; ita ut qui legunt Poëmata, vel audiunt, interdum angantur, ac premantur metu, interdum ad spem erigantur; nonnunquam accendantur iracundia, exhilarentur nonnumquam, inducantur modo ad lachrymas, modo ad risum. ------ *angit*,

Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Vt magus, & modo me Thebis, modo ponit Athenis.

Si autem dicendi vis & forma tantopere ad eloquentiam valet, proh Deus immortalis, quæ suauitas Poëticæ locutionis! quæ concinnitas? qui lepos? quæ venustas? quod inuentionis acumen? quæ compositionis harmonia? qui verborum splendor? quæ sententiarum grauitas, quæ denique generum omni-

omnium dicendi maieſtas ? modo enim tanto impetu ac ſonitu feruntur, ut videantur tonare, fulminare, permiſcere omnia : modo paulò preſſiores aureâ quadam mediocritate procedunt, ut nihil poſſit aut concinnius aut ſuauius excogitari ; modo ita ſeſe demittunt, ut quamuis humi ſerpere videantur, tamen expleatur animus iucundiſſimâ lectionis voluptate.

At huius rei exemplum ex uno Poetarum aliquo ponamus. Poſſem hîc Homerum, quem ut cæterarum ingenuarum artium, ita Eloquentiæ quaſi fontem eſſe quendam plerique dicunt ; Sophoclem, Euripidem, à quo optimè ali Eloquentiam, ipſi Eloquentiæ magiſtri prodiderunt : cæteros denique Græcos & Latinos Poëtas in medio ſtatuere. Sed Virgilius unus nobis inſtar omnium eſto, quem certè qui Eloquentiâ dicendique artificio Ciceroni anteponant apud Macrobium inveni : quam iuſtis de cauſis non dico, ſed anteponunt tamen ; quadripartitam enim Eloquentiam faciunt : Copioſam in qua Cicero licenter excurrat ; breuem in qua Saluſtius regnet ; ſiccam quæ Frontoni, cum vinceret, adſcriberetur ; Pinguem aut floridam in qua Junior Plinius delicatè ac molliter exultet. In tanto ac tam vario ſcriptorum numero unum extitiſſe Virgilium aiunt, qui Eloquentiam ex omni genere dicendi conflauerit, admirabilemque fecerit concordiam ; grauia cum acutis, acuta cum grauibus, inflexa cum vtriſque componens : in Cicerone autem unum eſſe perpetuum atque conſtantem dicendi modum, affluentem videlicet, rapidum, volubilem, copioſum. Errant tamen iſti quod ab ea quam Virgilio tribuunt, laude Ciceronem excludunt, quaſi plura ſimul dicendi genera minime temperauerit. Breuis eſt & parcus in loco,

ubi res & causa postulat, grauis ac præstans, varius denique, pictus floridusque in rebus pro dignitate fingendis; gratiam tamen arbitris istis habeo quod ad huius gloriæ communionem admittendum esse Virgilium putarunt; atque id meritissimo quidem, cum ipse Cicero illum parem & quasi geminum Fratrem appellauerit: dum enim Romæ carmina quædam Maronis Bucolica recitarentur, præsente Tullio, vehementer admiratum styli elegantiam, exclamasse hunc ferunt,

-------- *Magnæ spes altera Romæ*;

Quasi nimirum sibi primas in Eloquentiâ vindicare partes, secũdas Virgilio deferret. Quoties autem ille candidatis Eloquentiæ præcipuum quoddam in Poëtarum partim lectione, partim imitatione positum esse præsidium docuit? quoties, postquàm ab ea legum seueritate discesserat, quâ paulò adstrictiorem esse Poëticam agnoscebat, cœterorum omnium, ingenii, solertiæ, verborum, sententiarum, pulchritudinis, Elegantiæ, majestatis, Doctrinæ, suauitatis, verbo, figurarum omnium ac luminum mirâ quadam & propria societate genus utrumque coniunxit;

Vide sis, in picta & exposita dictione Virgilii, ut omnes verborum ac sententiarum veneres, illigentur! quàm acutè vulneret, quàm placidè fluat, quàm adstrepat leniter, quam facile subeat, quam delicatè blandiatur. Agnosce in eo fœcundissimam rerum omnium varietatem, satietatis inimicam, conciliatricem voluptatis, quæ tanta profectó hîc est, ut cum Helicone ipso contendere, hortorum amænitate videatur. Quid persequar admirabilem imitandi vim, æmulámque naturæ facultatem! quâ solertissimus artifex consecutus est, ut unus & omnia fieri, quod Intelligentiis Philosophus tribuebat, & quod in alium convenit neminem (hoc enim

enim Poëta sonat) fingere molirique omnia dicendus sit; unus ille, unus est, cuius voce tonat cœlum, Æther micat, ardet ignis, aut nubes soluuntur, intumescit mare, terra suis librata ponderibus conquiescit; Per hunc ver effloreſcit, feruet æstas, tepescit autumnus, hyems obrigescit : huius ad calamum tolluntur montes, campi funduntur, subsidunt valles, syluæ vestiuntur, fontes scaturiunt, labuntur amnes, virescunt prata, horti pinguntur, mitescunt uvæ, segetes maturantur, geruntur bella, fœdera sanciuntur, genus omne litis componitur : Huius arte orator nemo non est, senex in Anchise, Vir in Niso, in Eurialo Adolescens, Puer in Ascanio, Mulier in Didone, Imperator in Ænea, in Latino Rex, Legatus in Ilioneo, Senator in Drance, in Numano miles, in Palinuro Nauta, in Entello Pugil, Pastor in Aristæo, Pater in Euandro, in Euriali Parente Mater, in Ænea Victor, Victus in Turno.

Age vero, quando quidem aliud est dictionem habere, uno illo ac vegeto, non rudis & crudæ, sed maturæ ac decoctæ eruditionis sanguine coloratam, aliud fidem facere, quo præsertim illam dicendi vim Rhetores contineri volunt : videat, quàm id perfectè à præstantibus Poëtis, maximeque à Virgilio, præstetur : quoniam verò ex partibus orationis quatuor hanc probandi facultatem, narratio potissimum confirmatióque desiderant, quem, amabo te, non capiat, ut parcam cæteris, continens illa Æneidos, perpetuáque narratio ? quàm apta sunt, quam cohærent, quàm sibi cōstant omnia! quàm nihil usquam offendit, nihil titubat, nihil insistit, cuncta fluunt à capite, ac sese nexu quodam excipiunt ? præceps occurrit nihil, nihil impeditum, nihil auulsum, nihil hians, nihil dissipatum : tempora describuntur, digeruntur consilia, causæ aperiuntur, mores homi-

num

num sensusque pellucent : Lege, ac sedulo perpen de fraudem, sermones, artificia Sinonis, quis n videre aut audire sibi videatur pugnantem, urgentem, prementem oratorem?

Nihil Didoni magnus Ilioncus, nihil Lati Regi non persuadet; quibus Æneam telis Dido peti quibus stimulis fortissimum Imperatorem fodere ac penè cruentaret fœminæ ardentis oratio, nu eorum aciem & impetum constantia viri singula diuinæ voluntatis clypeo, imperioque retunderet!

Vide nostram eloquentiam poëticam de fu rore poëtico & aliis præceptis; hoc enim op nostrum Eloquentiæ poëticæ, quæ ante aliquot an nos in lucem prodiit, fuit veluti nostri Virgili Christiani antecessio.

CAPUT SECUNDUM.

Finis Epici Carminis.

QVi Poëtarum nomen sibi legitimè arrogant, debent excogitatis à se ingeniosè rebus humanæ vitæ imaginem ante oculos ponere, & ex humanarum actionum contemplatione iudicare qui cuiq; mores conueniant : Unde Horatius ad Pisonem eos imitatores vocat. Sic Virgilius principis fortissimi & prudentissimi ideam & formam exprimit, quem scilicet nihil lateat eorum, quæ tempori gerenda sunt : cui exploratum sit ac perspectum quid sectari, quid fugere in omni rerum commutatione debeat, qui aduersis rebus non atteratur, secundis non insolescat.

Philosophiæ & poëseos idem videtur esse finis, utrique enim conuenit, ut erudiat homines a virtutem; sed poëta virtutem in aliquo perfectam fingit, & imitandam proponit, ut ait Horatius, Philosophus vero præceptiones tradit & disputationes

institu

instituit de virtute : unde illius unus est ac simplex finis, instituere videlicet lectorem ad probitatem ; poeta autem duplicem sibi proponit, imitari & instruere, seu imitando docere ; itaut hic quidem sit ultimus, ille autem medius & quasi modus ad hunc ultimum : Præter fines hos, ultimum & medium, alius est inferior, & veluti arbitrarius, liberè à Poëtis sibi propositus : verbi gratia uno omnium consensu Virgilius Populum Romanum gentium victorem & dominum à nobilitate, ab originis vetustate, a rebus gestis commendandum suscepit, præsertim Imperatores Iulium & Augustum, nam Iulia gens ab Ænea ipso, vel ab Julo Æneæ filio originem trahit Æneid. Lib. I.

Nascetur pulchra Troianus origine Cæsar,
Iulius à magno demissum nomen Iulo.

Et ut fortes creantur fortibus, ex Æneæ virtutibus & egregiis Troianorum gestis coniectare licet populi Romani animos, & præsertim Iulij & Augusti virtutes, quæ haud dubie & obscure attinguntur in sexto, postquàm ad inferos Æneam deduxit & in octauo, ubi eius clypeum descripsit.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium sine fine dedi.
Dum conderet urbem,

Inferretque deos latio, genus unde Latinum,
Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ.

Et paulò post:

Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.
Hinc populum late regem, belloque superbum
Venturum auxilio Libyæ.

Lucretius de Romana urbe.

Æneadum genitrix

Virgilii

Virgilii consilium fuit, Homericam poësim, quæ tunc maxime vigebat, re & verbis exprimere, et Illa effigiem quandam ducere atque conformare: Imo, ut habet Scaliger, Homerum vel æquare vel vincere, quod multis in locis præstitit: sunt qui existimant voluisse Virgilium in alienis exemplis & personis facta & gesta Romanorum principum expressisse, & eorum ita beneuolentiam captasse: ut cum de templo loquitur à Didone ædificato, indicat fanum M. Agrippæ, quod Pantheon vocabatur, habebatque gradus æneos, trabes æneas, & inauratas, ingentesque valuas æris Corinthii, dum Virgilius Libro primo canit:

furor impius intus
Sæua sedens super arma, & centum victus ahenis
Post tergum nodis, fremit horridus ore cruento.

Alludit poëta ad tabulam pictam in foro Augusti in qua belli προσωπεν reuinctis post tergum gemebat manibus.

Dum Virgilius lib. 2. introducit Sinonem dicentem: *Limosoque lacu per noctem obscurus in ulua delitui*, alludit ad fugam Marii, qui equites se insectantes, & mortem intentantes fugiens nudus in limo ad arundinetum Minturnensem latuit.

Dum Virgilius in eodem secundo libro ait de Priamo: *Iacet ingens litore truncus, avulsumque humeris caput, & sine nomine corpus* in memoriam reuocat calamitosissimum exitum Pompei, qui à Cæsare victus, dum è Thessalia, in Ægyptum fugit, in litore obtruncatur à P. Septimio transfuga, milite olim suo.

Florus ibd. 4. cap. 2.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

Ordo in Epico Carmine.

IN Æneide, ſi rerum geſtarum, temporumque ſeriem conſideremus, ſecundus liber eſt primus, tertius ſecundus, primus tertius; neceſſarium utique fuit decantatam toties ciuitatem prius in ignes conſidere, & ſolo æquari, quàm proficiſceretur Æneas in exilium, & terra marique multis vexatus incommodis in Siciliam tandem delatus, inde ſolutis anchoris, ventorum furiis ac rabie ab Italia in Africam proiiceretur: poëtæ temporum & negotiorum conſecutionem ſua in diſtributione haud ita ſeruant.

Horatius Poëtam prohibet ab initio actiones inchoare, ideoque arguit Antimacum, & commendat Homerum dum canit:

Nec reditum Diòmedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo,
Semper ad euentum feſtinat, & in medias res
Non ſecus ac notas auditorem rapit.

Cum ſtatim ab initio promiſiſſet Virgilius producturum ſe Æneam è Troiæ litore.

Troiæ qui primus ab oris

Initio tamen narrationis, Æneæ claſſem à Sicilia non a Troia producit ut animaduertit Manut.

Vix è conſpectu Siculæ Telluris in altum
Vela dabant læti &c.

Vida hanc quoque præceptionem tradit in poetica:

Con-

Conueniet potius propè finem prælia tanta Ordiri.
Ad Troiam Argolicis cessatum est Hectore duro:

Quod & ipse præstitit in Christiade hoc ordine digesta.

Homerus de Troiano bello & erroribus Ulyssis á mediis inchoauit, non primum a iudicio Paridis, non ultimum ab excidio Troiæ : Virgilius autem a media peregrinatione Æneæ, non prima : unde secundus Liber est primus : in Ignatiade secundus liber, qui continet conuersionem Ignatii, debet esse primus ordine quidem rerum, sed non poëtico.

Quæ certè scribendi ratio, arsque singulariter conuenit Poëtis, quæ primo aditu obscura est, abditaque lectori, nisi erudito sit, callidoque ingenio, ad artificium illud intelligentis rimandum.


Eandem plerique autumant esse historici, Poëtæque artem, verùm grauissimè aberrant : diuersi enim genere artifices ambo illi sunt, qui nihil habeant inter se commune, præter rerum descriptiones, veluti acierum conflictus, oppugnationes urbium : uterque itidem syluas, montes, fluuios, agros, itinera, arma, mutationem castrorum, stratagemata, eorum qui in pugnâ occubuerunt numerum, varia bellicæ rei consilia & militarem usum stylo depingit : quâ in re nihil peccari à Poëta, neque ab historico debet : in cæteris nulla eorum communitas est, nisi quod ab neutro quidquam talium mendax afferri contra temporum veritatem oportet : in quo deliquisse Virgilius videtur subducendi temporis ratione abusus, quod idem tribuit Beli Filiæ Didonis, ac Æneæ, quamuis hunc illa centum ut minimum annis antecesserit, id tamen commentus est Poëta in Augusto Populoque R. Carthaginensium victori gratificatur

ſcrit; atque] ut Didonis execrationibus conſtitueret initium, capitalique diſſidio quod inter florentes nationes duas exarſit tanto igne & tempore, id arti ſuæ neceſſarium proponit ſibi ut ſectetur non veritatem veſtigiis, ſed quod veriſimile eſt, quodque fieri poteſt, quo fundamento, exædificat opus ſuum velut relinquens narrationem ſcriptoribus hiſtoriæ, qui eodem continentique filo argumentum ſemel inchoatum ipſo ab exordio ad finem usque pertexunt.

Solet autem induſtrius Poeta opus ſuum à medio plerumque argumento, & nonnunquam ab ejus fine ordiri, quod poſtea perſequitur apte admodum a ſingulari caſu atque eventu rei, quam ſcribere aggreſſus eſt: modò perſonarum interpoſitu, quæ colloquantur inter ſe, modo ſomniis, prædictionibus picturisque, in adversâ parietis cujuspiam atque [...]um aut clypei parte eminentibus: vel ab extremis moribundorum verbis, vel ab augurio & volatu avium, cœlique ac dæmonum aſpectu, monſtroſis etiam vocibus equorum lethali affectorum plaga: ita ut poſtremus operis actus priori aptè commodeque reſpondeat, & initium atque exitus miro inter ſe artificio cohæreant.

Duplex ordo eſt, rectus & inverſus, inverſus habet aliquid majoris admirabilitatis & magis afficit lectorem, rectus ſua pulchritudine non caret & majorem habet claritatem: De iis Scaliger & Vidas ſe [...]unt plurimùm; ſed fruſtra: qui enim rectus eſt, reſpectu rerum aliarum inverſus eſt. Homeri ordo in Iliade rectus, ſi Achillis iram, verum Poëmatis argumentum reſpicias: Poeta enim fabulæ initium ducit ab iſta ira, & terminum imponit: ſi vero

respicias alias belli partes, quæ præcesserunt, & q
per Episodia dicuntur, rectus est ordo : eundem o
nem mixtum reperies in Odyssea & Æneide, & c
sequutus sum ? quia ab Aristotele magni fit : ob
vavit autem recentior quidam non esse impon
dum fundamentum fastigio ; sed certo omnia o
dine collocanda, præsertim ipsa actio quæ est fab
læ argumentum ; alioquin in monstrum desinere
debent porro omnia Episodia ab actione prima
procedere ut membra à trunco corporis neque ad
libitum omnia fingi sed cum fundamento.



CAPUT QUARTUM.

DE PRINCIPIO POEMATIS

De naturâ propositionis & munere.

SOlent magistri artium opus aliquod aggressi brevibus quibusdam initiis præludere, ita musici ad cantũ accingunt, ita oratores ad orationem quos Poëtæ imitati, ad reliquam se pariter Epopœ narrationem comparãt. Illorum igitur est in propo sitione auditoris animum brevi expositione auc pari, ut docilem eum ad reliquam narrationem h beant ; aliter enim fluctuáret anceps animus, n haberet unquam in quo sisteret : quare Virgilius b viter opus proponit.

Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab

Sunt qui ineptè mallent propositionem junctam cum invocatione ad imitationem Hom huc modo.

Dic mihi Musa Virum, Trojæ qui primus ab

Præ

Præter docilitatem attentio requiritur, quam facile ac nullo negotio Poeta comparabit, si magna, si jucunda, si admirabilia proponat, quam in rem præclare Virgilius.

Multùm ille & terris jactatus & alto.

Benevolentia restabat, quam habebit, si quid maxime post exitum fabulæ consequutum esse memoret, quod ad auditores pertineat, ut subtiliter Virgilius subjunxit.

Genus unde Latinum.

Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ.

Simplex & brevis debet esse propositio, quæ rerum fastigium absque multitudine verborum attingat: auditor enim, ubi rerum exitum & scopum didicit, ad narrationem festinat: neque tamen ea verba decidenda sunt, quæ si subtrahantur, rem obscurent.

CAPUT QUINTUM.

PRÆCEPTA ALIQVOT

Ad Propositionem Spectantia.

Primum suppeditabit oratorum princeps Cicero, quod etsi de oratione soluta iubeat; recté etiam in poemata transferes.

Exordium, inquit, sententiarum & gravitatis plurimum debet habere, & omnino omnia, quæ pertinent ad dignitatem, continere in se: propterea quod id optime faciendum est, quod oratorem auditori maxime commendat: splendoris & festivitatis & concinnitudinis mini-

nimum : propterea quod exiis ſuſpicio quædam appari-tionis , & artificioſæ diligentiæ naſcitur, quæ maxi-orationi fidem , oratori adimit authoritatem.

At intercedes, ſi omnia ad majeſtatem compoſ- eſſe debent in poemate, omnia ad pompam, omni- ad ſplendorem, quidni igitur illuſtribus initiis præ-ludemus ? quia ſcilicet melius ad reliquam orationem animus diſponetur ; quæ ſi ab ineunte poemate ma-gnificis efflorefceret, omnino eum ad ſe raperet, nisi ægre admodum ad ſequentia haberet attenti-. Huc accedit, quod vix oſtentationem ingenii & eru-ditionis effugeret , quo quid ineptius aut minus fe-rendum ? Quare Horatius non immerito neſcio quem verſificatorem ac circumforaneum Poetam damn- qui ad gratiam aucupandam initia mirifico verbo-rum delectu exornabat.

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?

Inde mirifice Homerus extollendus, qui Odyſſæ- ſedatioribus initiis prætexuit , ita vir ſapiens.

Virum dic mihi muſa verſutum , qui valde multum erravit, poſtquam Trojæ ſacrum oppidum diripuit multorum autem hominum vidit urbes & mores no-vit, plurimos vero ille in mari paſſus eſt dolores ſuo in animo.

Alterum præceptum ſit ; ne longis anfractibus ora-tio circumducatur, aut translationibus intumeſcat: id vitio fuit Claudiano , qui principio tumidiori ex-orſus eſt.

Inferni raptoris equos , afflataque curru
Sidera Tænario, caligantiſque profundæ
Iunonis thalamos , audaci promere cantu
Mens congeſta jubet.

Statius etiam in Achilleide inflata veluti tuba incip-

Magn-

Magnanimum Æacidam formidatamque tonanti
Progeniem & patrio vetitam succedere cœlo
Diva refer

Ubi vides literam, A, toties primo versu repetitam, totque voces polysyllabas simul conjunctas versum tumidiorem efficere.

De Lucano quid dicam, qui ob vastas & nimium sonantes voces latrare quibusdam videtur?

Bella per Aemathios plusquam civilia campos
Iusque datum sceleri canimus, populumque potentem
In sua victrici conversum viscera dextra,
Cognatasque acies, & rapto fœdere regni
Certatum toties concussi viribus orbis
In commune nefas, infestisque obvia signis
Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.

CAPUT SEXTUM.

Virtutes Propositionis.

Ex vitiis propositionis, virtutes colligis, nempe ambitiosis resectis verborum phaleris, omnia nudè, sedatè & nitidè propones: licet autem multorum fortasse futuræ sint actiones in poemate, una solummodo debet esse propositio, quia una tantum est in fabula actio, & ad illam unam principem actiones omnes aliæ tanquam partes referuntur; satius erit tacere personas; neque enim Virgilius Æneam, neque Homerus Ulyssem aut Achillem nominant; sed tantum ita proponunt, ut ex factis ii ipsi dignoscantur. Homerus ut Ulyssem, diceret, usus est circumlocutione, quam Latinus Poeta vertit.

Virum capta post tempora Troja.

Qui mores hominum multorum vidit, & urbes

Quę circumlocutio, si obscura fuerit, eo loco maximam obscuritatem afferet, ubi maxime doci itate & perspicuitate opus est. Atque etiam illud addunt, ut, si circumlocutione uti nolimus, pro proprio nomine patronymicum locemus. Verum etiam cum proprio nomine conjunctum patronymicum legitur apud Homerum in Iliade.



CAPUT SEPTIMUM.

DE INVOCATIONE

Quando invocandum, & quomodo.

PRopositionem invocatio sequitur, cujus occasionem dedit, rerum de quibus agendum est sublimitas: Nam est ea & hominum animis impressa cogitatio nihil nos arduum, ac mirandum, nihil augustum ac difficile, nisi supremo afflatos numine posse perficere, quare omnes qui se religiosos profitentur, tantum opus aggressuri numinis auxilium implorant.

Duplex autem est invocandi ratio; vel cum propositione conjunctim, vel ab illâ separatim; conjunctim fere Græci omnes, ut in utroque suo opere Homerus præstitit.

Virum dic mihi musa versutum, qui valde multum erravit. Et in Iliade.

Iram cano dea Pelide Achyllis perniciosam &c.

Fere seorsim Latini omnes, ac ipse Poetarum princeps, cum breviter in opere toto perficienda proponit, subjungit invocationem,

Musa mihi causas memora,

Atque ita passim in Georgicis.

CAPUT

CAPUT OCTAVUM.

A quibus gratia imploranda.

A Musis aut Apolline, quos Poëticis præesse fingebant, & à cæteris numinibus soliti erant veteres gratiam implorare: ad Imperatores nonnunquam & orbis magnates confugiebant, quos turpissima adulatione dividere orbis imperium cum Jove fingebant, patet 4. Georg. ubi Virgilius Mœcenatem implorat.

Hanc etiam Mœcenas aspice partem.

Testes quoque sunt Ovidius in Fastis, qui Germanicum, Flaccus qui Vespasiianum, Oppianus qui Antonium, Lucanus qui Neronem, Statius qui Domitianum invocarunt.

Christiani, licet poëticè loquantur, non à poëtico & ficto deo; sed à vero Numine & cœlitibus auxilium postulare debent, in sacris præsertim argumentis.

CAPUT NONUM.

VTRVM IN IPSO NARRATIONIS

Cursu liceat Invocare.

ORatores progressi longius aliquando in oratione, cum ad gravem locum devenerunt, denuo captant benevolentiam, & attentionem renovant; eadem datur in ipso narrationis filo Poëtæ licentia, aliqua miranda præsertim & insolita dicturo: Id passim Virgilius, ut cum Ænea unà cum Sybilla inferos subeuntem describit, iterat invocationem,

Dii, quibus imperium est animarum, umbræque silentes,
Et chaos, & Phlegeton, loca nocte silentia late.
Sit mihi fas audita loqui, sit numine vestro
Pandere rés alta terra, & caligine mersas

Et septimo Æneidos.

Tu vatem, tu diva mone, dicam horrida bella

Et alibi

Pandite nunc Helicona, Deæ, cantusque movete.




CAPUT DECIMUM.

DE NARRATIONE

An aliquid ante narrationem sit præmittendum.

INvocatione facta, antequam Narrationem aggrediamur, quædam breviter afferenda sunt, quæ nobis viam ad reliquum orationis cursum faciant; sic antequam ad Narrationem suam Virgilius accederet quatuor, aut quinque causas enumerat, cur in Æneam accensa Juno tam ferociter baccharetur, quibus explicatis ad actionis expositionem descendit.



CAPUT UNDECIMUM.

UNDE ORDIENDUM.

In Narratione Poetica.

SEcus certe Poetis, quam historicis accidit, qui ab ovo narrationem instituunt, ac religiosissime temporum, rerumque seriem observant, cum poëtæ à postremis plerumque aut mediis ordiantur. Ita cæteris Homerus facem prætulit, qui post vastatum

Ilium

Ilium Ulyssem in Orgia insula, apud Calypsonem Atlantis filiam statuit, deinde multis functum periculis, ac laboribus ad Alcinoum Regem in Corciam insulam devenisse narrat, ubi inter epulas, labores, pericula, pugnas, errores præteritos lib. 9. & tribus aliis ad decimum usque tertium, exponit.

Item Virgilius Homericæ virtutis imitator & æmulator egregius, non ab eversione Trojæ, sed è Sicilia versus Italiam navigationem inchoavit. Æneas turbulentissima jactatus tempestate ad littus Carthaginiense appellit, & à Didone Regina perhumaniter exceptus est, ubi scilicet inter epulas (quemadmodum Ulyssem finxit Homerus) quæ in eversione Trojæ litoribus in Siciliam usque terra marique passus est, enarrat. Quare, si naturalem rerum seriem inspiciamus, qui liber secundus est, primus esse debet; qui tertius, secundus; qui primus, tertius censeri debet: neque enim aliò se transtulit Æneas, nisi prius Troja vastata. Hac in parte peccavit Lucanus, qui Historicus potius quam Poeta audivit.

Sunt, qui inter poetas vix numerant Ovidium; qui tota Metamorphosi rerum seriem plane sequutus est, nec satis ordinem poeticum ab historico distinxit.

CAPUT DUODECIMUM

QUOMODO NARRATIO EPICA peragenda est.

IN narratione Epica tragicos imitaberis, quo non uno eodemque tenore actiones, nec sicuti contigerunt, prosequuntur, sed per interloquentes personas, non modo antecedentia; sed præsentia etiam, &

ſubſecuta efferunt. Hac ratione uſi ſunt Homerus, & Virgilius, quos pauciſſima ex ſe narrare animadvertes, & hanc vulgo rationem afferunt, quia in poëmate perfectior eſt imitatio, ubi aliena loquitur perſona.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Virtutes Narrationis.


IN narratione Epica, eædem omnino, quæ in narratione ſoluta, virtutes requiruntur, probabilitas, perſpicuitas, brevitas: memineris non tam ad ea quæ facta ſunt, quam quæ fieri potuerunt, poetas attendere: quare ne illi à ſcopo aberrarent, ſi quæ accidere non potuerunt, afferrent: vel quæ fieri potuerunt, quaſi facta dicere reformident, cum ex natura ſua obſcura ſit Poëſis, in Poëmate neceſſaria eſt perſpicuitas, ne tenebræ tenebris ſuperaddantur.

Quare omnia diligenter explicanda ſunt: non in fabulis luxuriandum, non abſtruſiora inventa inducenda, quæ negotii plurimum minus eruditis facesserent, verba antiqua & obſoleta fugienda: Cavendum denique ne crebrioribus peripetiis, agnitionibus, epiſodiis redundet. Similiter frequentiores parentheſes, aut longiores, hyperbata, translationes, & id genus cætera, quæ officiunt perſpicuitati, diligentiſſime devitentur.

Brevitas non omnis fugienda, ſi quidem Homericæ, & Virgilianæ narrationes ampliſſimæ ſunt: videbis tamen ne res altiùs repetas aut ultra unam actionem producas, quod eſſet contra brevitatem peccare.

Quartam ego virtutem ſuperadderem, ſuavitatem quæ in Virgilio, & Homero mirabiliter elucet; hanc vero conſequeris, ſi brevibus Epiſodiis narrationem illu-

illuſtres, ſi admirabilitatibus compleas, ſi perſonarum colloquiis diſtinguas. Huc accedant oportet inopinati rerum eventus, lætitiæ motus, doloris, iracundiæ, ex quibus univerſis mirum quantum decoris narrationi accedit..



CAPUT DECIMUM QVARTUM.

COROLLARIUM.

DE Elocutione Poëmatis, conſule noſtrumLibrum Quartum, qui totus eſt de elocutione poetica: de moribus, conſule tractatum de tragœdia, & de animi motibus, de argumento poëmatis vide Caput decimum Libri primi, ubi omnia poëtæ ſubjici oſtendimus, nam Poëtica narratio nihil non ſibi vindicat: finge quid libuerit pretioſiſſimum, niſi inſit, ſerpit ac jacet poëtica narratio: ut enim inſolitis & magnis, quæ poſtulat, ſuperſedeam, niſi terra marique ſit pugnatum, caret ornamento, requiruntur urbium, portuum, Provinciarum, Regnorum tempeſtatum, bellorum, naufragiorum, pacis deſcriptiones, denique poëma miraculis fœcundum eſſe debet: hæc in uno Virgilio patent univerſa, quod ad urbium portuumque deſcriptiones pertinet. 3. Æneidos portus deſcribitur. *Vide noſtram eloquentiam Poeticam.*

Portus ab Eoo fluctu curvatus in arcum.

Æneid. 18. Carthaginis Magnificentia.

Miratur portas ſtrepitusque, & ſtrata viarum &c.

Porro tempeſtatum deſcriptionibus nihil frequentius & præſertim. I. & 2. Conſuetudinum populorum & rituum multa ſunt exempla, præſertim Æneidos 8. ubi ab Evandro Rege & ab regni populis in honorem Herculis ob cati internecionem feſti dies aguntur;

tur; & 5. Æn. maxima omnium ludorum pompa p[illegible] Æneas Anchisæ parentat, similiter exequiarum ce[illegible] monias expressas habet 3. Æn. ubi Polydoro funus in- stauratum describitur.

Undecimo Æn. præclara est extincti Pallantis fu- nebris pompæ descriptio, ubi veterum Romanorum consuetudines in exequiis principum celebrand[illegible] aperit.

De Augurum scientia habet multa lib. 3.
Interpres divum qui numina Phœbi, &c.
Qui tr p das &c.

Astronomiæ exemplum datur eodem lib. 3.
Explorat ventos, atque auribus aera captat,
Sydera cuncta notat &c.

Et quinto
Mutati transversa fremunt, & vespere ab a[illegible]
Consurgunt venti

Ne Theologiam & Philosophiam desideres, vi[illegible] totum sextum Æneidos, ubi tota Ægyptiorum my[illegible] steria declarantur. Philosophiam vero passim in de[illegible] scriptionibus deprehendes, ubi rei descriptæ natu[illegible] subjicitur. Consule 3. Æn. ubi pestilentiæ caus[illegible] invenies.

Subito cum tabida membris
Corrupto cœli tractu, miserandaque venit
Arboribusque satisque lues. &c.

Fabulæ vero crebrius inseruntur, ita in 3. prodigio- sa harpyarum monstra: item in 5. Enceladi supplicium quem perpetuis ignibus in Ætna monte divexari fa- bulati sunt veteres. Denique libros singulos consule[illegible] nullam non fabulam reperies.

Non deest historiarum splendor, octavo Æneid[illegible] in clypei Æneæ fabrica, Romanorum ducum fa[illegible] nora ac præsertim bellum Actiacum describuntur:

q[illegible]

quo victor Augustus, victis fusisque Cleopatra & Antonio, triumphavit.

Illic res Italas, Romanorumque triumphos
Haud vatum ignarus venturique inscius ævi
Fecerat Ignipotens: illic genus omne futuræ
Stirpis ab Ascanio, pugnataque in ordine bella
Fecerat &c.

Pugnatur demum terrâ marique in octavo, ubi describitur Augusti cum Antonio navalis pugna.

Una omnes ruere, ac totum spumare reductis
Convulsum remis, rostris stridentibus, æquor.

Habes in nono urbis obsidionem, certamina, pugnas, strages; in decimo similiter omnia tragice permiscentur; in undecimo crebræ ducum mortes & certamina conspiciuntur, in ultimo denique certamen singulare Æneidem concludit.



CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Actio Epici Carminis.

Actio poetæ debet esse unica, non plures, quæ ut appareat una, debet nudari suis circumstantiis v.g. actio Virgilii talis; Æneas vir fortis patria [pulsus] ..ata, novam sibi sedem fato quærit, post diuturnos labores in Italiam venit & ibi regnum constituit. [Act]ionis hujus inventio, quæ magnam partem efficit est, vocatur fabula à Philosopho μῦθος, ab aliis item coagmentatio sive constitutio, cujus tanta vis est ut modo *anima* poeseos, modo finis ab Aristotele vocatur; Plutarchus libro de audiendis Poetis ait, *poesim*

poesim nullam novimus, quæ fabula careat. Poema Ignatiani ea est fabula; Ignatius divinitus admonitur, Hierosolymam proficiscitur, ut Apostolicum spiritum hauriat, quo correptus Parisios venit & condit societatem Jesu. Effatum est Aristotelis de Poet. 25. Epopœjam esse *circa actionem unam, totam, integram, initio medio atque fine constantem.*

Nonnunquam sumitur fabula pro toto poemate Epico; alias pro sermone fictitio, rem aliam dissimulanter significante.

Actio Epici carminis debet esse illustris, ut ait Arist. interprete Pacio: præclara, interprete Heinsio: honesta ut alii vertunt σπουδαῖος

Veteres crediderunt suos heroas, ex dea & viro mortali natos, ut Achillem & Æneam, aut ex Deo & fœmina ut Hectorem, ut habet pluribus Eustathius in Homerum.

Aristoteles tradit præstantissimos quosque viros atra bile abundasse, recensetque Platonem & Socratem, adde Ajacem & Herculem, cujus bilis calore concepto in ignem emicabat, purissimamque flammam. Existimaverunt nonnulli unam esse actionem, quamvis ex eadem parte plures sint Heroes, primo tamen Heroi non æquales: id vero longe plurimi pernegant, neque sociis adjunctis vel secundas partes concedunt. Homerus in Iliadis propositione, quæ est breviarium integri poematis, & auctoris compendiosa mens, meminit unius Achillis, & ejus iræ.

Iram cane, Dea, Pelidæ Achillis

μῆνιν ἄειδε

Imo congressurus Achilles cum Hectore, nutu capitis prohibe, ne exercitus tela jaculetur, ut eam sibi actionem solus vindicet.

Nequ

Neque permittebat mittere in Hectorem gravia jacula.

Idem Homerus in Odissea propositione unius Ulyssis mentionem facit.

Virum mihi cane musa versutum &c.
ἄνδρα μοι ἔννεπε

Unius Illius fuit actio porcorum extinctio sola, ut recte animadvertit Arist.

Ipse Virgilius unum celebrat virum.

Arma virumque cano.

Cum enim epopoeia admirabilitatem parere debeat maxime mirandum accidit, quod unius manu efficitur sine auxilio multorum.

Neque tamen ab unitate Herois petenda est unitas actionis ut notat Aristoteles cap. 8. de re poet. *non eò fabula est una, ut quibusdam temere venit in mentem, quod de uno heroe sit:* nam quod sunt unius hominis actiones, quæ coalescere in unam actionem non possunt? quare turpiter hallucinatur, qui unius vitam integram, pueritiam, juventutem, senectutem, una tragœdia vel poëmate comprehendunt.

Itaque Epopoeia postulat unitatem primariæ & præcipuæ actionis, & laus ejus ex Aristotele maximè: &c. unum autem iter quamvis magnum non obstat ex Aristotele unitati actionis, ut videre est in profectione Æneæ.

Fabula quoque debet una esse simul & actio, specie quidem tenus potest esse multiplex, ait Arist. cum ex multis episodiis coalescat, erit tamen una propter partium inter se colligationem, unde Homerus multa omisit ab Ulysse gesta, quia aliud ab alio connexu non pendebat, de qua re Homerus ab Aristotele laudatur. Laudandus quoque Virgilius qui unitati maxime

maxime studuit. Licet enim narret amores Didus, hæc recte inter se cum nexu committuntur, ex tempestate apulsus in Africam, & ex Didus humanitate, æqualitate fortunæ, utriusque viduitate conjugium non ita facile excusaverim Hierosolymam liberatam, quid enim amores Reginaldi & Armidæ integris & pluribus libris decantati sive ulla mentione Gothofredi?

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

AN POETA DICI POSSIT aliquis, sive actione & fabula.

Robortellus in Comment. ad Arist. de re poetica sic ait, *Patet vulgi error, qui, eos appellat poetas qui metris tribuunt aliquid* & postmodum *n Poetæ non sunt appellandi quia non imitantur, idem probat Aristoteles alio exemplo; Homerus imitatur, ergo Poeta; Empedocles non imitatur, quamvis versu scripserit res physicas, ergo non est Poeta.*

Plato in Phœdone *necesse est Poetam, si tamen Poeta vult esse, fingere fabulas, non vero verba tantum.*

Statius *sunt enim quatenus fingunt, non autem quatenus versus faciunt Poetæ* idque probat pag. 7. ex Aristotele.

Lusinus pag. 24. *Poeta enim est, non propter metrum, sed propter fabulam.*

An ideo Poeta Rufus Aviennus quia Titi Livii historiam versu scripsit? nequaquam.

Aristotel. cap. 9. de re Poet. si historiam stricta oratione Herodotus scripsisset; non ideo esset Poeta, neque ejus historia esset poema; quia nihil finxisset.

Homeri

Homeri Iliadem donavit latino metro Helius Eobanus Hessius; an ideo poeta? nequaquam; quia nihil finxit ipse, sed tantum versus condidit de fabula alterius, qui vere solus est poeta.

§. 4. Qui Carminibus scribunt, omnes tamen, quamvis magnâ cæteroqui sint doctrinâ ornatissimi, nequaquam idcirco in Poetarum numero censeri debent; tantùm à versificatore differt Poeta, quantùm à gracili Mannulo generosus quipiam equus apud Neapolitanos eruditus ad cursum; vel ut collatio aptior fiat, quantum Prophetam inter veneratione dignissimum, Pharmacopolamque circumforaneum interest: ut ait, Ronsardus. Illos cum intueor iisdem, ac hujus artis principes, armis, hoc est, versibus, iisdem plane coloribus, paribusque numeris & pedibus instructos, conferre soleo cum ementitis in cæna Herculibus, qui leonis exuvias à Pellione, gravemque à Lignario fabro clavam, comamque adulterinam ab ejus opifice coemunt: at ubi cum monstro aliquo ineunda est pugna, excidit clava de manibus, ipsique turpiter fuga dilapsi è medio recedunt: humiles illi fabricatores Carminum, satis habent, nonnulla sine ornatu, leporeque ullo, absque artis industriâ contexere, sibique admodum bene de Republica meriti videntur, cum prosæ versus aliquot, eodem syllabarum exitu terminatos edidere; contrà Poeta Heroïs nova excogitat, & componit argumenta: Deos inducit hominibus loquentes, & homines Diis, & appositam ad mentes firmandas orationem ductoribus affingit; bellè describit conflictus pugnas, irruptiones, factionesque militum: futurarum auguriorum profitetur, & somniorum interpretationem; neque expiationes, sacrificiaque divinitati debita omittit. modò Philosophus est,

modo medicus, rei arborariæ ſciens, anatomiæ peritus & juris, ſectarumque omnium opinionem tenet, prout ejus quod tractat argumenti conditio requirit : atque his demum eſt, qui tanquam apis ex univerſo florum genere ſuccum delibat, ſugitque, ut ex eo mel fingat fructumque ſibi opportunum reportet.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM

EPISODIA.

PRæter argumentum legitimum Poëmatis, multa ſunt additamenta & acceſſiones, quæ dicuntur Epiſodia, quaſi ſuperinducta & ſupervenientia. Ea autem ſunt, quæ ad propoſitam rem declarandam exornandam, amplificandam, foris aſſumuntur. Res enim quælibet ſua habet & propria ; cum autem admiſcetur aliquid, quod ſupervenit, & ſine quo cohærebat, ſuamque obtinebat integritatem, illud appellant epiſodia.

Ariſtoteles Poëſim dividit in fabulam & epiſodia, id eſt in actionem & in adjuncta actioni. Poetæ enim oblectationem quærunt & admirationem, quam certè legentibus pariunt, ſi cum actione illa principe, & facto, quo de agitur, res adventitias & non neceſſarias conjungant, modò non pugnent.

Sine autem iis Epiſodiis conſtat narrationem actionemque ipſam pertenuem, jejunam, aridam fore : unde ridendi illi ſunt, qui hiſtoriam nudè in carmen convertunt, & orationem ſolutam & liberam metricis numeris aſtringunt & ligant ſine poëticis ornamentis.

Plurima ſunt epiſodia in Ignatiade : gloria divina apparet Ignatio, ut olim Ezechieli & Moyſi ; &

ei se toto orbe portandam tradit. Unde illud Ignatii, ad majorem Dei gloriam. Ut nautarum peccata explicentur, fingitur pluribus navem in insulam voluptatis delatam esse, à qua nautas revocavit Ignatius. Ut odium in hæresim explicetur, describitur domus hæreseos in Germania, cujus odore teterrimo afflatur, dum illac transit.

In Calvario monte Amor Divinus Ignatium ferit; & insinuat se ejus pectori; quod dilatat, & amplitudine orbi æquat; Venetiis Sapientia divina eum desponsat, sicut olim Laurentium Iustinianum annulo non aureo, sed ferreo.

Quam multa bella in obsidione Pampelonensi, in transitu Alpium, ubi ab Hispanis accipitur ut explorator Ignatius!

Quam multa prælia navalia, dum ejus navis incolumis evasit, aliis pereuntibus!

In Monte-Martyrum finguntur quatuor genii tutelares quatuor Orbis partium, in mundi mappâ Ignatio ostendisse, quâ via currus Gloriæ incedere debeat, & totam seriem Societatis, quæ divinam gloriam propagare debebat: nullus est liber, in quo multa & longa non sint Episodia,

Opus divisit Virgilius in duodecim libros, numerum perfectum: sunt enim duodecim horæ diei, totidem noctis; in duodecim partes as dividitur: duodecim tribus Israel, duodecim fontes, duodecim Apostoli, doudecim portæ novæ Ierusalem in Apocalypsi, corona stellarum duodecim. In nostro opere sunt duodecim Eclogæ, duodecim capita Ecclesiastis, Ignatiados Libri duodecim.



CAPUT DECIMUM OCTAVUM

TEMPUS, LOCUS,

&c aliæ circumſtaniæ.

HEroicum Poëma anni tantum unius res geſtas complectetur : quam in cautionem videtur Virgilius peccaſſe, uti hæc ipſius verba demonſtrant ad oculum.

> *Annuus exactis completur menſibus orbis,*
> *Ex quo relliquias, divinique oſſa parentis*
> *Condidimus terris.*

Quippe unius jam anni completi defluxerat ſpatium, cum in Sicilia parentavit, & ludos funebres celebravit, neque tamen niſi diu poſt in Italiam pervenit. Aliqui Æneidi menſes quatuor aſſignant ſuprà annum integrum, ut Odyſſeæ quinquaginta quinque dies, ſive menſes ferme duos.

Id ſatis conſtat ex Ariſtotele qui cap. 5. de re Poet. concedit tragœdiæ ſolis converſionem, & ad idem punctum reditum, quanquam reclamet Robortellus, qui artificialem tantùm diem aſſignat, cum tragœdia ſit imitatio actionis, quæ de die exercetur, ſolent enim homines quieti de nocte indulgere.

Nos Poemati noſtro Ignatiano annum aſſignamus, Diſcedit Ignatius Barcione poſt paſchæ tempus, Venetiis die Aſcenſionis adeſt deſponſationi maris. Die Exaltationis S. Crucis Calvariam conſcendit, reliquis ſex menſibus navigationem abſolvit.

Ut fingendi libertas major ſit, debent res à nobis remotæ narrari : quam multa in noſtro Poemate Hieroſolymis fiunt ! adde quod non patrio ſermone ſcribi-

scribimus ; sed omnibus populis communi & Latino : quæ à nobis distant, in Syria legentibus propinqua erunt ; quæ nobis propinqua, illis distantia, fundata quidem est societas Parisiis ubi hæc scribimus : sed post longam navigationem Ignatii : sicut post longam Æneæ profectionem fundatum est ab eo Romanum Imperium in Italia adeóque Romæ, ubi Virgilius scripsit.

Non debent heroës celebrari longo à nobis tempore ita distantes , ut memoria vel penitùs exciderit, vel inter fabulas recenseatur. Quid enim ille Francion, de quo Ronsardus ? quid Hercules Gallicus ? an fabula, an Historia ? quamvis enim Poëtæ liberum sit fingere ; suæ tamen sunt fictionibns leges : debentque legentes Episodiorum nexum & inter se & cum actione præcipua cernere, nec omnia ad libitum sine fundamento licèt commentiri: plurimi existimant, opinionem vulgi inveteratam , ad fundamentum sufficere.

Heroës tamen non debent esse aut recentes aut præsentes, quid enim fingas quod mille testes non arguant ; quam in legem peccant qui de Henrico Quarto , de Gustavo Sueciæ Rege , de classe Hispaniæ Philippi secundi contrà Angliam Poema scripserint. Sed necesse est, ut eorum, qui vivunt, nemo Heroem viderit, adeoque integro sæculo de- lta in arte magistri, & Ronsardus his verbis *nemo videlicet reliquus sit in vita, qui arguere falsitatis, aut criminari ea merito possit, quæ ab ipso Poeta finguntur ; Musas ideo invocabis, quæ res præteritas custodiunt memoria, & prænunciant futuras, ut earum moveatur afflatu animus impulsuque divino potius & quasi furore, quam humani artificio ingenii ducatur.*

Monitum tamen te velim, nonnunquam ab Poeta fundamentum operis sui solere in superiorum tem-

porum annalibus locari, aut in opinione quadam dudum inveterata, quæ in hominum mentibus authoritatem obtinet. quemadmodum à Virgilio positum est in vulgari fama, qua ferebatur, Trojanorum quendam Æneam, ab Homero decantatum, ad Lavinios fines, unà cum navibus, & filio appulsum fuisse, ubi Roma pòst extructa est: quamvis numquam adventarit in Italiam, inde tamen componendæ Æneidos ansam Virgilius captavit, communem hanc, jamque apud omnes receptam populi opinionem secutus, quod & ipsum Homerus antea fecerat, qui trito quodam rumore nixus, ac pervagato de Helena, græcique exercitus profectione, atque adventu Trojanam ad urbem, sicut de Lancelotii, Tristani, Gavuanique fabulis commemorari solet, in illo fundamentum jecit Iliados, propria enim Ducum militumq; Trojanorum nomina, qui Phrygio, non græco loquebantur sermone, sicut Hectoris, Priami Polidamæ, Antenoris, Deiphobi Cassandri, heleni, aliáque propemodum omnia fuerunt ex Homeri arbitrio conficta.

Duo illa Poëseos lumina consectans, Annaliumque nostrorum vetustate nixus Franciadem condidit Ronsardus, nihil admodum laborans, verumne id esset an secus, quòd ajunt, utrum Trojani, Germanive, Arabes aut Scytæ fuerint Reges nostri: venerit ne in Galliam Francus, quò certè poterat venire, quod reipsa factum est, non spectavit: qua de re plures eum redarguunt, melius enim est niti fundamento vero & actione verá.

Ad historicum pertinet, universa hæc scrutari & perpendere; ad Poetam verò non item, qui ea totus, quæ fieri possunt, attendit: deinde magnum è tenui scintilla excitat incendium, humilique ex casa magnificentissimas ædes construit, quas externis
mat-

marmorum cruſtis, Iaſpide, Porphyretico lapide ; Ovalibus , ſtylobatis , zophoriſque, & capitellis , interius autem picturâ , Periſtromatis auro argentoque ad eminentiam intextis exornat ; tabulis item inciſis affabrè, quas tenere manibus vix quiſquam facile queat, ob perſonarum ſcabritiem, quæ erudito in illis elaboratæ ſcalpro, vivere quodammodo , & ſpiritum ducere videntur. Viridaria demum addit, & hortos, deſcriptas ordine mirabili arbores , ambulationeſque perlatas , prout Poëtarum quiſque ingenio valet , inſtructus omni doctrinarum genere, atque artis ſuæ admodum peritus : plerique vero alii nihil faciunt, quod ſit operæ pretium , ſimiles tyronibus , qui perterere tantùm colores , minime verò pingere ſciunt. Melius tamen eſt illos colores vero fundamento applicare.

CAPUT DECIMUM NONUM

MAGNITUDO, ET TEMPORIS Menſura.

GRæci & Romani tempus aſſignarunt certum & præfinitum ad dicendum : accuſator duas horas, [...]udo, reus tres reſpondendo poterat inſumere ; [...]i ad clepſydram dixerunt, nullus præfinitus vide-[...] numerus verſuum Epopœiæ, ſed ex antiquis Poë-[...]ibus colligere poſſimus. Euripides Hecubæ tragœ-[...]m ſcripſit mille trecentis verſibus. Odyſſea conti-[...] duodecim millia & amplius Æneis fermè decem [...]ia, Ieruſalem liberata tredecim millia, & amplius : ex his fines tibi præſtitue : nos hunc numerum, [...]l attingimus, vel parum excedimus.

CAPUT VIGESIMUM

DISCRIMEN ACTIONEM inter & fabulam.

MAteria Epopœiæ est actio ; actionis autem prima informatio & proinde forma est fabula unde definitur fabula *compositio rerum* Quod si fabulæ conjunxeris virtutes & ornamenta, exurget Epopœia. Uno verbo actio est argumentum rude Epopœiæ & indigestum, fabula prima ejus delineatio : ut Cæsar qui pingi debet, est materia picturæ, prima delineatio & conformatio corporis atque dispositio est forma ; si accesserit colorum ornatus, erit pictura :

Quærunt aliqui an actio integra possit omnino fingi : id inscitè autumat vulgus, negant autem prudentes & in re poetica versati : censet quidem Aristoteles in comœdia fingi posse & sæpe debere, quod ægrè concedit in tragœdia : nequaquam in Epopœia. Debet autem accurate attendi ad verisimile, ut monet Philosophus, neque sumenda est actio licèt vera, si non sit verisimilis. Id verò quod est impossibile nec factum est, si sit verisimile, anteponitur vero à Philosopho. Hinc colliges actionem Sampsonis non esse propriam Epopœiæ ; nam, etsi vera sit, non est verisimilis, neque enim verisimile est virum robustissima vincula nullo negotio dirumpere, maxilla asini hostium infinitam multitudinem interfecisse, portas civitatis humeris sustulisse ; neque id ad imitationem proponi potest.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM

MATERIA.

MAteria cujuscumque scientiæ est id, quod illi cum aliis commune est. Materia Epopœiæ est actio una, tota, integra, initio, medio, atque fine constans, ut habet Arist. de re poet. cap. 23. in quo convenit tragœdia, quæ est imitatio actionis unius perfectæ & certæ magnitudinis, *μίμησις πράξεως σπουδαίας ϗ τελείας.*

In Epopœia autem multæ sunt actiones secundariæ; unica primaria; in Odyssea bellum cum Ciconibus, præternavigatio Syllæ & Charibdis, descensus ad inferos sunt actiones secundariæ: unica est primaria reditus Ulyssis: ut nullum existere potest compositum sine materia subjecta, sic Aristoteli *nulla aut tragœdia aut Epopœia sine actione*: & notandum est ex Aristotele Epopœiam esse *imitationem non personæ aut morum, sed actionis*, quia in actione, non in habitu felicitas hominis consistit.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

APPENDIX

ad superiora.

EPopœia, quæ & vulgo à Poetis heroici poematis nomine insignitur, ab ἔπος quod verbum La[…] exprimunt, & ποιεῖν quod est, facere, desumitur [...] [...] & ἐποποιΐα, quæ & expressa fictio est, [...] navit. quare non incommode omnia sive nume[...] astringantur, sive liberiori oratione dissolvantur [...]

modo

modo ficta ſint, ad epopœiam revocabis; ſed cum ἔπος poeſim magis ſapiat, & ποιεῖν Poetarum ſit, ea duntaxat proprie epopœiæ ſubjacent, quæ verſibus præcipuis & hexametris conſcribuntur.

Inde ob majeſtatem verſus hexametri, & Heroum res geſtas, heroica poeſis ſive carmen heroicum communi nunc omnium voce celebratur. Sed quoniam hexametrum carmen inter & heroicum diſcriminis aliquid intercedit, ſua utrique notio ſubjicienda eſt.

Conſtat quidem omne heroicum, hexametrum nuncuparia non vice verſa hexametrum heroicum appellari. Nam quis ferret tot poemata, qualia ſunt hymni Homerici, vel Muſæi amores tanta nominis magnificentia decorari? Quis ferret Heroici nominis excellentiam æmulari vilia & abjecta, quæ ad agricolam, non ad ducem ſpectant; quæ potius ad irridendos ridiculos hominum mores, quam ad extollendam ut ita dicam, herois divinitatem quæſita ſunt?

Altius quid ſapit heroici carminis nomen, quam ut ad leviora deſcendat; res excellentes, mirificas, novas, bellicas exprimit, verba gravitate ſonantia, ſententiis illuſtria, plena tum majeſtatis, tum amplitudinis, quæque cum proferuntur, non tam auditori blandiantur, quam, uti de verſibus Homeri pronuntiabat Alexander, ipſas aures bellicoſis tubæ clangoribus impleant.

Ex cap. 24. & 5. Ariſtotelis de Poetica, epopœia ſeu carmen heroicum eſt Poeſis verſu hexametro illuſtres magnorum hominum actiones per narrationem imitans. *Poeſis eſt imitans*, quibus vocabulis cum reliquis artis poeticæ facultatibus convenit; quæ communi omnium doctorum conſenſu ut imitatrices recipiuntur. *Verſu hexametro* ſubjungitur,

tur, utpote omnium præstantissimo aptissimoque ad Heroum facinora exprimenda: quo præterea Epopœia ab ceteris poeseos generibus secernitur, teste enim Horatio grammaticis fabulis jambicum carmen maxime convenit. *Per narrationem* quá poema aliud est ab tragœdia, quæ personas agentes, & negotiantes adducit, cum tantum imitatio in poemate, narrando peragatur. Quod autem *illustres illustrium virorum actiones* imitatur, hoc ipso distat àComœdia; in qua despicabiles & abjectæ vilium hominum personæ describuntur.

Eò tota heroicorum Poetarum dirigi debet inventionis industria, ut heroica virtute suum Heroem adornent, qui profectò tanto major venerantibus populis, suspicetur, quanto mirabilius præstantissimarum virtutum ornamentis emicabit: emicabit autem si bono communi, prudentiâ prospiciat, Provinciam aut imperium sapientiâ administret, justitia pietateque subditis prosit, & populorum felicitatem procuret: quæ feliciter omnia is præstabit, qui præter voluptatem, quæ poematis suavissimum est condimentum, subjunget virtutis heroicæ admirationem, ut excitati populi, Heroem suum adament pariter, & venerentur, ita fere Homerum in Illiade Achillem generosum & bellicosum, in Odyssea prudentem Ulyssem; ita Virgilium pium Æneam & religiosum, ita Torquatum Tassum Gofridum adumbrasse reperies.

Ex fine patet objectum, & poemati verissimum Heroem deservire liquet, qui admirabili virtute præditus, ut factis illustris politicæ vrrtutis exemplar non modo proponatur, verum etiam mortales cæteros ad æmulationem provocet. Cum verò politica virtus belli, pacisque artibus contineantur, eam vero duntaxat seliges actionem, in qua utriusque

virtutis,

virtutis, aut unius saltem dignitas summoperere elucebit,

Argumentum illud cæteris anteponendùm censeo, quòd tum ipsa virtutis luce celebratur, tum vetustate majorem fabulæ fidem, & authoritatem parit. Ita Virgilius Æneæ adventum in Italiam, & navigationem descripsit, non finxit: nam de eo testatur Livius, & ante eum ex historicis plurimi memoriæ prodiderunt. Huic proximum est argumentum, non ita quidem notum; sed quod tamen non ita variabit Poeta, ut à veritate publica discedat, in hunc ipse eorrorem impegisse Virgilius arguitur, qui Didonem Reginam castissimam, cæteroquin Æneæ amore captam & furentem finxit, quæ præterquam quòd multis antè sæculis vixerat, quàm Æneas in Italiam navigaret, etiam castitatis laude à D. Augustino commendatur.

Nonnullis id argumenti genus arridet, cujus veritas solummodò retinetur, arbitrio Poetæ cetera permittuntur, quia major erit effingendorum mirabilium, delectandique ratio. Vix ego hanc poeseos speciem conderem, ac eam multo minus, quæ tota quanta est, ex Poetæ pendet industria.

Inter partes qualitatis fabulam, quam & in tragœdiâ fictionem, seu structuram rerum componendarum appellamus, mores insuper, sententiam, & dictionem numeramus.

Perfecta autem debet esse & absoluta fabula, uti in tragœdia pluribus; in quo autem ejusmodi sita sit absolutio, etiam inibi fusius.

Ita una debet esse fabula ut unius personæ tantum actionem imitetur, qua in re eximius plane & mirabilis Homerus extitit, qui unius viri actionem & eam non multis temporibus gestam seligit. Ita partes distribuit, ut non multitudine excrescant; Episodia vero tam

com-

commodè subjunxit, ut illis maxime illustretur oratio. Adde subtilitatem inventionis in narrando tantam, ut licet præter expectationem legentibus occurrat, fidem tamen non superet. Quare peccant, qui multitudine Episodiorum rem potius obruunt, quàm exornant. adeóque susceptum opus in prodigiosam magnitudinem ita excre scit, ut nec animo comprehendi possit, nec memoria retineri.

Etsi fabulæ admirabilitatem tragœdia communem habeat cum poemate; ipsi tamen peculiari ratione convenit, & ob hanc maxime, quod in Epopœia magna & illustris actio requiratur, quam ad hunc scopum nunquam Poëta perducet nisi admirabilem fingat; nam magnorum & illustrium facinorum certissimum est argumentum admiratio; nam ad delectandum nihil admiratione potentius, quòd vel ex eo patet quòd dum rem aliquam narramus, ut mirabilior videatur, magisque delectet, illam incrementis poeticis augemus.

De rerum autem admirabilium fictionibus duplex ratio ab Ioanne Antonio Viperano traditur, altera delectandi; altera docendi: ea vero ait delectare, quæ animum novitate, stupore aut magnitudine percellunt: quale illud est apud Virgilium, quod a... ure septus nebula Æneas Carthaginem ad feram & ...manem gentem tuto pervenit, ubi socios comperit quos amissos crediderat; qui insperatus, & repentinus ducis aspectus maximam cum delectatione admirationem omnibus attulit; ea vero asserit docere quæ hominum mores, vel naturæ causas, vel deorum ...m ostendunt: verbi gratia per Circen homines in ...ns convertentem intelligis turpem voluptatem; ... homines contagione sua brutos efficit.

C... ebis porro, ne aliena omnino sint à veritate quæ

quæ dicis, aut si aliena sint, ita fuisse, aut esse à communi plebe credantur; v. g. quòd sol calidus sit aut radiis orbem inauret, non ita se res habet; nisi secundum imperitæ plebis opinionem.

De dictione Poematis consule nostrum Librum quartum de elocutione Poetica: de moribus, consule tractatum de affectibus

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM

DIGNITAS VERSUS HEROICI

Ejusque extollendi modus.

Illustris Poëtæ est & industrii, versus extollere perinde ut assolent eminentioris picturæ opifices suas tabellas, debent à communi dicendi usu abstrahere figuris, & tropis; locutionibus item & verborum ambitu à vulgari dicendi ratione: Inde miscere comparationes, descriptiones, cujusmodi est præstantissima illa descriptio unius è sacerdotibus Cybeles, undecimo Libro Æneidos, ducumque in aciem missorum catalogus; item inveterata inter Iunonem Veneremque rixa & contentio, quæ recensetur decimo Æneidos: cum luculenta ejusmodi excogitata lecticaveris, ait Ronsardus, vix quisquam tua in cervice fuerit capillus, quin admiratione tibi obrigescat, eoque amplius, ubi octavus ejusden auctoris liber eum objecerit locum, in quo Venus Vulcanum conjugem adulatione ac blanditiis pellicit ad arma Æneæ filio fabricanda.

Dixerat & niveis hinc atque hinc diva lacertis

Ad hunc usque locum

Hæc pater Æoliis properat dum Lemnius oris:

Multò etiam magis, ubi audieris Iarbæ sermonem turgida & tumenti indignatione ferocientem, quo patrem

patrem ſuum Iovem compellat, occurrentque hæc verba.

Fœmina litus arandum.

Et nunc ille Paris cum Fæmineo comitatu.

Quid de furore Herculis Cacum interficientis, deque lamentabili querela & comploratione Mezentii, dum Lauzi filii ante tempus præmaturo funere ſublati obitum flebiliter luget, totuſque incumbit corpori; Perlege matris illius lamentationem æquè Euriali filii caput haſtæ ſummitati affixum intuita deſperans ſupra modum ejulat, nullius eſt pectus adeo ferreum, quod his lacrymis non molliatur.

Mitto ſexcentas id genus deſcriptiones, quas in authore tam illuſtri ſæpius perlegens evaſurus eſt in Poëtam, etſi rupis inſtar, antea ſtupidus fuiſſes, illæ enim mirificos tibi afflatus ſubjicient; excitabuntque inſitas naturaliter ſcintillas animi, quas ab ipſo naſcendi exordio cœpiſti: cuivis enim hominum ingenio natura propenſionem adjecit, & inductionem, quam inconſulto & non expectato voluntatis arbitrio ſequatur.

Denique debet Epopœia attolli uſque ad admirationem, teſte Ariſtotele cap. 24. dicente *Debet quidem in tragoedia admiratio excitari, multo magis in Epopœia, quippe quæ ſupra plebis opinionem attollatur.*

Induſtrius verſuum conditor vix unquam res nomine proprio appellat: diceres verbo uno arare, ille autem vertere terram; diceres nere, ille tolerare vitam colo: pro pane dixit, dona laboratæ Cereris: pro vino, Bacchi pocula: & ita ver deſcribit.

Vere novo, gelidus canis cum montibus humor
Linquitur, & zephyro putris ſe gleba reſolvit.

Virgilius cum diem ac noctem exprimere aggreditur non ſimpliciter ac unde dixit, erat dies, nox erat, ſed circuitione ſic explicat.

Poſtera phœbea luſtrabat lampade terras,

Humen-

Humentemque aurora polo dimoverat umbram.

Sic autem noctem describit.

Nox erat, & placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras: sylvaque & sæva quierant
Æquora, dum medio volvuntur sydera lapsu:
Tum tacet omnis ager, pecudes pictæque volucres.

Alia passim legere est ejusmodi: ea porro noctis descriptio pene ad verbum ex Apollonio Rhodio desumpta est.

Frequentanda narratio: nam Aristoteles cap. 24. Epopœjam appellat *narrativam.*

Non sunt omittendæ descriptiones orientis, occidentis solis, nec signa quæ in ortu ipsi atque obitu comitari solent: non præteribis serenitatem, tempestates, perturbationemque cœli.

Ipse pater media nimborum in nocte coruscâ
Fulmina molitur dextra

Postea vero.

Ille flagranti
Aut Athon, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Dejicit, ingeminant austri, densissimus imber.

In eis, quæ describes, imitaberis, quæ natura duce fieri solent, Homerum sequendo: si enim ebullientem in cacabo aquam exhibet, ab eo induci videbis, qui primo lignum diffindat, ignem exsuscitet sufflando; tum emicare flammam, ab eaque lebetem circumfundi, spumam incandescere paulatim, post effervescere, ac personantibus bullis extra marginem effundi, cætera eodem modo effinges; in eo enim instituto pingendi, vel imitandæ potius naturæ artificio, mens heroicæ poeseos tota consistit, quæ nihil aliud est, nisi æstus quidam & juvenilis

...is ingenii furor ; extremam quaſi ſalutem Muſis ...ere , ac renunciare Parnaſſo poteſt , quiſ... frigeſcente jam propemodum ſanguine ſe... ...icit.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM

ORNATUS.

Ditandum erit Poëma tuum diverſis caſibus à natura depromptis, ſic tamen ut à pro... ...io longiùs minime aberres : dum enim nimis an... ...ſtudes a locutione vulgari tritaque diſcedere ; ca... ...e volatum per nubes capeſſas , & res pro arbitrio ...ſtas, chimeraſq ; commentitias ac portenta non ...anam & naturalem Poeſim afferas , ſimilis ...i futurus, qui non legitimos fœtus ac naturales, ſed monſtra edidit.

Magna pars eorum , qui ſcribunt ; ſumma repunt ...o, ſicut viles erucæ , quæ ad proceritatem arbo... ...contendere per vires nequeunt : at ſatis habent ...lem telluris ſuccum depaſcere, neque altas caçu... ...s fruges affectant , quas attingere corporis ...ecillitas non ſinit : inflatione alii nimia turgent, ... penè diſrumpuntur , ut hydropici ; nempè nihil à ſe egregium prodire exiſtimant , niſi ...e inſulſum, vacuum, tumidumque ſit , ſom... ...m prodigio redundans , verbiſque inſolenti... & putidè comptis quæ affectatum, potius ab ...iculorum grege , aut inter præſtigiarum ar... ...s Bohemos compoſitum quam frequentatum ...neſtis beneque inſtitutis civibus & urbanum ſer... ...nem oſt: ntent.

Eorum ſi aggrederis carmina membratim divi...

ere nihil inde prætelquam ventum exprimes, nihilque amplius quàm a porcina pusionum pelliculâ, quam & ii pisis oppletam ludicrâ oblectatione disrumpunt: cautiores alii majorique prudentia præculti medium quendam locum inter duplex illud scriptorum genus capessunt, neque dejecti humilius, neque tumidius sic inter nubes elati, ac solerti artificio, naturalique ingenii vi, quod studiorum diuturnitas, probatorumque apud veteres quâ Græcorum, quâ Latinorum Poëtarum lectio limavit, quæ conceperint animo, numerose scribunt, stylique venerandâ quadam majestate condita.

Opus tuum præterea illustrari oportet exquisito verborum delectu, argumentisque validis, quibus firmitatem tum à fabulis, tum à veteribus historiis accersas, modo eas breviter complectaris.

Epitheta adhibebis non otiosa, sed quibus significationis aliquid subsit; seu quæ ad versuum naturam pertineant: parcè sententias adhibebis sed præstantissimas, si enim Heroico in opere frequentantur sæpius, monstrosum evadet, ut si oculis corpus constaret totum, non aliis membris quæ plurimum faciunt ad vitæ commercium Animadvertes tamen eas valere in tragœdia, comædiâque, quæ morum institutionem præcipuè spectat, adeo ut paucitate verborum vis magna documentorum comprehendatur, exhibeaturque veluti specula frequenter, propterea quod exiguis admodum terminis, spatio videlicet unius diei circumscribantur. Porro doctissimi ea in arte magistri, id à dimidiata nocte ad mediam sequentis partem, minimè autem ab ortu diei ad solis occasum prætexunt, ut temporis spatium longius producant.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

PRÆCEPTIONES

De Enunciatione.

SI quis ſit, cujus in animam diviniora influant ſenſa, & ori elatior exquiſitiorque ſuppetat apparatus verborum, quæ loco ſuo, determinatione artis, non temere & ſtolida ponantur; illum tu Poëtam nominare meritò queas, non verſificatorem, aut Epigrammatum, Satyrarum, Elegiarumque ſcriptorem tenuiorumve ejuſmodi artificem operum, ad quæ artificium pertinere non poteſt; ſed quibus ſcribendis ſimplex narratore elocutionis polita, quidquid requirunt perfectionis, adjungit.

Si quæris, Lector, ecquando boni ſint futuri verſus, & ea, quam de ſe concitavit præſtantiſſimus opifex, exiſtimatione perdigni, adhæreſce ad Horatii conſilium, illos diſſuito, ſuiſque à numeris, & à pedum menſura disjunge, alia in alium locum transferens; verba in ori ſtatuens quæ poſtrema ſunt, media in extremo: hoc ordine mutato, ſic tanquam ex dirutis ædibus, atque in cumulum congeſtis luculenta collegeris verba, dictionesque à vulgari uſu ſemotas, quæ aſſenſum animi tui ſupra communem dicendi modum erigi cogunt: proba illiuſmodi verſus, dignoſque eximio Poeta cenſito; Exempli cauſa hos admodum ponamus.

Cor tibi dedo lubens, ne oro me mente ſevera
Accipe, ſed placido facilis, precor, aſpice vultu.

E quibus ſi unum alterumve eximis verbum, nil reperies niſi tritum & vulgare: hos vero ubi legeris

Loricam induitur, fortique tremenda lacerto
Arma rotans, medios se infert furiosus in hostes.

In ea vocabulorum, quibus duo illi versus conflati sunt, disjunctione, qui quidem & ad alios consimiles documento esse possint, egregia planè magnificaque suppetunt verba: induitur, tremenda, lacerto, rotans, se infert furiosus hostes.

Usurpandum est illud quantum humani patitur artificii facultas, nam sæpe argumenti ratio & sensus eam vocum exaggerationem haud exigunt, narrationes præsertim & collocutio ductorum in acie, nec consilia magnis in negotiis adhibenda, quæ nudo sermone ac simplici rerum explicatione proponi debent; aurum quippe plumbo illigare, aut obducere, vitium in aurifice vel summum est Imitandi sunt prudentes rei familiaris suæ administri à quibus cubicula, conclaviaque vestiuntur quidem peristromatis, subtegulaneæ vero servorum ædes, non item.

Sublimes atque elatas cogitationes habeto, ut jam præmonui; at minime monstrosas, affectatasque putidiùs, quorum videlicet ad interpretationem necesse fuerit accersere operam Apollinis, quam omni explicandi difficultate, neque oracula, nec Tripodes sui levarent.

Propria eorum, quibus ars quæque utitur, instrumentorum vocabula minime omittes, quibus ideo sciscitandis studeto ab iis quæ ad venationem attinent. Indidem Homerus illustrissimas quasque comparationes petivit.

Monitum præterea te velim rationem tibi litterarum habendam expendendasque judicio, quæ plusculum, quævè minimum sonant, inter vocales A. O, E. V. ex consonantibus, M. B. & S. dum eo finiuntur

ƒuntur dictiones , atque in primis R. quæ heroica plane littera eſt, valdè ſonantes ſunt : in verſu imitare Virgilium qui optimus eſt faciendæ carminum ſtructuræ magiſter , apud quem attende quam graviter ſonent duo hæc ſub finem octavi. Æneidos membri:

Unà omnes ruere, ac totum ſpumare reductis.
Convulſum remis, roſtris ſtridentibus, æquor.

Adjunges quoque verſibus tuis lumina hæc , quæ Poeſeos animulæ quædam vocari poſſint, ut,

Italiam metire jacens.

Ubi proprie ſarcaſmus eſt, ſive acerba deriſio , quâ victor hoſtem mortifero vulnere confixum illudit. Hæc itidem obſerva ,

Et fratrem ne deſere frater.
Et dulces moriens reminiſcitur agros ,
Semineceſque micant digiti, ferrumque retractant.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

FIGURÆ.

Volo nonnihil licentiæ dari Poëtis , modone frequentius uſurpent : inde tot inſignes manarunt figuræ , quas Poëtico furore neſcio quo abrepti excogitarunt , legibus Grammaticæ neglectis , eaſque Oratores poſteri maturo ſanoque illuſtrarunt conſilio, & aliena ſapientes ſtultitia , in uſum & authoritatem vocarunt.

Comparationes , ab artificibus ferrariis accerſes , à venatoribus, à piſcatoribus; Architectis , Cæmentariiſque, ab omnibus demum operis , quarum inſti-

turione ac usu homines Dei beneficentia dotavit.

Apto illæ in loco ponendæ sunt, accomodatoque ad institutum Poeseos tuæ: sic enim dispositæ, digestæque, sunt nervi & ligamenta Musarum, sin minus ridiculæ sunt, & fustuario plectendæ: in sermonibus tuis ne longior esto, nisi si librum eo de Argumento integrum exarare vis: Heroica enim Poesis, quæ Dramatica est, atque in actione consistit, diu multùmque eadem in re versari non potest; sed ab unâ digreditur ad aliam, & in varietates plurimas excurrit.

Mitti minime debebunt testificationes benevolentiæ, officiaque humanitatis ergà externos, ut in more veterum fuit, muneraque à Ductoribus bellicis & militibus mutuò collata, tum inchoandæ amicitiæ, tum veteris renovandæ causâ; & propterea quòd diuturnâ inter se fuerint hospitii necessitudine conjuncti; insignibus etiam adjunctis, dona hæc illustranda sunt, ita ut non vacua ornatu, nudaque tradantur; ejusmodi fuit Latini Regis munus, quo Æneam donavit.

Stabant ter centum nitidi in præsepibus altis.
Omnibus ex templo Veneris jubet ordine duci
Instratos ostro alipedes, pictisque tapetis,
Laurea pectoribus demissa monilia pendent.
Tecti auro fulvum mandunt sub dentibus aurum
Absenti Æneæ currum, geminosque jugales:
Semine ab æthereo spirantes naribus ignem;
Illorum de gente patri, quos Dædala Circe
Suppositâ de matre nothos furita creavit.

Simile id in quinto Æneidos Libro.

Ipsis præcipuos ductoribus addit honores
Victori chlamidem auratam.

Satis

Satis id fuiſſet mediocri cuipiam Poetæ, neque addidiſſet:

Purpura Meandro duplici Melibæa cucurrit

Ne dum igitur iſtud.

Intectuſque puer frondoſâ regius Idâ
Veloces jaculo cervos, curſuque fatigat
Acer, anhelanti ſimilis

Neque hoc unquam illi hemiſtichium veniſſet in mentem.

Sævïtque canum latratus in auras.

Omni etiam armorum, quæ conveniunt, genere ductores bellicos inſtruito, ſeu ea nomine proprio, ſeu longiori verborum circuitu deſcribas; id enim non mediocre Poëſi ornamentum adjicit: exprimes etiam Equorum veſtigia, & agitatos pedum concuſſu ingreſſus, nitorem armorum, quæ ſolis fulgore ſplendeſcant: pulveris turbines pedibus miſſum equorumque jactatos, dum ii convolant in aciem, aut in conflictu dimicant, militum clamores, fragorem haſtarum, lancearum colliſus. implicationem ſecurium, bombardarum, ſclopetorumque ſonitus & ſtrages, quibus aer circumfuſus diſrumpitur, terra contremiſcit. Si quem ductorum militumque depinges pereuntem in acie, vulnerandus eſt eâ parte corporis, quæ ſubjecta ſit neci, nempe cerebro faucibuſve, diaphragmatis ſepto; cæteri autem, quibus nihil præter vulnus accidiſſe vis, eo feriantur loco, unde mors conſequi rarius ſolet, quem ad effectum debes anatomiæ ſcientiam callere.

Si quis illuſtris mortem occumbit, dimidio fermè verſu unove integro illius Epitaphium appinges

præcipua ejus, quam exercuerat, artis instrumenta carminibus tuis insculpens; sicut Virgilius agit de Miseno qui classicum Hectori cecinerat, tum vero remigaverat Æneæ: hæc enim magnorum olim Heroum exercitatio fuit, atqueadeo quadraginta equitum illorum qui profectionem cum Jasone in Cholcidi idem susceperunt.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

JUDICIUM.

De Poëtis.

Virgilius in Æneide floruit, neque verò alium quemquam præter hunc inter Romanos authores conquirito, nisi judicio Ronsardi forte Lucretium, quem tamen cum delirationes suas mandarit carminibus, quamquam eas pro sectæ ad quam adhæserat erroribus, veras putabat; neque id quod est verisimile, ac fieri potest in opere suo spectarit abrogatum illi penitus velim Poëtæ nomen, tametsi ejusdem nonnulli versus egregii, & judicio Ronsardi prope divini esse videantur.

Reliqui autem veteres Poëtæ inferiore habendi sunt numero ac loco, si ii cum Virgilio musarum antesignano contenderint: Horatius adeo ipse præterquam in Odis quibusdam: Catullus item, Tibulusque, ac Propertius, & si magna illos famæ celebritas, in ea quam professi sunt arte commendat. Præcelluit quidem in Ati, & in nuptiis Thesei conscribendis Catullus, cætera ejus opera nequaquam tanti sunt, ut olei ad lucernam expensi pretium adæquent. Statius, quod verisimile est, sectatus fuit in Thebaide nostraque

Itaque memoria in Siphilide sua Fracastorius, quamquam aliquanto spinosiores ejus sint versus; cæteri ex omnis veteribus Poëtæ; ut Lucanus, Siliusque Italicus Poeseos nomine obtenderunt historiam: Præstabilius fuisset, si eam soluta oratione scripsissent. Poeta nonnullis in locis Claudianus est, velut in Proserpinæ raptu, operibus reliquis historiam temporis sui perrexit, perindeque ac alii complures inflationi magis quam gravitati studet: se enim cum ii viderent ad majestatem Virgilii aspirare non posse, conversi sunt ad inflatum dicendi genus, & ad argutias nescio quas portento similes, rati scilicet eos plurimum versus excellere, qui fucatam curiositate illa speciem præferent.

Neque vero mirandum est præstantiorem aliis, rotundioremque ac perfectiorem Virgilium censeri, hoc est judicium Ronsardi: meum non appono.



CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

QUOMODO RES IPSÆ tractandæ.

Vide etiam atque etiam, ne tacitus Historiam prætereas, fabulamque argumento, quod scribere aggrederis, affinem, neque naturam, vim, proprietates arborum, florum, plantarum, radicum, præsertim si virtute aliqua non vulgari præditæ sunt, aut ad medicinam, incantationes, magiamque pertinent, de quibus nonnihil vel dimidio versu, vel Epitheto quopiam attinge: præibat Author græcus Nicander Columella, in eo

M 5 quod

quod de re Rustica instituit opere tam egregio, quam optare possis : minimè pariter omittes sylvas montes , fluvios , urbes , portus , cavernas , rupesque , tum ut opus tuum ornetur, justique ad voluminis magnitudinem accedat, tum ut Nominis celebritatem ipse colligas , atque illud veluti notam posteritati commendes, ait Ronsar.

Quod ad duces,moderatoresque aciei & milites attinet, eorum Patres matresque, avos, urbes, vestitus, nascendi locum attexes, atque ex iis , si usui sit, fabulam, condes hoc scilicet Virgilii exemplo.

Hic avumque satus raptâ Garamantide Nymphâ

Vel eo, ubi de Hippolyto loquitur.

Insignem quem mater Aritia misit
Eductum Egeriæ lucis, Hymetria circum
Littora,

Postea sermonem instituesde Helenore, qui semiustulatus deciderat è turre

------- Quorum primævus Helenor
Mæonio Regi, quem serva Licinia furtum
Sustulerat, vetitisque ad Trojam miserat armis.

Quod attinet ad vestes , eas ex Leonis vel ursi pelle concinna.

Demissa ab Lanâ Pantheræ terga retorquens.

Animum item tuum, si dubitatione aliqua tenetur, angario, oraculove aliquo firmabis.

At Rex sollicitus monstris oracula Fauni
Fatidici genitoris adit. ------- Tum.
Aspice bis senos lætantes agmine cygnos,

Alio pariter in loco,

Ecce

Ecce levis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex.

Deorum etiam vulgari formâ indutorum moni- non prætermitti debent.

Forma tum vertitur oris
Antiquum in Butem, hic Dardanio Anchisæ
Armifer ante fuit.

Cave ne vocabula quæ ad intelligentiam connexione aliqua junguntur alia sic ac ab aliis dissocies, atque transponas : ut mendosam reddant structuram aut ratio plus obscurent: adolescentes opinantur incurrantes in alium maxime sequentem versus in Poesi minime probari : contrà vero sentiendum est ab Græcorum, Romanorumque lectione, ut præter innumera Poëtarum loca id docet,

Lavinia venit
Littora.

Arbitrantur imperiti pariter dictiones vocali aut diphthongo finitas, quæ exciperentur ab altera, cujus initium alia diphthongus aut vocalis esset, sonum reddere auribus durum, sed ex Virgilio atque Homero disces hoc ita non esse, cum ille dicat, sub Ilio alto, Ionio in magno. Similia passim habet Homerus.




PARS



PARS SECUNDA DISSERTATIONIS.

LIBERTAS POETICA.



CAPUT PRIMUM.

NOn solus dormitavit Homerus ; comitem somni habuit aliquando Virgilium. Is in omnium minimo Libro tertio repetit vocabulum litus trigesies octies , quoties vero in toto opere? Libro II. quis ferat ! *Æneas agnovit enim* Lib. II.

Has inter voces , media inter talia dicta.

Quid ornamenti in repetitione frigidâ ?

Non Teucros agat in Rutulos, Teucrûm arma quiescant
Et Rutulûm.

Quæ laus & gloria Æneæ contra Turnum ; trepidat Turnus dum jurat ante Aras.

Tabentesque genæ, & juvenili in corpore pallor,

Erat inermis & nudus.

Perfidus ensis
Frangitur, in medioque ardentem deserit ictu.

Æneas vero procedit instructus armis à Vulcano & Cyclopi-

Cyclopibus fabricatis, ad omnes ictus imperviis, [..]t finit Turno inermidari arma.

Si Turnus ensem accipit ope Deæ alicujus, accipit & [..]eas jaculum, quod ensi suo conjungit, itaque [..]ribus pugnant armis, Adde Jovem furiarum [..]nimam immittentem qui Turnum territat, unde [..]lu.

Dij me terrent & Iupiter hostis.

Quid laudis Æneæ ita Turnum vicisse? nunc de [..]cioribns.

M Antonius Muretus & Georgius Bucananus Poëtæ [..]loqui eximii defecere in tragœdiis, illius Cæsare, [..] is Jephtæ: humilius vix quicquam dici potest, [..] vix unquam assurgant; quædam tamen supra fi[..]d[..] jacent: nam in altero.

Te sequimur omnes ducem,
Vide modo, ut cum opus erit, adsis

Res quippe, & verba, & dicendi genus, & metrum quale! Ecce illud.

Vade potius constantèr, & nomen cape.
Ne negligi se, aut ludibrio haberi putet.

Et reliqua sine ulla venustate, Quale illud Je[..]phtæ?

Fateor; sed interim, ut domi recte omnia
Sint, provide, & morem patri tuo gere:

[..]quo si versus sine intervallo junxeris, solutum [..]e sermonem effeceris. Talia sunt sacerdotis ver[..]bi, qui cum Jephte disserit.

Tu miser sis, an secus
Quare positum est in manu. Integrum tibi est
Natam sacrifices nec ne: sive ut verius

Dicam,

Dicam, integrum non est, nisi quis miser
Sponte esse cupiat.

Iunge versus & sine intervallis scribe, tu miser sis an secus tua repositum est in manu. Integrum tibi est, natam sacrifices necne, sive ut verius dicam, integrum non est, nisi quis miser sponte esse cupiat Quis de versibus cogitet, si ita scribatur?

CAPUT SECUNDUM

Rationem Temporum Ætatumque liberrima fabulatione Poetæ negligunt.

CErtissimam, quæ modo à doctis viris tanto studio quæritur, præteriti temporis dispositionem, & eventus cujuslibet, anno propriè suo redditam collocationem difficillimam semper existimavi, nam sive annos Hebræorum à mundo condito, seu Græcorum Olympiadas ab Iphito, seu Romanorum fastos ab urbe condita, seu ipsos syderum defectus & Eclypses, seu quas alias notas & characteres quibus illi tanquam cardinibus utuntur, inspicias, nihil in iis nisi incertum, obscurum, disputationibus scriptorum varium & anceps reperies ut non incommodè Divini vocem oraculi, *non est vestrum nosse tempore & momenta* ad ejus curiositatis objurgationem possis traducere: neque vero subtilis illa indagatio tantum Historiæ lucis & splendoris, quantum tenebrarum attulit, dum ille illo, alius alio præcisè anno factum id negat, quod ea contentione sitne unquam factum, possumus dubitare: simpliciùs profectò cautiùsque nonnulli prætermisso severo illo & vanissimo momentorum singulorum examine Historici credunt

iunt hæc circa illa & illa tempora evenisse, seque vel altero anno decipi facile patiuntur, in-tiores fortasse inter curiosos, sed stultiores inter ientes. Hebræorum hic Magistros non laudo orum est nimium perturbata & infinitis hiatibus cepta Chronologia, sed Poëtas excuso, qui non gis religiosi in observatione temporum, quam aces in rerum narratione esse voluerunt.

Nam primum omnium personas totis sæculis & atibus diversas in eadem tempora illigare solent; o in genere notissima est Didonis & Æneæ fabula æ plus ducentorum annorum intercapedinem ne-git, quibus hic illam superavit, nec enim unquam Didone amatus est Æneas, à qua nec visus, dicente Ausonio.

Namque nec Æneas vidit me Trojus unquam,
Nec Libyam advenit classibus iliacis
Invida cur in me stimulasti musa Maronem.
Fingeret ut nostræ damna pudicitiæ.

Accedit ad eandem temporum perturbationem ilius, qui Numam Pythagorea dogmata apud toniatas didicisse narrat, iisque instructum Ro-ni regni gubernacula suscepisse Libr. 16. atqui quino regnante floruisse Pythagoram narrant Hi-iæ. Id vero si paulo moderatius fieret à Poëtis, ari posse & debere docet Platonis Exemplo robius, multi diversarum ætatum personas in Dialogum redegerunt. Platonis Dialogi te-nio sunt. Quippe Socrate ita Parmenides an-fuit ut hujus pueritia vix illius apprehen-senectutem, & tamen inter illos de rebus ar-disputatur. Inclytum Dialogum Socrates ha-a cum Timæo disputatione consumit, quos con-t eodem sæculo non fuisse.

Deinde

Deinde personas ea de re loquentes inducunt, quæ loquentibus longè inferior est tempore. Sic Alexis amicus apud Athenæum in fabula Lino, Pædagogum hunc inducit monentem Herculem ut Libros in manus sumat Orpheum, Hesiodum, Theocritum, Homerum, Epicharmum, qui omnes & Lino & Hercule posteriores fuerunt. In Euripide Hercules intemperiis agitatus dicebat se accedere ad rupes nemorosi Isthmi, & ibi corpore chlamyde nudato cum nemine certabat, & ipse à se victor renunciabatur, nimirum Hercules certare dicitur in Isthmiis, quæ post Herculis mortem sunt Theseo instituta in Sophocle Orestes narratur Pythicos agones celebrasse, & cursu certasse.

Profectus ille est ad celebrem totius Græciæ apparatum ut Delphicis ludis interesset, ubi scholiastes conatus est dicere οὔπω ἦν ἐπὶ Ὀρέστου ὁ πυθικὸς ἀγών nondum erat Orestis sæculo agon Pythicus sed Poetam non excusat neque ἀναχρονισμὸν concessum esse ostendit. Vitium hoc in declamatore tolerare non potuit Seneca Rhetor, Theseum enim reprehendit quod in suasoria trecentorum Laconum dixerit. *Expectemus, si nihil aliud hoc effecturi, ne insolens Barbarus dicat veni vidi vici*, cum hæc post multos annos D. Julius dixerit. At quis non miretur in patris objurgationem incidisse filium, & a rethore doceri Philosophum? is enim Libr. De Beata vita cap. 27. Socratem in carcere fortiter disserentem inducit dicentemque, *objicite Platoni quod petierit pecuniam; Aristoteli quod acceperit; Democrito quod neglexerit; Epicuro quod consumpserit mihi ipsi Alcibiadem & Prædam objectate.* Quis autem non videt Epicurum & Aristotelem Socrate posteriores esse?

Præterea anticipant tempora ut vates decet, eaque

locis

cis affigunt nomina, quæ multis post seculis in-
a fuerunt, quàm facta illa, quæ narrant: sic Æ-
s in Virgilio, libr. 3.

Apparet Camarina procul, campique Geloi
Immanisque Gelæ fluvij cognomine dicta
Arduus unde Acragas &c.

Quæ oppida Æneæ tempore nulla erant, inquit Ser-
s. & in 6.

Portusque require Velinos.

Cum ante conditum Veliam, nullus vocatus sit
us portus.

In sua ipse persona locum nominat, qui rerum nar-
atum tempore nominari non poterat, ut in 1.

Italiam fato profugus Lavinaque venit ---- Littora

A i Lavinum littus à Lavini oppido, oppidum
ini filiâ Laviniâ nuptâ Æneæ; postquam con-
it in Italia, appellatum est. & in 6.

Chalcidicaque levis tandem superadstitit arce.


Dædali autem sæculo Calcidenses nondum dedu-
ant eam Cumas coloniam, quæ id nomen arci tri-
et, sic Horatus libr. 3.

Qui formiarum mœnia princeps

ur &c. ---- formias enim neque ædificavit ne-
pro potestate gubernavit is princeps; sed eam
nem in qua postea Forminæ conditæ sunt. De
qui ista prosepsi Julius Higinus apud Gellium
o. cap. 16. censet posteriorem hanc Poetis
di solere, priorem autem tolerari non posse.
tro longe levior & venia dignior apparet, cum
ina quidem scripta eam defugiant: nam cum

N in

in libr. Numerorum, nominatas legis Italiæ trirremes, & in Isaia Italiam & Græciam, cum in Jeremia & Ezechiele vides Alexandriam; hæc nomina ne ab Hebræis fontibus vel ab interpretibus 70. putes hausturum, quæ in sola Hieronymi & vulgata lectione repeties, Propheris enim scribentibus nondum e tenebris eruta fuisse quis non videt?



CAPUT TERTIUM.

GEOGRAPHIÆ NON PARUM incommodant poëtæ.

OLim Strabonem Geographum in sui admirationem tantoperè rapuit Homerus, ut is ejus laudandi nullum finem faciat, nimirum qui quam profitetur, & hominibus exponit, artem ab Homero inventam excultamque fuisse dicere non vereatur: ponit enim hoc operis initio tum ex suo, tum ex majorum sensu *Geographicæ peritiæ principem & ducem esse Homerum,* Longiorem deinde eâ in re probandâ sermonem sic concludit *hæc modo dicta sufficiant, ut demonstretur Homerus artem Geographicam incœpisse,* tanto igitur affecta beneficio à Poëtis ars orbis describendi non difficilè patietur fucari se nonnunquàm ab iis, quibus natales suos debet, & adulterari non meretriciis quidem pigmentis ut exponatur; sed ingeniosis coloribus, ut ametur.

Primùm enim suum sibi orbem fabricant Poëtæ, videlicet, ut quos procreant homines, eos in illo constituant, nam regio Alcinoi, Circes palatia, Hesperidum horti: Elysii campi, aditus inferorum ubi gentium

...rium sunt, aut fuerunt? Lepide Eratosthenes ...d Strabonem; tunc inventurum aliquem ea loca, ...ibus erravit Ulysses, cum sutorem invenerit, qui ...rum utrem consuit.

Deinde de locis, qui verè extant, fabulosa multa ...fingunt, & eorum naturam, situm, temperiem ...fabulas contorquent; ita scyllam, charybdim, ...opulos Sirenum deformavit Homerus. Ita Deli ...tus frequentes ad fluctuantium insularum naturam ...commodavit Virgilius Lib. 3. Imo illam stare jus... ...ut venustè Seneca Libr. 6. natur. quæst. cap. 26.

Immotamque coli dedit, & contemnere ventos.

Sic insulas aut sensim immisso mari aut graviore ...ltu vel motu quodam immenso à continente di...lsas, Neptuni cuspide impulsas, cessisse loco finxe... vulgò Poëtæ omnes, ut & de Sicilia canit Vale... Flaccus.

Sit pelago pulsante (reor) Neptunia quondam
Cuspis, & advèrsi longus labor abscidit avi
Vt Siculum Libicumque latus &c.

...de Olympo & Ossa montibus, interjecto fluvio ... Claudianus Libr. 2. de raptu.

Sic cum Tessaliam scopulis inclusa teneret
Peneo stagnante palus, & mersa negaret
Arva coli, trifidâ Neptunus cuspide montes
Impulit adversos: tum forti saucius ictu
Dissiluit gelido vertex Ossæus Olympo.

...crebrum terræ motum in Sicilia Virgilius assi... Enceladi ibi sepulti mutationibus.

Et quoties fessum mutat latus, intremere omnem
...murmure Trinacrium.

Sic denique ut infinitos omittam, Ovidius Æthiopum ardorem & Libyæ ficcitatem refert in Phaetontis casum. Libr. 2. Metam.

Sanguine tum credunt in corpora summa vocato
Æthiopum populos nigrum traxisse colorem,
Tum facta est Libye raptis humoribus æstu
Arida.

Cimmerios etiam populos in perpetuis tenebris delitescere narrat Orpheus in Argonauticis ob montium viciniam, qui eam in reginem umbras immittunt.

Solis & splendoris diurni expertes vivunt, quoniam Riphæi montes orientem solem adimunt, media autem die Phlegra mons editissimus umbras occulatur, & lumen illis furatur, quamobrem perpetuo in nocte degunt.

Præterea quæ verè accidunt, ea mendacio aliqui vel augent, vel minuunt: sic accessum recessumque occeani ter diebus solitum fieri dixit Homerus, cum bis tantum eveniat.

Ter die fluctus allidit, ter resorbet ---- ter pro bis positum est, vel scribæ vitio, vel historiæ ignoratione, ait Polybius apud Strabonem. In Ætnæ descriptione Virgiliana legimus.

Attollitque globos flammarum, & sydera lambit.

3. Æneid. grandi hyperbole: & de alio orbe.

Illic, ut perhibent, aut intempesta silet nox.

4. In regionibus quibusdam nasci & oriri aliqua dicunt, quæ negant Historici & Cosmographi.

Notum est in Virgilio quod Cedrum arborem

onag-

...gros in Italia ponit, quæ neutiquam reperiuntur.
...2:

...robora, nec cuneis, & olentem scindere cedrum,
...plaustris cessant vectare gementibus ornos.

Quæ in Atlante & Libano tantum reperiri testa... Plinius.

5. Regiones integras non propriis, sed vicinarum ...inibus appellant, provincias permiscentes; quod ...tatur Strabo Libr. 14. *Poetæ iique maximè tragici, ...ium nomina confundere soliti.*

6. In provinciarum descriptione ordinem omnem ...vertunt susque deque, prout inversum cadit enar... ...tes, vide Euripidem statim ineunte tragœdiâ Bacchar...m.

Relictis Lydorum agris auro refertis, Phrygia & ...ulto sole calentibus Persarum campis, Bactrianorum ...rbibus, veniens in hyemalem Medorum terram & Arabiam felicem. Vide & Virgilium in Italorum ...gnum qui se Æneæ junxerunt catalogo Libr. 10. ...quem eo nomine reprehendit Macrobius, quod nul... in commemorandis regionibus ordinem servat, ...d locorum seriem saltibus lacerat. Idem à Sopho... factum refert Strabo Libr. 1. in tragœdia Tripto...o, quæ modo non extat: ubi & Homerum lau... qui eorum quos commemorat locorum ordinem ...at. Exempla deinde producit duo, Junonis al...m ex Olympi vertice ad insulam Lemnum pro...centis Iliad. 14. Alterum Menelai peregrinatio...n suam Telemacho narrantis Odiss. 4. addit vero ...atalogo urbes non esse ordine recensitas, quia tum ...essarium non videbatur. Quæ geographi Do...trina existimare me cogit, in recensioribus à Poëta ...exigi accuratum illum geographiæ ductum, cum

ad bellum non ordine, sed potius impetu, perturbateque conveniant populi, quod de Italis dixit Virgilius.

Simul omne tumultu
Conjurat trepido latium &c.

In peregrinationibus autem referendis necessarium puto ordinem, cum vestigia velut leguntur & recto quasi itinere ducitur ipsa narratio: quod non omisit Virgil. in 3. continguntur enim loca singula, & mens auditoris viatori comitem se adjungit. At verò si quis universè loca quædam recensere velit, quæ lustravit ipseoculis, neque omnia, neque ordine commemorari puto necessarium: ut in Euripide vidimus, aliud enim longe est, itinerarium contexere; aliud, quid per orbem videris novum & infrequens, exponere, quasi supervolando.



CAPUT QUARTUM.
ASTROLOGIÆ LIBERTAS Poetica manus infert.

UT Astrologiam Geometriæ Germanam jure quis dixerit, ita hanc quoque à Poëtis aliquatenus violatam nemo succensuerit, cum extra omnia mortalium tela sit præstans ille mundus, neque in astrorum dedecus; sed in suum damnum hac in re mortales fallantur.

Cœlum igitur spoliis implent & hominum animarumque simulachris, quæ misero Phaëtonti vel tantum nominata terrorem injicere posse putat Phœbus in Ovidio: quodque lepidius est, non ab orbe condito infixas ejusmodi cælo stellas fateatur; sed

cò

translatas deorum ope, prout eorum alicui caræ tres humanæ aut de mortalibus homi[...]es benè [...]iti erant. Non enim, si Poëtas audis, ante Ja[...]s expeditionem fuere in cœlo stellæ, quæ Na[...]m Argo conficiunt, neque prius ulla stella sum[...]æstum significavit agricolis, quàm Icari canis [...]yrium verteretur; quid autem fecisset navigatio, [...]d omnino vita hominum, si fœmina Calysto in [...]m, ursa in sydus versa non fuisset, & ad polum [...]lata?

Stellas præterea Planetásque ipsos cum Deorum [...]minibus indigitarunt, earum vim atque efficien[...]iam, quam à natura habere dicuntur, Diis accom[...]dant, & Jovem salutarem, Martem bello cædi[...]busque terribilem, Venerem generationis præsidem, [...]num temporis dimensorem, tardum, frigidum, [...]nem, voracem; Phœbum sagittiferum, venatorem, [...]cipedem, semper impuberem, medicinæ paren[...]em & his similia confingunt; Manilius autem ho[...]inum mores & naturales animorum nostrorum pro[...]nsiones ab astris illis deducit, prout quisque sub [...] nascitur libr. 4. & 5. imò singulas corporum no[...]rum partes singulis Zodiaci signis applicat, quæ [...] præsideant l. 4.

[...] quanquam communis eat tutela per omne
[...]pus, & in proprium divisis artibus extet,
[...]que Aries capiti, Taurus cervicibus hæret,
[...]chia sub geminis censentur, pectora cancro,
[...]apula, Nemæe, vocant; teque ilia virgo.
[...]ra colit claves, & scorpius inguine regnat,
[...]emur arcitenens, genua & Capricornus amavit,
[...]uraque deffendit juvenis, vestigia pisces.

Hic & fatum collocant cum Astronomis, sed qua[...] quam violentum, quàm imperiosum!

[...] nostrum hoc bellum est, coguntur tanta movere,

Inque suas ferri pœnas, lacerandaque membra.
Quantum est hoc regnum, quod regibus imperat ipsis
Manlius *lib. 4.*

Regibus, inquis, imò Diis ipsis & Deorum Imperatori à quo ipsa fata panduntur, quo quid ridiculum magis dici potest? Sunt regibus servi, inquit Philemon, rex servus est Deo, Deus necessitati. Idem expressit in Ilii excidio commemorando.

Illam Dii non exaudiverunt, alia enim fato lacrymabili decreta erant: neque Iovem autem neque deorum quemquam curabat fatum illud, quando nulla unquam in re mutatur rigidum illius decretum: quod primùm in lucem editis hominibus & civitatibus non fugiendo filo agglomerant ejusque arbitrio cuncta & pereunt & crescunt: Unde illæ Jovis lacrymæ in filii Sarpedonis morte, quæ fato constituta mutari non poterat: Hoc vero poëtis concedendum videtur, quando arrisit & sapientibus, & Senecæ libr. de providentia cap. 5. eadem necessitas & Deos alligat irrevocabilis: Divina pariter & humana cursus regit; ipse omnium conditor ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur; semper paret, semel jussit, quamquam & eâ in re variant, ut in cæteris: licet enim Homero fingere Apollinem veritum, ne contra vim fatorum Græci faciant: servabat inquit, murum Trojæ.

Ne illam Græci præter fatum eo die subruerent.

Eadem philosophia Poëtas docuit cœlo syderibusque vitam adscribere, & facere animantes, cum scribat Virgilius.

Principio cœlum & terram, camposque liquentes
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit.

Easque vaporibus, qui ex Oceano educuntur, pasci:

pasci: quâ ex philosophia dicit sacerdos Ægyptus in Lucano libr. 10.

Nec non oceano pasci Phœbumque, polumque
Credimus, hunc calidi tetigit cum brachia cancri,
Sol rapit, atque unde plusquam quod digerat aer
Tollitur.

Apud Anacre, aqua aërem, aquam sol ebibit, quidni & nos potemus? ait Sestius Epicureus: ut jam mira videri non debeant Jovis & Martis & Veneris planetarum gesta; sed hæc habeant à philosophis Poetæ; nihil ne à vulgo? imo unde magis quam à vulgo, solis ex mari ascendentis, præcipitantis in mare phantasia, sine quâ ortus occasusque describere nemo Poeta potest? Audi quæ pueri vix credant 2. Metam.

Ardua prima via est, & quâ vix mane recentes
Emittuntur equi, medio est altissima cœlo,
Vnde mare & terras ipsa mihi sæpe videre
Fit timor & pavida trepidat formidine pectus:
Vltima prona via est, & eget moderamine certo,
Tunc etiam quæ me subjectis excipit undis,
Ne ferar in præceps, Thetys solet ipsa vereri.

Hinc usitata illa

Titoni croceum liquens aurora cubile.
Oceanum intereà surgens aurora reliquit.

Et sexcenta ejusmodi Poeticæ linguæ ornamenta, quæ satyro dente perstrinxit Iuvenalis cum ait satyra 14.

Sed longe Calpe relicta
Audiet Herculeo stridentem gurgite solem

Eodem referes stellas labi visas è cœlo 2. Georgic.

Sæpe

Sæpe etiam stellas vento impendente videbis
Præcipites cœlo labi &c.

Lunæ laborem in deliquio

Inque auxilium, Dictinna, tuum &c.

Jam admirabilis illa & censuræ nimium secura audacia quo pacto referetur, quâ mutatum aliquid fingunt in principibus illis syderibus, eoque maxime quod diurno cursu vitam nostram regit ac moderatur? ut in fabula Phaetontis infeliciter Phœbi currum ascendentis, in illo Jovis cum Alchmena adulterio, ex quo natus est Hercules tribus continenter noctibus conjunctis: unde Lycophron *trinoctem* vocavit; in Phœbo tam sæpe ad virginis alicujus contemplandam formam in medio cursu subsistente, in cœlo ab Atlantis humeris in Herculem traducto, quæ omnia profecto cælestium rerum exploratores frustrà speculentur, aut qui temporum rationem ineunt, malè suas in istis Epochas constituant.

Præclarum est illud, quod ex licentia legem fecerunt apud Astronomos: nam cum hi ortus occasusque signorum æquinoctialis circuli obliquitate metiantur, cujus pars semper aliqua cum signo cælesti eminet, atque assurgit supra horizontem; illi ortum alium sibi convenientiorem invenerunt; quem ne condemnare viderentur Astrologi rectum & verum, sed à suo diversum, appellare maluerunt Poëticum, qui ex tempore maxime sumitur, quo apparere stella incipit: iis enim circumlocutionibus diversa diei annique tempora signare consueveruut; ut cum veris initium descripsit Virgilius 1. Georg.

Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus, & adverso cedens canis occidit astro.

Sed

Sed ut modi impatiens eſt licentia, hunc ipſum ortum & occaſum triplicem eſſe volunt, Coſmicum, aſtro cum ſole horizontem aſcendente, aut cum eodem in occaſum vergente chronicum vero, ſigno noctu emergente aut depreſſo; ſiquidem tempus commentationum ſuarum appellant Aſtrologi noctem, heliacum denique, ſtellâ ex receſſu à ſole in proſpectum ſe dante, aut acceſſu ad ſolem obſcurata & nunquam abſorpta; quæ omnia Poëticis exemplis illuſtrat auctor Sphæræ Joannes ſacro Boſco cap. 3. Cujus Aſtrologiæ ſi te fugit cognitio, ſcito & maximam linguæ poeticæ partem à te ignorari, & fruſtra ad explicandos Poëtas accedere, cum diverſi diverſos, ſinguli ſæpe omnes ortus & occaſus ſcribendo uſurpent. Lucanum hic omitto, cujus poeſis ſtellulis iſtis eſt diſtincta, plus fortaſſe quam ratio & uſus poſtulet.

CAPUT QVINTUM.

ARTIUM INFERIORUM accurata cognitio negligitur à Poetis.

A Poetis tentato cœlo, quid in natura poteſt eſſe ſecurum? obſcuratis Aſtronomiæ regulis, quid in artibus cæteris intentatum relinquent? artibus inquam quibus liberales omnes dignitates, Poëticam etiam utilitate jucunditateque longè ſuperiores fatentur: his videlicet ut magiſtra manum injicit, earumque operam in commoda ſua vertit: ipſa nulli, niſi ſponte, & quantum ſuadet jucunditas, ſubdita.

Nam 1. eorum agnitionem adeo negligit, ut nec quo

tempore sint inventæ, quærendum sibi existimet: nam Æneas in Didonis palatio,

Animum pictura pascit inani.

In qua videt

Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque jam totum famâ vulgata per orbem.

Cum tamen disertè neget Plinius Lib 5. cap. 3. eam Iliacis temporibus extitisse, in quo & peccavit Æschylus græcorum ducum arma describens in obsidione Thebarum: sua enim singulis assignat insignia in clypeo cælata, ut & Virgilius & Homerus: quis autem nescit prius cælaturam quam picturam inventam? quid quod idem Virgilius gnarum ejus artis Dædalum fecit, casus suos in Cumanæ arcis pariete pingentem libr. 6? quo auctore? quo teste? idem in 3. triremem describat in Æneæ comitatu.

Triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt, terno consurgunt ordine remi.

Cum illud navigii genius Heroicis temporibus nondum esset excogitatum: sed nimirum prolepsis illa est & anachronismus Poetis usitatus. In eadem pictura seu cælatura peccatum est à Virgilio lupam geminorum describente lib. 8.

Illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos, & corpora fingere linguâ.

Hæcne fieri potuerunt sine motu, qui picturæ nullus inest? maluit igitur errare, quam abigi voluptatem, & admirabilitatem perdere.

In re equestri certum apud peritos est, deteriores esse equos, quibus albi sunt pedes; neque id ignorare potuit Virgilius in equis curandis apprime versa-

versatus. Cur igitur in equi Ascanii commendatione scripsit. *vestigia primi*

Albapedis frontemque ostentans arduus albam?

Ad eandem ejus artis negligentiam pertinet Aristotelis nota, pictorem illum excusantis, qui equum fecit, priorem posterioremque in cursu, eadem ex parte pedem attollentem, quod quia κατὰ συμβεβηκὸς tantum ad picturam reducitur, ad artem autem equitandi per se spectat, excusatur in pictore, quem potest Poeta imitari: quod si Appelles nec indignum tulit à sutore in crepida reprehendi, cur ejusmodi vituperium Poeta defugiat? in arte coquinaria quantum ordinis requiratur disci potest ex coquo illo, qui apud Athenæum libr. 9. se cum Imperatore exercitus copias instruente compatat, & tamen ordinem illum insuper habuit Virgilius, cum dixit. *Et torrere parant flammis & frangere saxo.* In auxilium Poetæ figuram advocarunt Grammatici & ὕστερον πρότερον appellarunt: est id sane, sed cur eam in elocutione & verbis collocant, cum in rebus & inventione spectetur? Licentiam igitur malim, ordinem in ὑστέρα προτέρα negligentis Poetæ, ut versui serviat. & ejus ornamentis.

In re militari arma, aut certè ocreas è stanno fabricat Homerus Iliad 8. fecit ei ocreas ex ductili stanno; cum tamen æreæ esse debeant: *circa ipsam ocrea nuper facti stanni graviter insonuit.* Iliad 21. Sed antiquo vocis usu dicitur ipse abusus, quo stannum à multitudine sæpe pro ære vel ferro sumitur: deinde contra rationem, & Achillem facit abnutantem, capitis motu irritatos pugnantes, implicatos hosti milites retinentem, ne quis adversus Hectorem jaculetur Illiad. 22.

Hoc vero signum in ardore conflictus quis existimet

istimet sufficere? ἄλογον videlicet est Aristoteli dignum excusatione visum ex natura Epopeiæ quod tamen maluit corrigere Virgilius vôcem non nutum capitis ea in re usurpans.

At pius Æneas dextram tendebat inermem
Nudato capite, atque suos clamore vocabat 12. *Æneid.*

Referunt & alii peccatum aliud in eadem militia, cum Hector solus, sine ullis legionibus & comitibus totum Græcum exercitum in fugam convertere fingitur, quod admirabile est, quod bene deprehensum hactenus concesserim, si ea non dicitur esse insecta io Hectoris, quam Aristoteles sæpe commemorat, nam patientis Hectoris insectatio est Aristoteli dicta, cum Achilles timentem sequebatur.



CAPUT SEXTUM
AN SIT OPTIMA POEMATIS Epici dispositio, quæ Homero & Virgilio principibus Poetis placuit.

NEmini nota non est Homericæ Epopeiæ dispositio, quam aliqua ex parte Virgilius æmulatur, eam qui dixerit à me reprehendi cum ὕστερον πρότερον pro perverso ordine usurpat, à vero ut opinor non absfuerit: sed manifestior Dionis Prusæi accusatio, cum mendacii reum Homerum citat, sic enim ait, in Trojana, Poëtam res à Græcis adversus Trojam gestas dicere instituentem, aliunde quam à principio narrationem ducere, quod mentientibus omnibus familiare est, qui orationem implicant & circumplicant, neque quicquam ordine dicunt, ne fraudes patescant: gravis profecto accusatio

ſatio & à principe modis omnibus ac ſtudiis propulſanda: nam & Virgilium & maximos quoſque Poëtas, poëtarumque inſtitutores tangit, quibus Homericus ordo jure optimo ſemper arriſit.

Si teſtibus certandum eſt Horatium in primis oppono, cujus hoc eſt pronunciatum.

Ordinis hæc virtus erit, & venus, aut ego fallor
Vt jam nunc dicat, jam nunc debentia dici
Pleraque differat, & præſens in tempus omittat.

Deinde verò de Homeri carmine privatim.

Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo
Semper ad eventum feſtinat, & in medias res
Non ſecus ac notas auditorem rapit.

Neque ſi res accuratè perpenditur, Homericus ordo à Cicerone accuſatur, quem ipſe ſe imitari dicit.

Illum autem adeò præpoſterum nego appellandum, ut potius rectiſſima, & continenti ſerie veſtiſſimè ductam eſſe contendam; quid enim proponit canere? iram Achill. ſumpſit initium ab Agamemnonis injuria, quæ tamdiu fuit, donec interfecto Patroclo in Hectorem & Trojanos verſa eſt, atque interfecto vix tandem extincta, quis ductus naturam melius affectetur? Virgilius Æneæ in Italiam adventum enarrat, quam recto filo? tempeſtas volventem è Sicilia ejicit in Africam, inde redit in eandem Siciliam, tum appellit in Italiam; at Homerus bellum Trojanum ſcripturus erat? falſum, decimum enim tantum annum eumque non totum attingit, quodque de pugnis & cæteris ducibus divinè canit, tantum ex oratione Achillis affert, neque penſi quicquam habet, ſitne urbs Troja capta & everſa,

an

an victi victoresve Trojani, cùm Græci: pulsis stante Troja æque vigere potuerit ira Achillis, & Hector in naves irruere & patroclus ab Hectore, & Hector ab Achille interfici: non igitur Historiæ ordinem Homerus; sed Homeri consilium pervertit Sophista, qui de bello Trojano dicturum fuisse calumniatur, & ejus initium atque finem ab eo male & contrà institutum requirit. Plura de illa dispositione Hoc loco non dico, illam à calumnia defendisse contentus.



TERTIA

TERTIA PARS DISSERTATIONIS PROLUSIO AD IGNATIUM,

EX HISTORIA SOCIET. JESU. Tomo primo, Libro primo, Num. 31.

Ut appareat quid verum quid fictum, & quo fundamento fictum in Ignatiade.

TUm Barcinonem discessit, iter in Palæstinam, quod à principio destinarat, primo quoque tempore initurus, Manresam decimo fere post-quam venerat mense, valde & sanctitate, & claritate [nobilit]atam relinquens &c. Nec dubitare fas est, quin [pr]æcipua quadam indulgentia, eam Ignatius pla[cidus] è cœlo respiciat, ut incunabulum suæ in Chri[sto] infantiæ, altricem primæ mendicitatis, tyro[cin]ium sacræ militiæ, Evangelicæ scholam Sapientiæ, [ut] ipse appellabat, suæ primitivæ Ecclesiæ sedem, [et] etiam tamque excellentium donorum consciam, [c]œlestem; &c. Verum, neque omnino quemquam [I]talium comitem voluit: nec pecuniæ subsidia, [quæ] benigne obtrudebantur, admisit, ut, quemadmo[dum s]ecum ipse differebat, nullos haberet comites, [nec ali]um subsidium, nisi fidem, spem, & charitatem in [Deu]m; & nihil fiduciam, vel amorem suum à [Divi]na Bonitate distraheret. Quod propositum te-

Numer. 31. Manresam nobilitatam relinquit Ignat.

Hierosolymitanæ, peregrinationis, nec comitem, nec viaticum voluit.

nuit ita constanter, ut cum nequaquam reciperetur navim, nisi quod ipsi sat foret nautici panis, inferret, diuque reluctatus, de Confessarii demum consilio intulisset nummulos aliquot, quos in littore reliquos animadvertit, quod nulla adigebat necessitas ferre, ibidem in saxo reliquerit. Ceterum divino plane consilio ingens discrimen evasit. Nam cum perhonesta Matrona Isabella Rosella forte in concione humiliter eum inter pueros considentem intuita, ore vidisset supra modum splendido, ac fulgenti: & vocem interiorem audiens, qua jubebatur accersere, accersisset, colereque, ut sanctum Virum cœpisset, eadem operam dedit, ne phaselum, uti decreverat; sed uti onerariam grandem conscenderet; quod cum fecisset, phaselus in conspectu Barcinonis naufragio periit: onerariam vero vehementer à puppi ventus impellens pervexit. Annus tum agebatur 1523. qui plerique Italiæ grassante pestilentia infestus optatam ærumnarum Ignatio segetem obtulit. Dum Venetias contendit, Amici coegerunt, septem circiter ad naulum olim solvendum aureorum nummûm summam accipere: sed mox iis tanquam paupertati propositæ minus consentaneis in obvios pauperes distributis, lætior inde perrexit ærumnis, & mendicitate ditissimus. Excludebatur ab urbium, & oppidorum ingressu: non recipiebatur hospitiis, stipe non juvabatur, ipsis quoque viatoribus pallore, ac macie tanquam pestilens erat horrori. Verum incedebat suo ductor, & socius peregrino Christus Jesus, tanto præsentior, quanto longiùs aberant humana solatia. Qui prope Patavium etiam videndum se illi uti solebat Manresæ, obtulit: consolans, & ad asperiora tolerandа confirmans. Idem in urbes ipsas Patavium

33. *Divina lux in ejus ore cernitur: & ingenti discrimini præripitur.*

34. *Ærumnæ in Italia per occasionem pestilentiæ.*

Venetias, quæ ob eosdem pestilentiæ metus per-
[illegible]patebant externis, aditus ei facillimos dedit.
[illegible]que appareret certare quodammodo famuli fidem,
[illegible] indulgentiam Domini, dum Venetiis Ignatius,
[illegible]elegato quidem Cæsaris salutato, quo minus in ho-
[illegible]nibus spei locatet, emendicato victitat, inque san-
[illegible] Marci foro pernoctat, è prima Nobilitate sena-
[illegible]o: Marcus Antonius Trivisanus vocem audit in-
[illegible]crepantem: Ergòne, tu in lecto molli quiescas, & 35.
[illegible]amulus meus noctem sub dio traducat? quàm con- *Divino*
[illegible]i ò ad vocem vir clarissimus surgens, eo, qui vo- *monitu ex-*
[illegible]uat, regente vestigia, in Ignatium incidit: & hunc *cipitur ho-*
[illegible]nterpretatus esse, quem audita vox commendasset, *spitio Ve-*
[illegible]um deductum hospitaliter habet; sed is poste- *netiis.*
[illegible]o die, ubi minus honorifice haberetur, hospitium
[illegible]ptoptavit. Ad ducem Andream Gritum admissus,
[illegible]uam per se nulla adhibita commendatione causam
[illegible]xponens, facile impetravit, ut quoniam Peregri-
[illegible]orum triremis jam solverat, Cyprum usque navi,
[illegible]a novus prætor ejus insulæ mittebatur gratuito
[illegible]cheretur. Multis sanè modis eminebat sancti hu-
[illegible]s Peregrini in Deum fiducia, & Christiani pectoris
[illegible]ordo: Nam cum totus ab aliena Benignitate pen- 36.
[illegible]et, nihil tamen, ubi Dei laus ageretur, ejus retar- *Navigat*
[illegible]atur libera charitas, quominus omni ope scelera *in Cyprum.*
[illegible]hiberet. In hospitio, cujus instabulum fuerat re-
[illegible]ptus, nocte intempesta clamoribus magnis exci- *Ignatii li-*
[illegible], cum perditos homines vim molientes fœminæ *bertas in*
[illegible]tre, deprehendisset, orationis gravitate, vultus *prohiben-*
[illegible]ore, oculisque, præ zelo Dei, micantibus con- *dis sceleri-*
[illegible]it ita, & obstrupefecit, ut nec ultra quicquam *bus.*
[illegible]are ausi, nec verbum adversus hominem igno-
[illegible]m, alienigenam, denique mendicum, mittere, ex
[illegible]mplo velut oppressi facesserent. In hoc Cyprio

cursu dum pari libertate conatur manifestam certorum hominum intemperantiam coercere, admonitus ab amicis, ut sibi parceret (agi enim de eo in desertam insulam ejiciendo, ne inde quidem formidolosior factus est, ac Christus Jesus, qui se toto hoc itinere illi frequenter monstrabat, ita cursum a destinata quam destinarant, insula avertit, ut volentes, nolentes, si non jucundum, certè utilem obpugnatorem multis prohibitis criminibus, deportarent in Cyprum. Hic peregrinorum, quàm prægressam diximus, navi gratuito item recipitur: itaque cum ineunte Septembri Joppem Palæstinæ portum appellunt, sensere illico terræ altricis sanctitatis contactum: & quædam animos quasi salubritas pietatis afflavit: quoque propius ad sanctam urbem ferebant pedem, hoc acrius inardescebant cupide primo quoque tempore, angusta illa monumenta oculis usurpandi, ore lambendi mente tota, & corpore venerandi. Prope eum locum, unde primum Hyerosolymorum

37. *Pervenit in Palæstinam & sancta loca invisit summa pietate.*

conspectus aperitur, singuli seorsim colligunt curas & convocant ad primam illam speciem, quam religiosissime hauriendam. Jamque animi impetum temperare non valentes, etiam gressu festinant. Ibi præter omnes ardens Ignatius altissima consideratione defixus. Ubi vero sacta ipsa attigit loca, præcipue nobilitata salutis nostræ mysteriis, solo illo, illis specubus, montibus illis, tectorumque reliquiis antiqua repræsentantibus tempora, ipsasque res ante oculos ponentibus, totus in lacrymas abire, pietatis sensu colliquescere, nec os, nisi ad aliqua raperetur, posse a primis avellere. Plane hoc concilio venerat, ut eam sibi reliquæ vitæ sedem, eam requiem haberet. Quippe Christi Salvatoris amore immensum flagran-

s, ut est amor impatiens, nec unquam sua flam-
oque incremento contentus, è sacrosanctis illis
ibus solatium quærebat, & fomitem; ut quando
n licebat intueri Dominum ubi est, intueretur
ijit, terram premeret, quam pressit: in antro 38.
t, ubi vagavit; tumulo provolveretur, in quo
& si fas esset, sanguinem funderet, & mortem
ret, ubi ille occubuit. Statuerat simul ad fideles
ndos, & barbaros quosque pelliciendos ad fidem,
m omnem, operamque conferre. Nam hoc
cetera (ut dixi) Manresæ, alte in pectus demi-
luum, considerans, quid optatissimum esset Deo,
obrem Christus vitam perfudisset, ad omnium,
m conniti posset, animarum salutem elabo-
. sed cum Provincialis Franciscanorum Mini-
liorum, qui idem expetiverant, experimentis
s, nullo modo sineret permanere; potestatem
que sibi affirmans esse, qui suo injussu subsisteret,
n anathemate coercendi, obsequii perstudiosus
tius suum illud consilium in aliud tempus rejecit
, quam abjecit. Interim, quia postera dicta
versioni dies, cupidus relicta à Christo in cœlum 39.
te vestigia regustandi, raptim in Olivetum
em evolat solus, & sine ductore Turca, quod est
periculosum, & quia non admittebatur, cul-
e Graphiaria theca custodibus donat: inde ad
agem properat. Hîc verò cum subiisset, ne-
uam se observasse, quanam ex parte dexterum,
istrum Domini vestigium hæsisset, in Olive-
ecurrit: donatisq; forficulis, rursus emit ingressum,
ebatur jam domum gaudio plenus, cùm obvium
t cœnobii famulum ex iis hominẽ quos Christia-
ngulo tenus vocant, missum à patribus Fran-

Redit solus in montem Olivetum.

ciſcanis, quibus Ignatii abſentia cognita, gravem injecerat curam, ne ſuus illum fervor ſævitiæ Turcarum, avaritiæ proderet, accedebat homo torvo vultu,
40. *Rurſus ei Chriſtus dominus apparet.* fuſte armatus, & Ignatius perferre quidvis paratus, ſed interfuit ſimul clementiſſimus Jeſus, qui Jacobitæ pectus ita mollivit, ut peregrinum nil niſi brachio paulo ferocius prehenſum, de cetero humaniter duceret: ipſe verómet Dominus toto illo itinere famulo ſuo divinam illam præſentiam commodans, & lætitias infundens uberrimas, anteibat. Nec
41. *Firmiſſima navis, quæ non recipitur naufragium facit infirma, quæ recipitur, portu potitur.* minùs in Cypro mox adfuit, nam cum tria ſtarent in portu navigia mox in Italiam ſolutura, Turcicum unum, alterum Venetum firmum, ac magnum prædivitis mercatoris; tertium puſillum vetuſtate, carieque fatiſcens; quidamque Peregrinorum inſtarent apud robuſti illius Navarchum, ut Ignatium ſuſciperet ſanctum eſſe hominem memorantes, is, cognito pauperem eſſe, ſanctis navigio opus non eſſe reſpondit; ſed brevi didicit cavillator ineptus, reipſa non ita ſanctos viros navigiis, quam navigia ſanctis opus habere; nam cum tres illæ onerariæ pariter vela ſecundo vento feciſſent, ſub veſperam graviſſima tempeſtate coorta, Turcica omnino periit; Veneta prope Cyprum alliſa in ſcopulos naufragium fecit, parvula, & male cohærens, in quam gratis Ignatio, facileque aſcenſus patuerat, quamvis multum jactata, curſum tamen incolumis tenuit; tanti intereſt, in hominum Deo acceptorum comitatu
42. *Redit daturus operam literis.* verſari. Tantum habet fœnus in minimos Chriſti deprompta benignitas. Ubi, dum deliberat, quando conſilium commorationis Hieroſolymitanæ non ſucceſſerat, quam vitæ poſthac viam iniret, nihil mediocre moliens; dudumque certus id ſequi, in quo

orem Deo, Christoque Domino, quam gratissi-
m faceret, quia id fore persuasum habebat, si to-
m se ad juvandas animas conferret, consilio planè
abili, ut in ea procuratione instructior versari,
oréque cum fructu posset, homo trium, ac tri-
nta annorum ætatis, statuit curam adjicere ad stu-
literarum. Ejus rei causa panis frusto in sto-
chi fomentum, & aliquot argenteis nummis do-
tus, Ferratiam venit. Hic dum preces in templo
cit, petenti forte mendico stipem elargitur; mox-
aliis, qui conspicati, atque aliis deinceps, qui
riti priorum susurris accesserant; quo ad suam
lam peculiolam ad obolum erogavit: cumque jam
ngens circumstaret caterva, tum eorum, qui quip-
pia acceperant; tum aliorum petentium, magna
haritate, ac misericordia: parcite, inquit, reli
um nihil est; & cunctis obstupescentibus ad e-
endicandum sibi, quo præsentem sustentaret neces-
atem, egreditur.. Inde progressum Hispani, qui
ellum in Cisalpina Gallia grave cum Gallis per id
empus gerebant, pro exploratore capiunt, perten-
ndoque fastidiosissime, etiam calceis excussis, & in-
ecto nudo corpore diu vexatum, tandem sine tuni-
ca sua ducunt ad præfectum ut is exprimat vi, quæ
ari putabant. Magnus hic Christi Domini ama-
r jam pridem, ut supra significatum est, vitam ejus
o norma proposuerat, formaque, ad quam fingeret,
que exigeret suam: atque adeo existimans in fa-
iari sermone, ingenua Christum, & Apostolos
licitate usos, hanc etiam ut imitaretur consueve-
modeste omnes promiscue numero multitudinis,
que ambitiosis dominationis, & id genus præfa-
nibus appellare, subiit igitur dum ita captus duci-
r, id tempus esse quo aliquid de ea simplicitate re-

4. Pecuniam sibi donatam omnem pauperibus distribuit.

44. Pro exploratore captus vexatur.

mitteret, & præfectum affari urbanius expediret; quam cogitationem, vir mentis suæ custos acerrimus, dum uti solebat semper ad rationis judicium vocat, diligenterque unde oriretur, quo ferret, explorat, animadvertit sensum esse imbecillitatis humanæ vexationem, ac tormenta reformidantis. Tum secum ipse; itane sumus ad injurias, ita ad imitationem Christi parati? castigabo te ego, perverse terror, & continuò tamquam per Hierosólymæ vias Christum Dominum vinctum agi videret, quanquam nulla hic visio extraordinaria: sed solum vehemens cogitatio intervenit, lætissimus per oppidum longissimo tractu vadit, coramque præfecto ne pileolum quidem à vertice suum movet, nec nisi per pauca verba insigni cum intervallo ac tarditate respondet; ut præfectus continuo mitti jusserit, mente captum pronuncians, forte gravius vexaturus, si vexationis fugitandæ causa de simplicitate ille sua decessisset. Dimissum, unus militum misericordia commotus
25. excipit, cumque serum diei jam esset, aliquid quo jejunium solveret, & ubi sub tecto noctem traduceret, dedit. Ita milites suos Imperator Cœlestis exercet, non deserit; ærumnæque, quæ segnes animos, unde fugiuntur, opprimunt, magnos ac fortes unde accersuntur, fugiunt. At Ignatius, ut nova cœlestis doctrinæ præcepta experiendo perdisceret, vix ab Hispanis admissus, comprehenditur à Gallis. Sed interrogantibus de patria, hoc tantum effatus è Provincia se Guipuscoa esse, perbenigne à Duce, qui Patriam habere se in proximo memorabat, est habitus. Nimirùm, ut intelligeret, quam parum humanis fidendum, quam numquam diffidendum divinis præsidiis sit, dum plus apud alienos & hostes benignitatis, & fidei, quam apud amicos populares inveniebat, &c.

Cum

Cum, cognovisset hominem præ desperatione infenso in laqueum collo, ab cubiculi tigno se suspendisse, ingressus & ipse domum, jussa recidi reste, cum omnium judicio plane miser esset extinctus, conjecit se in preces Ignatius, cunctisque admirantibus, rediit homini vita, mansitque, dum pœnitentia se ad obitum compararet.

Sed Deus, qui delectum ad magna virum, ad propositi sui finem per gradus sensim, & vias admirabiles, quasi manu ducebat, tacito instinctu impulit, ut omninò Parisios abeundum putaret. Causæ profectionis afferebantur potissimæ duæ: altera quod intelligeret majore otio sibi aliquamdiu in sapientiæ studiis immorandum, facilius ab agendo cum populo cat temperaturus in Gallia, ubi ipsa sermonis popularis cohiberetur inscitia: altera, ut interim in illo Christiani orbis totius celeberrimo litterarum emporio, & flore copiosissimo juventutis, ad consilii sui societatem, aliquot eximios aggregaret. Ad hanc sententiam, ubi longa consultatione ac precibus animum appulit, quamvis difficultates maximæ objicerentur, sive ex adversa itineris tempestate, sive ex bellis Hispanos inter, & Gallos ardentibus, tamen suam admirabilem constantiam addidit &c. Anno sæculi ejus octavo, & vigesimo Lutetiam februario mense pervenit, ut latinam linguam perpoliret, inter pueros in Montis acuti collegio sedebat auditor, nec initio magno incommodo, cum contubernio uteretur aliquot Hispanorum; sed mox cum ex piorum liberalitate missam sibi Barcinone pecuniam contubernalium unus, apud quem deposuerat, suos in usus vertisset, nec solvendo esset; coactus in Sancti Jacobi xenodochium migrare, tum propter viæ longinquitatem, tum quia hospitium nec ad exitum ante solis ortum, nec post

62. *Laudatus è custodia cum suis liberatur.*

63. *Causæ adeundi Parisios.*

65. *Conflictatur inopia.*

occaſum patebat ad reditum, & victus erat oſtiatim quotidie quæritandus, magnos labores exhauſit.

68. *Charitas Ignatii mira in proximos.* Vetus ille contubernalis Ignatii, fraudatorque pecuniæ, iter in Hiſpaniam moliens Rothomagi morbo, inopiáque oppreſſus, tantùm ſibi de viri cognita charitate promiſit, ut ad quem potius confugeret, ſuam nuncians calamitatem, & opem poſtulans, nullum invenerit; nec ſcripſit is fidentiùs, quàm fecit ille benignius: continuo hominem conſolaturus, & ad amorem ſi poſſet, vitæ optimæ pellecturus, ſtatuit ad eum pergere: & quidem ad auxilium ei divinum impetrandum, totum iter duodetriginta leucarum, quibus Rhotomagum Lutetiâ diſtat, ſine ullo cibo, ac potione planè jejunus, pedibusque nudis conficere

Cum alium Pariſiis amicum ab turpi mulierculæ conſuetudine, multis tentatis viis, nequiſſet abſtrahere, ingenioſo pariter, fortíque conſilio, non dubitavit, adverſus ignea inimici tela pro pudicitia aliena aggredi rem, cui parem ſanctiſſimos viros auſos miramur pro ſua. In ſtagnum prægelidum, tempeſtate perfrigida, collo tenus ſeſe immerſit, propter quod iter erat impudico ad flagitium properanti, cumque is prope fuit, repente ſevera, ac lamentabili voce erumpens, deterrensqne, ſeque, dum in ſuo ille cœno volutaretur, futurum eo loco denuncians, juſtam, ut à miſero numinis iram averteret; ea ſpecie improviſa, & charitatis admirabilitate perculit, commovit, ab tenaci illo veneno prorſus avulſit: quod, ut hoc loco narrarem, quia certum tempus non conſtat, admonuit me Rhotomagenſis Charitas profectionis, &c.

Verum ex tanta diſcipulorum, ſociorumque Ignatii varietate,

varietate, novem duntaxat veros, germanosque ejus alumnos disciplinæ, jam inde ab æternitate paraverat Deus: quorum hæc nomina fuerunt, & patria, Petrus Faber Allobrox, Franciscus Xaverius Navarrus, Jacobus Lainius Seguntinius, Alfonsus Salmeron Toletanus, Nicolaus Bobadilla Palentinus, Simon Rodericus Lusitanus, Claudius Jajus Gebennensis, Joannes Codurius Allobrox, Paschasius Broetus Picardus. Ceterum omnes, fere, ut locis, atque nationibus, ita & naturis erant, ac linguis, consiliisque dissimiles, ac ne alibi quidem nisi Parisiis, sese antea de facie norant; quo nec eodem omnes tempore se contulerant, nec idem omnibus studiorum scopus, ac propositum fuit, tametsi idem erat cursus, atque contentio. Verum pro sua quisque sententia, ac voluntate suas sibi rationes vitæ animo describebat, ac designabat, spectans alia omnia præter id, quod ex eorum studiis, & vitæ cursibus, immutabili sui definitione decreti, divina constituerat sapientia: liquido ut appareat, cum alia nulla conglutinatio necessitudinis fuerit, tantam subito inter eos societatem, & conjunctionem, sine superiore aliqua vi, nutuque cœlesti non potuisse conflari, præsertim quod & Ignatius homo erat iis adhuc ignotus; idemque sua voluntate propter Christum factus egenus, nihil amplitudinis in hac vita, nihil splendoris affectans: sociorumque non modo vitæ genere verum etiam natura ipsa dissimilis. Declarabat quippe tum omnibus æterna illa Majestas celsissimæ suæ fuisse dextræ, non imbecillitatis humanæ, tanti operis molitionem; cujus, ne quam sibi partem humana arrogaret industria, Divina prorsus comparatum est voluntate, ut religionis condendæ consilium, sicut in æternæ mentis delitescebat ar-

Novem primi Ignatii socii.

canis

canis, ita memini ex sociis præter Ignatium, cui ut supra demonstravi, revelatum divinitus non obscuris constat indiciis, veniret in mentem &c.

90. *Prima vota an. 1634.* Jejuniis igitur & voluntariis pœnis corporis antegressis, expiatisque peccatis, in ædem Beatissimæ Dei Matris in monte Martyrum vacuo remotoque ab interventoribus loco, procul ab urbe circiter mille passus, una se conferunt. Hic sacris operans Faber cum ad eos conversus incruentam Hostiam manu teneret, suum quisque votum clara voce, conceptaque verborum formâ suscepit: ac subinde singuli ejusdem manu cœlestis epulo recreantur. Tum reversus ad aram sacerdos, priusquam Domini Sacramenta susciperet, suum ipse quoque votum ultimus nuncupavit. Ab eo die, qui Assumptæ Deiparæ sacer erat, omnes sibi eam patronam apud Deum præcipuam adoptarunt, & post societatem conditam, eum diem, quasi primum ejus natalem singulari relligione ac memoria coluerunt, eandemque ob causam ex hoc potissimum anno, ratio à nobis duceretur annorum. *Hæc Nicol. Orlandinus in historia Societ. Iesu, tomo primo, libro primo.*

IGNATIUS

Utrum Heros.

QUilibet vitæ status suos habet Heroas; & nulla ferme est virtus, quæ eximio quodam cultore non gaudeat, adeoque Heroe: animadvertunt Virgilii interpretes Æneam pietate & prudentiâ

dentiâ fuisse majorem, quàm armis: an non singularis illius pietas in patrem, quem humeris ex incendio reportavit? in patriam, cujus reliquias in Italiam servandas transtulit? In Deos, quibus tot sacrificia vel ad invocationem vel ad gratiarum actionem obtulit? contra hanc virtutem peccavit nihil.

Pietati adjunxit prudentiam, virtutem Herois alteram: Æneam nihil latet eorum, quæ tempori gerenda sunt: exploratum illi est & perspectum, quid sectari, quid fugere in omni rerum commutatione debeat, adversis non atteritur, secundis non insolescit: in utroque statu prudentia. Quam prudenter toto navigationis tempore familiam rexit! mirabile est illius judicium, & prudentia in orationibus ad suos, ad alienos, ad Duces, ad milites, ad Didonem, ad Principes habitis: nusquam à prudentia tantillùm per deflexit.

Tertia virtus Æneæ fuit bellica fortitudo: magna quidem illa, sed non summa, non singularis, non eximia, imò pietati & prudentiæ inferior. Quid laudis Æneæ congredi cum Turno juvene meticuloso, & ad certaminis umbram expallescente? de quo.

Tabentesque genæ, & juvenili in corpore pallor.

Adversarius tam exiguæ aut nullus virtutis Æneam an fecit Heroem?

Post singulare certamen, iterum certat Æneas in Turnum non jam timidum, sed inermem ferme & nudum, qui præceps ensem aurigæ Metisci pro suo abstulit, cum interim prodeat Æneas tectus armis, Vulcani manu, & tota cyclopum gente fabricatis, quæ ictu non frangi aut perforari valeant, sed Turni ensem in frusta disrumpant.

Perfidus ensis.

Frangitur

Frangitur, in medioque ardentem deserit ictu.

Quid mortalis ensis Turni contra immortalem & telis impervium clypeum Æneæ?

Postquam arma Dei ad Vulcania ventum est,
Mortalis mucro glacies seu futilis ictu
Dissiluit, fulvâ resplendent fragmina arena.

Non igitur Æneæ, sed ejus armis referenda est victoria; neque fortitudini Herois, sed industriæ Cyclopum debetur. Æneas, si vere Heroïca fortitudine ad summum valuisset, debuisset leviori armatura instructus, Turnum etiam cataphractum & insigniter armatum vincere.

Post fractum ensem fugit Turnus, insequitur Æneas, uterque pertinacissime, neuter Heroïce: imo sine dedecore debuit fugere inermis Turnus: non potuit Æneas persequi cum obstinatione, quæ crudelitatem redolet.

Ad prælium tertio procedendum: postulat Æneas congredi cum inermi Turno: cum armato detrectat; dum Turnus.

Notumque efflagitat ensem,
Æneas mortem contra, præsensque minatur
Exitium, si quisquam adeat.

Armantur tamen ambo; sed imparibus telis: Turnus ense uno, Æneas ense & hastili: Turnus contra duos Jovem & Æneam, Hercules contra duos. Quid interea? Turnus relicto ense saxum arripit ita grande; ut

Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Quanto hic Turnus fortior Æneâ aliàs torquente saxum, non quod duodecim, sed quod duo movere possent? sed quis finis certaminis? Jupiter ut terreat

ieat Turnum, immittit è Diris exitialibus & fuſtis, eam,

Totas quæ territat urbes,

Quid mirum ſi juvenis pavet, dum

Turni ſe peſtis ad ora
Fertque refertque ſonans, clypeumque everberat alis.

Poſtquam autem ſuperbienti Æneæ dixit Turnus

Non me tua fervida terrent
Dicta ferox, dii me terrent, & Iupiter hoſtis.

Examinatur totus metu juvenis.

Genua labant. gelidus concrevit frigore ſanguis.
non ſe agnoſcit euntem.

Atque ut ſubjiciam oculis, quod paſſim dictum eſt. An Æneas magnanimus Heros ideo renunciandus eſt, quod Turnum imparibus armis pugnantem, victum à Jove, territum Diris exitialibus, metu exanimatum, pedibus labantem, mente confuſum occiderit? quæ hic bellica fortitudo?

Non ſola igitur bellica virtus Heroas, facit: an non Chriſtus Heros, & virtutis omnis exemplar? quæ bella geſſit? quos exercitus conſcripſit?

Omnis itaque virtus ſuos habet Heroas; ſed difficilius eſt Heroem canere, aliis virtutibus, quam bellica fortitudine inſignem, & conſpicuum. Quia eo in carminis genere Homerum habes ducem & Virgilium, quorum veſtigiis dudum tritis inſiſtere facilius eſt quam novam & fere inuſitatam dicendi viam inire.

Ex tribus autem Herois virtutibus, quæ Ignatio defuit? pius & prudens ad miraculum extitit, arma tractavit ad trigeſimum annum: hæc clarius ex ſequentibus patebunt.

IGNA-

IGNATIUS
Quod sit Heros.

SI, ex superioribus constitutum Heroëem & renunciatum à pietate, prudentia, & bellica fortitudine vidimus, quæ dubitatio de virtutibus Ignatii verè Heroicis esse potest? An ille non pius, qui collapsam in Deum pietatem, cultumque Divinum toto orbe restauravit? qui præ charitate voluisset esse anathema pro fratribus?

An ille non sapiebat, cujus prudentia penè vel ipsius relationi inter sanctos obfuit? qui leges suis conscripsit tanta prudentia, ut nihil vidisse se prudentius scriptum dictitaret Card. Duperronius, si sacros codices exceperis? cujus prudentiâ in rebus administrandis usi sunt, quotquot fuere illa tempestate summi Pontifices & Principes? qui singulis horis acta & dicta discutiebat sua ita pudenter, ut annis ante mortem duodecim dixerit aut fecerit nihil, cujus eum pœnituerit? de duabus illis virtutibus nulla potest subesse dubitatio: de bellica fortitudine major esse controversia potest.

Tractavit arma Ignatius ad annum trigesimum; quo tractaverit animo colliges ex accepto vulnere, ex ossis in tibia exuberantis amputatione voluntaria, ex commissa arcis Pompejopolitanæ custodia juveni contra Gallos non minori numero quam virtute obsidentes. Sed iis obmissis, nusquam bellum deseruit: mutavit arma; ut galeam salutis, clypeum fidei, castitatis cingulum, gladium verbi divini assumeret. Appendit ensem ad aram B. Virginis in Templo Monserrato, &, ut alter Vejanus ferrei seculi vestes

fies ad postes Herculis, vel potius ad turrim Da-
, ex qua mille pendent clypei: perduravit tota
te vigil ante aram instar Romanorum militum,
vigilias ducebant.
Non discessit à consuetudine castrensi, aut verbis
litaribus: ordini suo appellationem *societatis* de-
, *quicumque* inquit *huc militiæ nomen dederit:*
ta est obedientia plusquam militaris, missiones
castris, dimissiones: meditatio de duobus vexillis
a castrensis est, & societatis parens, quam primi
Patres originem Societ. appellabant, & ostendit Del-
verba ferme omnia in castris usurpari solita ad
stitutiones Societatis & ad historiam ab Orlandi-
no scriptam esse translata.
Idem suscepit opus Ignatius, quod sapientia in-
carnata, orbis salutem, nemine excluso: illud in-
choavit vigesimo quinto Martii, quo suum pariter
carnata Sapientia, & triginta quatuor annis perse-
cutus est, quot suum Sapientia: in eundem finem,
majorem Dei gloriam. *Homo animum gerens*
mundo majorem ut ait Gregor. decimus quintus in
onst. ad relat. *juvandis hominibus* verè *natus,*
ait Nicol. Zambec. decem viris latiùs propagavit
etatem, *quam vel audax Romanorum fortitudo*
agrare potuerit, victoriis, vel curiosa Græcorum
sapientia illustrare literis. Ita Greg. decim.
quintus supra.



IGNATIUS

Quòd ſit Heros.

Iudicio virorum illuſtrium.

MAgiſter Joannes Avila, cujus vitam ſcripſit Ludovicus Granatenſis Ignatium vocabat *Heroem & gigantem*, ſeque cum eo collatum pumilionem eſſe dicebat, præſertim, cum quæ ipſe magno molimine movebat, id facile vidit ab Ignatio perfectum, inſtitutam ſocietatem. Idem Ludovic. Granatenſis miratur *Heroicas* & admirabiles virtutes Ignatii, novi ſpeculi virtutum & prudentiæ dubitatque an fortior agendo fuerit, quàm patiendo.

In Provinciali Concilio Tarracone congregato Anno 1612. præſules Ignatium cenſuerunt *eſſe divinum Herculem edomandis monſtris inferni: eſſe ſubmiſſum cælitùs Atlantem fulciendo Regno Dei, quod eſt Eccleſia doctrina & pietate, veluti geminis humeris inſtructum: eſſe prodigioſum in Apocalypſi Angelum.* Ibidem eſſe *eum partum ultimum ſpiritumque ſalutis, quem ſeculis hiſce ultimis & deſperatis in ſui defenſionem ediderit Eccleſia.*

Joannes Vega præſes Caſtellæ ac ſubinde Prorex Siciliæ militari ſua Eloquentia deſcribit Ignatium *ducem ad Lutheri aciem profligandam natum, cujus ſigna in cœlo ſunt conſtituta*, eumque ſolebat gigantem appellare.

Franciſc. Maria ſup. dixit Ignatium electum ut *eorum dux foret qui portarent ejus ſanctiſſimum nomen coram gentibus*, & illud Iſaiæ accommodatur

ecce

...te testem populis dedi eum ducem & praeceptorem ...ntibus.

Prope Bassanum Christus viro pio apparuit, di...que Ignatium esse sibi *vas electionis ad multorum ...lutem, Apostolico spiritu plenum* Paulus III. *vo... spiritu sancto afflatum,*

Andreas Lucas in vita Ignatii.

Nicolaus Zanbeccar secret. sacr. congregat. in oratione coram Gregorio 15. Ignatium ait *vere natum in quo ostendit Deus, quantũ ei curæ sit Ecclesiæ securitas.* Franciscus de Borgia etiam tum dux Candiæ occupatissimus, inde ab ultima Hispania venit usque Romam, itineribus maximis, incommoda anni tempestate, unius Ignatii videndi causâ; cumque primis sacris operaretur, fecit autem id in domo Lojolæa, ...m ejus cubiculi deosculatus, in quo Beatus Pa... ternatus fuerat. Jacobus Equia qui Ignatio fue... ...dua conscientiæ secretis, de eo dicere solebat: *...c si vivat, futurus aliquando columna ingens Ec...siæ sanctæ, successor Apostoli Pauli, sincerum vas electionis ad conversionem orbis.* Idem dicebat, Ignatium esse magis quam sanctum, & ne pœnis quidem ab Ignatio coërcitus, à celebrandis ejus in immen...m laudibus abstinuit, à Gregor. XV. respos. ad re... ...dicitur Ignatius *animum gerens mundo majorem,* Marcellus II. duos voluit submitti sibi Theologos ...ocietate, quibus juvaretur dicebatque *Age, Igna... tu milites collige, & bellatores instrue, nos utemur.* Dicebatque societatem esse legionem non militari ...rum cingulo; sed nomine summi ducis donatam, ...r in solem & pulverem educta, solo majoris ...gloriæ stipendio militat, quæ nomen non ha...t pacis; sed militantis sagi, omniaque à castris ...etur. Quindecim annorum, quibus Societ. rexit ...nat. spatio, socios & milites suos per universum

orbem terrarum circiter mille distribuit in cen- fere domiciliis, Indiamque Orientalem & Occiden- talem juvit, fidei Christianæ mysteria ferme om- quasi in speculo vidit.

Adhuc Grammaticæ ignarus, de sancta Trinita- librum scripsit octoginta fere foliorum. Item li- brum exercitiorum spiritualium, qui primos soci- tatis socios peperit, viris illustribus cœnobia impl- vit, S. Carolum Borromeum pietati dedit.

Glor. S. Ignat. cap. 3. Dotes gloriosorum corporum habuit, dote Clarita- tis donatus est, & visus est eximio fulgore conspicu- ab Isabella Rosella, ab Alexandro Petronio, ab O- vario Manaræo, à Philippo Nerio.

Dotem impassibilitatis demonstrat illa septem di- rum aliquoties iterata sine ullo prorsus cibo & po- inedia, cum vehementissimo raptu.

Subtilitatis dotem accepit, quando uno eodemq- tempore in aspectabili corpore duobus in locis, plus quam nongentis millibus passuum inter se distanti- bus, oculis ipsis visus est Romæ & Coloniæ adhuc vi- vens.

Agilitatis dotem præ se fert, quòd frequenter à terra sublimis visus est inter precandum.

Doctor Jacob. Paina Lusitanus, qui pro doctore Theologo Regis sui Concilio Tridentino interfuit vocat Ignatium exemplum sanctitatis mortalibu- singulari beneficio datum *ducem*que eximium.

Marcellus secundus Pontifex Max. dicebat in ne- gotiis societatis, auctoritatem solius Ignatii apud se graviorem esse, quàm omnes rationes quæ ex ad- verso pugnarent.

Andreas Frusius, quem ipse Ignatius, aliique non ob innocentiam vitæ, singularemque sapientiam, Angelo simillimum judicabant, solebat dicere *cœle- stem*

..m Dei gratiam in Ignatio quasi ingenitam eique naturalem videri.

P. Ludovicus Conzalez Regis Lusitaniæ à confessi..ius, vir summi judicii & prudentiæ, dicere sole.. *conversari cum Ignatio non esse aliud, quam vi.. .. librum Thomæ à Rempis quem alii Gersonem ap.. ..ant, factis ac moribus expressum.*

Dixit Ignatius P. Joa Polanco, quo ad Epistolas ..ebatur, se nullum vitium timere minus vanâ glo..iâ, & addidit *certo scias Polancesme, ex mille partibus Dei donorum mihi divinitus concessorum, ne unum ..dem narrare, ob incapacitatem eorum qui me audi..possent:* & tamen compertum est S. Ignatium ha..buisse socios præclaro ingenio & sanctitate præditos, ..i non erant Idonei ad intelligenda Dei dona S. ..gnatio infusa, necessariò sequitur, ea communem ..nctorum statum & ordinem longissimè superasse, ..eque .. Heroëm extitisse & meritò appellari.

Joannes Vega præses Castellæ, literis, quas post ..ortem Ignatii ad societatem dedit, eum appellat ..ctum *ducem* dignumque, cujus signum in cœlo ..atur cum vexillis. &c.

Paulus III, pont, Max. qui primus societatem con..mavit, de Ignatii consilio multa magni momenti ..tevit. Inter cætera sacrum inquisitorum Colle..um Romæ constituit, in illudque quatuor ex ordi..e patrum Purpuratorum cooptavit, auctoritate pru..ntiaque præcellentes, qui in illo tribunali judiciis ..æstionum fidei præsiderent.

Idem Julius III. P. Petr. Canisium Viennensem E..opum creare, vel Ferdinando Rege Romanorum ..pius & enixè flagitante, noluit quia minime ..aretur Ignatio.

Paulus quartus, cujus in Pontificatu Ignatius de..cessit è vivis, tantum ei honoris tribuit, ut cum ad

pedes suos demissum inter loquendum, excitaret, caputque contegere vellet.

Gregor. XIII. in variis diplomatis ad stabiliendum & defendendum institutum Societ. scriptis ait, spiritum sanctum injecisse mentem Ignatio ad constituendam Societatem, eique formam instituti tradidisse: adjungit universam Rempubl. Christianam refici & recreari per filios ipsius Societ.

Joannes III. Lusitaniæ Rex, pro sua pietate qua erat in Ignatium Ludovicus Consali de Camera Romam proficiscenti præcepit, ut diligenter intueretur & attente consideraret mores & actiones Ignatii, & ad se singula quæque perscriberet. Ille mandata Principis diligenter curavit scripsitque nulla se vel lectione divinarum rerum, vel oratione ad amorem Dei tantum accendi, quantum intuendo & spectando diligenter Ignatio.

Genebrardus Gallus Ignatium contra Lutherum missum affirmat: quod & confirmavit Apostolicum diploma.

Habebat Ignatius maximam de sanctis qui floruerunt in Ecclesia opinionem, eorumque cultum contra hæreticos promovit, dicebat tamen *se cum nullo sanctorum commutaturum dona divina à se ullis mer tis aut jam hausta, aut quæ haurire è fonte cœlesti posse sperabat, si illi, quorum vitæ leguntur iis: quæ vulgata sunt, non habuissent majora.*

Julius tertius pontifex Maximus in bulla edita anno 1550. duodecimo Kalendas Augusti, testatum reliquit de Ignatio adhuc vivente. *Nihil quod pium sanctumque non sit, in Exemplari Ignatii vitæ & moribus reperiri.*

Ignatius sæpe baculo per contemptum abigebat dæmones, qui fassi sunt *se majorem inimicum Ignatio non*

in habere, ideoque eum sæpe plagis ut S. Antonium & S. Cathar. Senens. ceciderunt.

In rebus divinis se magis habebat passivè quàm activè, qui est perfectissimus contemplationis gradus: sæpe à sensibus abstractus est, semel per octo dies in perpetua extasi sine cibo, mortuo similis permansit, cum dono lacrymarum, quas ut temperaret à Deo obtinuit: Somno quatuor circiter horas tribuebat, cubiculo semper usus est perangusto, humili & simpliciter laborato, longo 29. lato 14. alto 10. palmis. Conversionis initio totam hebdomadam, excepto die dominico, jejunabat, contentus aqua & pane emendicato: singulis diebus ter se se flagellis ferreis cædebat, quibus cilicium asperrimum & cingulum ferreum addebat.

Relatio ejus canonisationis non rethorice, sed ex gravissima Cardinalium judiciali sententia post præmissam longam inquisitionem, post sexcenta & septuaginta quinque testium juratorum testimonia ità habet: Dixit aliquando de se, *si optio daretur, velle potius vivere cum incertitudine beatitudinis, & interim servire Deo, quam cum certitudine tunc obire: & judicare sibi magis durum & pœnale futurum; audire blasphemias in Domini nomen, quàm pœnas inferni pati, si unquam ad inferos detruderetur à Deo.*

Cum esset natura calidus & biliosus, virtute tamen perfecit, ut frigidus ipsis medicis & phlegmaticus videretur Glor. S. Ig.

Miracula etsi non sunt merita; sunt tamen signa meritorum: processus Canonisationis numerat supra ducenta miracula ab Ignatio etiam vivente & spirante edita; quæ post mortem evenere, omnem excedunt numerum.

Xaverius dum Ignatium coram domesticis nominabat adhuc viventem, vel sanctum, vel beatum

ſemper appellabat: dum literas ad eum ſcriberet, genibus flexis præ reverentia id faciebat; in reliquiaria theca nomen Ignatii adhuc viventis tanquam reliquiam ſancti alicujus magni, ex ejus ad ſe Epiſtola exciſum ferebat, tanquam clypeum adverſus omne periculorum genus.

SOCIETAS

Utrum Heroicum opus.

Vide primi Imag. ſaculi lib. 5. Finis hujus Poëmatis non urbs condenda aut respublica ſed ſocietas Jeſu, cui plures accommodarunt verba Regii Prophetæ *Glorioſa dicta ſunt de te civitas Dei*, & illud, *ipſe fundavit eam altiſſimus.*

Marcellus 2. Pontifex Maximus, *aliquando in conventu plurimorum hominum de ſocietate loquens dixit, ſe non legiſſe (etſi in Hiſtoriis eſſet verſatiſſimus) ulli homini poſt Apoſtolorum tempora conceſſum fuiſſe à Domino, quod Patri Ignatio, ut dum viveret tantum operis, cujus fuiſſet ipſe inſtrumentum, incrementum videret.* Dicebatque in negotiis ſocietatis, auctoritatem ſolius Ignatii apud ſe graviorem eſſe, omni ratione.

Vocatur ab aliis cœlum, quod unus Athlas poſſet ſuſtinere Ignatius.

Dicebat Ferdinandus II. Imperator. *Ferdinando tangi & oculos & pupillam, cum ſocietas tangeretur: non poſſe ullum ſocietatis hoſtem cenſeri, qui Ferdinando non eſſet: qui Ferdinando bene vellet, eum bene velle ſocietati.* *Imag. pars ſæculi.*

Multi dixerunt minimam ſocietatem, *maximum miraculum*, de qua Paulus III. hanc vocem expreſſit

Digitus

Digitus Dei hic est: & alius, *admirabile opus excelsi.*
Hanc societatem summi Pontifices dixerunt alii *spiritu Dei conceptam:* alii *brachium Ecclesiæ dexterum,* alii *legionem in Ecclesia sanctissimam:* alii *sacræ militiæ societatem:* unus Ignatius *minimam appellavit.*

A Paulus tertius. B Clemens 8. C Gregorius 15.

Hujus societatis alumnus fuit Xaverius, qui viginti quinque mortuos ad vitam revocavit, cogitationes cordium introspexit, una responsione diversis Ethnicorum interrogationibus satisfecit. Diversarum gentium linguis quas ante non didicerat, expeditè locutus est, & dum una loqueretur linguâ, variarum linguarum auditores caperent quid diceret. Aquam maris dulcem reddidit. Plures lampades sine oleo constat ante ejus imaginem sola aqua superfusâ arsisse ac si oleum continerent; nonnunquam extinctas, per se sine ulla ope humana ignem concepisse.

Sancta Theresia societatis Jesu se filiam agnovit, ejusque opera & in confessionibus sacris, & in rerum spiritualium magisterio usa est, in ejus vita, quam ipsa scripsit hæc loquitur cap. 25. pag. 236. *Cum venissent huc patres societ. Iesu, quibus ego non cognoscendo ullum illorum eram multum addicta, tantum quia sciebam modum ipsorum ita vivendi sicut orandi, sed non me, inveniebam dignam loquendi cum illis, nec fortem ad obediendum illis.* Infra in eodem cap pag 236. isto ait *fuit propter majus bonum, ut ego cognoscerem & tractarem cum gente adeo sancta qualis est societ. Iesu* pagina 244. *Affligebar, quod domestici me viderent tractantem cum personis adeo sanctis, uti erant illæ, ex societ. timens miseriam meam, & videbar esse magis obligata, ne essem adeo misera, & ut me privarem meis recreationibus otiosis.*

Infra pag. 246. in ipso fine capitis ita de se Theresia: *Laudatus sit Dominus quod dederit mihi gratiam*

obediendi meis confessariis, quamvis imperfecte, qui quasi semper fuerunt isti benedicti homines societ. Iesu, &c cepit postea anima sentire manifestam meliorationem.

Cap. 24. pag. 249. ita scribit de societ. habitabam prope illos, gaudebam valde, quod tractarem frequenter cum illis, quia tantum cognoscendo sanctitatem illorum conversationis, erat magnus profectus, quem anima mea sentiebat.

Cap. 33. pag. 2. 364. *consolabar multum quod scirem in illo loco esse domum societ. Iesu.*

Cap 3. pag: 421. sic ait de societ. S. Theresia. *De aliquibus religiosis unius certi ordinis, & de toto ordine simul, vidi magnas res, vidi illos in cœlo cum vexillis albis in manu aliquoties, & alias similes res magnæ admirationis: propter quod habeo dictum ordinem in magna veneratione, quia longo tempore conversata sum cum illis, & video illorum vitam conformem ei, quod Dominus de ipsis mihi monstravit.* Nomen societatis in suo manuscripto originali ipsa S. Theresia expressit hoc loco, teste Ribera in vita S. Theres.

Cap. 30. pag. 447. in fine ita loquitur S. Theresia: *Cum essem in quodam templo cujusdam Collegii societ Iesu, & communicarent fratres illius domus, vidi pretiosam vestem seu umbellam (Italice pallio) supra caput illorum: hoc vidi bis: sed quando aliæ personæ communicabant, hoc non videbam.*

Cap. 40 pag. 455. vitæ suæ sic loquitur S. Theresia de societate Jesu, ut adnotavit Ribera lib. 4. cap. 5. ejus vitæ *Manens quâdam vice in oratione cum magna recollectione, suavitate & quiete, videbar esse circumdata ab Angelis & valde vicina Deo, cœpi orare suam majestatem pro Ecclesia, fuit mihi indicatus magnus profectus, quem debebat facere quadam religio temporibus*

ribus ultimis, & fortitudo, cum qua debebat ſuſtentare eadem.

Eandem viſionem ſibi ſæpius oblatam affirmat. vidit in capite P. Balthaſaris Alverez ſæpius diadema magni ſplendoris, interrogata an expediret P. Balthaſare egere reſpondit, *talis eſt cui anima mea præ aliis omnibus plus debet hac in vita, & qui præ aliis adjuvit me & direxit in via ad perfectionem.*

Eadem S. Thereſia poſt mortem apparens famulæ Dei; probatæ virtutis, dixit *Et ego ſum filia ſocietatis Jeſu: habui in ea Confeſſarium, quem nunc in cœlo agnoſco & veneror.* habuit è ſocietate vel confeſſarios, vel qui ſpiritum & revelationes ipſamet poſcente examinarent, ſexdecim, quorum nomina exſtant in ſcriptoribus vitæ illius.

S. Philippus Nerius, qui virginitatem illibatam perpetuò ſervavit, ſuaviſſimum pudicitiæ odorem, fœtorem vero impudicorum ſentiebat, qui, dum faciebat, toto corpore à terra ſublatus orationem viſus eſt. Is tantus vir, ante inſtitutam à ſe congregationem Oratorii, ut in ſocietatem reciperetur petiit: quemadmodum eo mortuo Cardinales Cuſanus Bellarminus, quibus id ipſe teſtatus eſt, narrarunt. Inchoatam cum ſocietate, neceſſitudinem perpetuò coluit, & ea ad confeſſiones ſuas uſus eſt. B. Carolus Boromæus ſocietatis opera & exercitiis, quoad vixit, continuò uſus eſt, & Heroicum opus ſocietatem exiſtimabat.

❧§(○)§❧

IDEA

IDEA OPERIS.

FInis totius operis, ut dixi, non urbs aut respublica aliqua condenda, sed societas Jesu ad majorem Dei gloriam. Itaque *Gloria Divina* eo habitu & forma sæpius apparet Ignatio, qua olim non semel Moysi & Ezechieli: suadet peregrinationem Hierosolymitanam, ut Apostolicum ibi spiritum penitus hauriat. Hic eum Seraphinus in formam Christi pendentis compositus, ut olim Franciscum, amoris telo vulnera, pectus tantis rebus impar dilatat, & Apostolici spiritus amplitudinem & fortitudinem insinuat. Dum per Ægyptum redit, Moyses baculum ei suum & columnam lucis impertit, ut alios sub magno nomine Israëlitas ducat, & Venetiis Divina Sapientia, ut olim B. Laurentium Justinianum, desponsat annulo non aureo sed ferreo; suam ei rebus in omnibus operam pollicetur, uti hactenus non defuit. Idem aggreditur, quod Sapientia incarnata nempe salutem humani generis, nullo excluso aut homine aut loco: eundem in finem, ad majorem Dei gloriam; opus inchoat eodem, quo suum Sapientia incarnata die Annunciationis B. Mariæ Virg. & persequitur triginta quatuor annis à conversione ad mortem, quod suum produxit in terris Sapientia Incarnata, relictis post mortem Apostolis. Ubi in montem Martyrum venit, amore divino per Seraphinum in monte Calvariæ sauciatus & spiritu Apostolico correptus, Moysis baculo & columna lucis instructus, & sapientiæ divinæ annulo ornatus, opus aggreditur, & Divinam Gloriam toto se portendam orbe tradit

currum,

currumque ei suum regendum cōmittit, qui dextrâ Moysis virgam, sinistra annulum Sapientiæ gerit, præcedente columna lucis qua autem via currus. Gloriæ debeat incedere, ostendunt in mappa mundi quatuor genii tutelares, quatuor orbis partium, futurosque societatis fructus & labores aperiunt: post illud spectaculum in meditatione de duobus vexillis, informat animo societatem, statimque socios colligit.

ORDO LIBRORUM.

PRimo libro Gloria divina apparet S. Ignatio, eo habitu formaque quâ olim Ezechieli & Moysi, suadetque Hierosolymam se conferat hausturus Apostolicum spiritum. *Ezech.*

2. Venetiis exceptus à Marco Anth. nobili Veneto cogitur aperire vitæ initia.

3. Pergit narrare Ignatius vitæ seriem, videtque desponsari mare à Venetiis annulo aureo die Ascens.

4. In itinere versus Cyprum alienam castitatem servat. Nautæ finguntur ad insulam voluptatis divertisse; unde eos reducit Ignatius, fictione longa.

5. Ingreditur Palæstinam & postmodum Hierosolymam & loca sancta veneratur, quæ hic describuntur.

6. Calvariæ montem lustrat die Exaltationis S. Crucis, & spiritum Apostolicum accipit, sauciatus à Seraphino ut D. Franciscus. Dum redit, in Ægyptum defertur, ubi Moyses baculum ei suum commodat, & columnam lucis ad aliorum ductum Israelitarum sub magno nomine Jehova id est Jesu.

7. Post

7. Post lustratum Calvariæ montem & alia loca sancta ardet desiderio pœnitentiæ, unde hic explicatur pœnitentia Ignatii, quam in itinere & ex occasione, quam tota vita exercuit variis fictionibus Poëticis.

8. Redit & naviculæ se committit, quæ pereuntibus aliis duabus sola incolumis evadit, hic prælia navalia.

9. Revolvitur in occidentem Venetias, ubi Sapientia Divina ei sicut B. Laurentiano apparet, eum desponsat annulo non aureo sed ferreo, semperque ei adfuturam, præsertim inscribendi constitutionibus pollicetur, monetque tendat Parisios, ubi tot juvenum seminarium est.

10. Obit stationes Romæ, ubi D. Petrus ei apparet, & faventes societati futuræ Pontifices ostendit.

11. In itinere, dum contendit Parisios, male ab Hispanis, benè excipitur à Gallis, quibus vir poeticæ deditus, quod reliquum fuerat de vitæ mutatione Ignatii, narrat, non sine gaudio Gallorum, qui tam feliciter feriant & ictu armorum suorum non Martyrem effecerunt sed sanctum Confessorem, hic bella, & obsidio Pampelonensis.

Ultimo Parisios venit ad Montem Martyrum, ubi in æde B. Virginis baculum peregrinationis comitem consecrat. Ibi *Gloria Divina* se ei toto orbe ferendam tradit; quâ autem via currus Gloriæ Divinæ incedere debeat, ostendunt quatuor genii, orbis tutelares, in mappa mundi, & totam seriem societ. enarrant: mox Ignatius in meditatione de duobus vexillis societatem animo informat; & Spiritu Apostolico Hierosolymis: virga Moysis & co[illegible] in Ægypto, sapientiæ annulo Venetiis instructus opus aggreditur & post meditationem illam de duobus vexillis, socios colligit. ORDO

ORDO POEMATIS
& temporis.


DIſcedit Barcinone poſt Paſchæ tempus. Venetiis die Aſcenſionis videt deſpoſari mare; Hieroſolymis die exaltationis S. Crucis, montem Calvariæ aſcendit, reliquis redit menſibus, luſtrat Romam, & Pariſios: inſtituit ſocietatem quod uno anno abſolvi potuit. Ordo naturalis librorum poſtularet ut ſecundus & tertius eſſent primi; ſic in Virgilio ordine naturali ſecundus liber eſt primus, tertius ſecundus, primus tertius: excurrit tempeſtate jactatus Ignatius in Ægyptum, ſicut Æneas in Africam ventorum impetu. Navigatio illa Æneæ neque navigatio Ignatii impediunt unitatem actionis, ut oſtendimus.

ARGUMENTUM
IGNATIADOS
Nudum ſine Epiſodiis.

GLoria Divina ea formâ, qua apparuit olim Moyſi & Ezechieli, Ignatium alloquitur, mittitque in Palæſtinam, ut animum ibi Apoſtolicum primitiasque Spiritus Divini hauriat, eoque correptus ſocietatem inſtituat ad majorem Dei gloriam,

Adduntur autem nudo argumento varia Epiſodia, gloriæ divinæ, inanis gloriæ, inſulæ voluptatis, certa-

certaminum navalium & terrestrium, domus hæreseos, vaticiniorum, & infinita alia, quæ inter se ita connectuntur ut unam efficiant fabulam, sicut unum est argumentum.



ARGUMENTUM.

LIBRI PRIMI.

Ignatiados.


Ezech. 34. Exod. 24.

COmmoranti in Maresana solitudine Ignatio apparet *Divina gloria* ea formâ habituque, quo se Moysi olim & Ezechieli exhibuit; suadet Hierosolymitanam peregrinationem, ut animum inde Apostolicum, & primitias Divini spiritus hauriat, ad fundandam non urbem aut regnum aut Rempublicam sed societatem Jesu, quæ Christi & Apostolorum vestigiis insistat: paret ille hostium armis nihil commotus, neque tam se itineri, quam Divinæ providentiæ committit. Rhodus eo animo à Solymanno per centum millia militum & amplius, multis mensibus, obsessa, à suscepto consilio non deterruit: quæ itinerum difficultas non potuit nisi ab Heroe nostro, superari; qui post vota, &, sua & comitum, atque adeo ipsius Poëtæ, Barcinonem proficiscitur.

Ad Majorem DEI Gloriam.

IGNA-

IGNATIUS
SIVE
SOCIETATIS JESU FUNDATA.
Liber Primus.

ELLA canant alii; nos clarum Marte relicto
Dicimus Heroëm, patriæ qui laudis inanes *Propositio.*
Pertæsus titulos, ensemque & nescia vinci
Arma diu, Magnæ Matris defigit ad aras,
Suspenditque tholo quidquid de milite restat.
Exuit ut belli studium, gladioque recincto
Sanguineâ posuit diros cum veste furores
Finibus è patriis haud quaquam inglorius exul,
Ductus Idumæum pelago, Solymæaque lustrat
Limina, quæ pedibus quondam Deus hospes abivit,
Inde novas hausturus in altera prælia vires.
Hinc Divûm auspiciis & nomine tutus JESU,
Undique lectorum Comitum socia agmina cogit,
Tendere certus iter, quò se *Divina* ferendam
Gratia cumque dabit pulchrosque vocabit in ausus,

Invocatio. At quanquam positis armis jam mitia tractet
Mutatus studia, & mansuetas excolat artes;
Non vos, Calliope, tamen, aut Parnassia poscam
Concilia; Uranie, dabis hunc mihi sola laborem,
Conscia narrandorum operum; tu, Diva, legendi
Sydereos tractus aderas, dum culmine tecti
Arduus, & sordes terræ, & mortalia regna
Despiceret, lacrymisque madens tabesceret inter
Ætheris aspectus, animoque insisteret astris;
Omnia sit tecum partiri arcana solebat.
Tuque adeò Christi vestigia nota secutus,
Per tua duc vatem, Ignati, ne longa locorum
In spatia, ambagesque viæ diversus aberrem.
Narratio. Urbs angusta fuit, raris habitata colonis,
Manresa, Hesperiæ ad fines, Balearica contra
Litora, frugis inops, tenuique ingloria rivo:
Sedibus his claram secum novus advena lucem
Attulit, informi dum prodit opertus amictu,
Mendicosve greges inter pannosus oberrat.
At non illa, licet studio quæsita latendi,
Furta satis texere virum, quòd multus in ore
Bellatoris honos, nondum squallore, situque
Marcidus, argueret generosæ stirpis alumnum,
Monstraretque vigor natam ad sublimia mentem.
Sic neque purpureo quidquam cinis officit igni;
Et sua Chrysolithis natales inter arenas
Forma micat; nil auricomum vaga nubila solis
Infuscant subtexta jubar; seque ipse potenti
Vindicat indicio radiorum, & dividit umbras.
Hic ille interea precibus pulsabat Olympum,
Saxaque, litoraque, & lymphas resonare docebat,
Luctifica quem voce Deum, gemituque vocabat.
Currebant lacrymæ, nec sanguis parcior ibat,
Impactis quoties tundebat terga flagellis,
Quæsitor scelerum in se se, pœnæque minister.

Quin etiam verbis testes solennibus, octo
Continuos illum perhibebant ordine soles
Impastum, totidemque dies jacuisse rigentem,
Immotumque, quies dum sensus intima vinctos
Strinxerat, inque alios animam traduxerat usus.
Jamque parabantur feralia justa sepulchri,
Ni consulta manus tremulo sub corde fugacis
Relliquias animæ, & cæcum deprehenderet ignem
Numinis ætherei, servataque semina vitæ.
Hæc inter, de cœlo oculis mirabile monstrum
Adfuit, ardentique incanduit orbita tractu.
Qualis ad Euphratem visa est ventura canenti
Buziadæ: *Divina* superstat *Gloria* curru,
Quadrifidâ cui fronte citi subiere jugales:
Hi volitant pennas aquilarum, & terga leonum
Exuviasque truces induti, & fronte corusca
Æmula sanguineis volvunt incendia tædis
Mortales alii vultus, humanaque flammis
Ora volubilibus referunt, senasque per alas
Suspensi exiliunt, & cursibus aëra signant.
Sunt quibus & fissas secat ungula cornea plantas,
Quique boves formâ referunt, & torva recurvi
Obliquant capita, aversâ se fronte ferentes
Quin etiam monstri coeunt quadricorporis ora,
Vultusque absimiles: nec simplex corpus in uno
Corpore, sed variis coalescit forma figuris,
Quæ simul & loquitur, rugitque, canitque boatque,
Et gaudet modo discretos ostendere vultus,
Corpore nunc uno quatuor conjungere formas,
Et miscere Aquilam, Vitulumque, Hominemque Leonemque,
Horribilemque oculis, membrisque sub omnibus ignẽ.
Illis una quies, sine fine & lege vagari
In dextram & lævam, circumque infraque supraque

Visio gloriæ divinæ
Ezech. I.
Exod. 24.

Liberiùs; nisi mobilibus cùm forte jugantur
Axibus, implexis pulchre per mutua pennis:
Munere tùnc alacres, & jussa ad sacra superbi
Vectorem sensere suum, lætoque laborant
Exultantque onere, & Zephyros prævertere tentant.
Pellucet vitrei glacies Chrystallina ponti,
Illimi retegens fundo, quæcumque recurrens
Sol videt orbe pererrato, sursumque deorsumque,
Et procul & propiùs, tempusque orbemque quod ultra est.
Septem insopito collucent lumine mentes
Inconniventes oculis, quas pervigil intùs
Spiritus usque premit: reliquorum millia melle
Aligerûm, pennis vultus atque ora tegentûm
Caligant, tenuique procul se luce recondunt,
Ne scintilla levis furtivo intermicat igne,
Quem refugi nequeunt oculi durare tuendo.
Antevolans gerit argento resonante loquacem
Fama tubam, & pacem felix prænunciat augur.
Virtutum sequitur chorus, & secura Voluptas,
Nec turbanda Quies, quarum uno fœdere dextras
Inque vicem, roseis nectit Concordia sertis.
Parte aliâ fugiunt scissâ Discordia veste,
Extinctos lacrymans tædis fumantibus ignes;
Lædentis læsique Odium, & jura omnia rumpens
Invidia, & scelerum inventrix, nutrixque Cupido,
Ostrumque imperiumque sonans Illustris Egestas.
Felix Lojolides, cui quantum accedere fas est
Mente Deum, pigræque sinunt tardantia molis
Pondera, tolli animo, primâque in origine veri
Nosse datum alto res cœlo & caligine mersas!
O dulcis labor, & non intermissa voluptas,
Unde polum suspirat, & omnibus ingemit astris,
Sæpe oculis, semperque animo super astra moratus!
Ille stupens (nec enim visu fas tendere contra)
Declinat,

clinat, frontemque cadens depressit arenæ.
Non tulit hanc faciem pronâ cervice jacentis
Diva, sed arrectos mandans attollere vultus,
siluit curru, & pennis librata decoris
tonitum subvexit homo, se seque videndam
misit; prius ipsa tamen mortale tuenti
cipuit nubem, ac rapidæ patientia flammæ
Ora dedit, jussitque avidos advertere sensus.
Olli compositus, summo sol axe videtur
Decolor, & furvâ pallet ferrugine tinctus,
Usque adeo micuere rogi, lapsuque rotarum
Fulmineæ absiluere faces, furtivaque flamma.
Protinus Aligeri subtexunt æthera limbo,
Compressisque jubent arrecta silentia pennis:
Cuncta tacent, non *Fama* tubâ, aut pæane *Triumphus* *Oratio gloriæ Divinæ ad Ignatium.*
Obstrepit, aut leviter motâ *Victoria* lauru.
Illa autem: *Divina*, inquit, sum *Gloria*, proles
Numinis, æternæ genitrix & filia lucis,
Quâ rutilant æterni ignes, mentesque beatæ:
Solem ego missilibus radiis splendoris inauro,
Et stellarum inter cunas, & musica cœli
Carmina, magnarumque micantia fulmina laudum
Consideo judex operum, invictique laboris
Dulce lucrum, exactæ merces pulcherrima vitæ,
Almaque virtutis nutrix, & mater honesti.
Illa ego sum, cujus te oculis subducere frustra
Niteris, Ignati; nec enim me fallis egentem
Abditus hospitio, aut deserti fornice saxi:
Hactenus obsequia, & fructus ignobilis otî
Ascribit meritis Numen, cœloque reponit;
Nunc majora manent: posuisti hac miles arenâ
Prima rudimenta; immensum jam panditur æquor,
Alteraque invitant pugnanda ex ordine bella.
Non ideo Dux æthereus te Martis ab armis
Vulnere felici meliora ad signa vocavit,

Ut ſcopulo hæreres affixus, & incola rupis:
Nec fruſtra ardenti poſitum tibi nomen ab igni.
Nonne vides ſilicum tritis abſiſtere venis
Incluſos flammarum ignes, & ſomite rapta
Semina, per denſas incendia ſpargere ſylvas,
Sicubi agros purgare, vel urere tecta ferarum
Eſt opus, aut vario nocturni luminis uſu,
Certum iter oppreſſis ſpiſsâ caligine nautis
Illuſtrare pharo, ductuque præire fideli,
Aut ſuperûm in cultus tenebras evincere lychnis?
Haud aliter te rupe procul divina vocat res
In lucem, tædamque offert meliore micantem
Lumine, ne gens ulla tuo ſe ſubtrahat igni.
Sin tantorum operum dubitas incumbere cœptis,
Nec tantas ſpondet virtus ſibi conſcia vires;
Perge, age, conſiliis aures adverte, docebo
Suadet profectionem Hieroſolymitanam. Unde vel exiguæ, circum præcordia, flammæ
Nutrimenta pares, magnos quæ creſcat in æſtus.
Fama Palæſtinæ non rarò venit ad aures,
Hanc pete, ut unde Cohors olim Duodena per orbem
Æthereos ſparſura ignes, genitabilis auræ
Afflatu caluit, tu flammæ innata potentis
Semina, primitiaſque bibas, quibus ebrius, igne
Totus inardeſcas, latéque incendia jactes
In populos, qua ſol oritur, pergitque, caditque;
Hæc adeò noſtrâ juvit te voce moneri:
Tu facito; nec plura: caput mirantis amicâ
Permulſit dextrâ; unde ignes fuſsêre decori,
Nec viſi rutilare ſemel flagrantia circum
Tempora, terrigenum mixtus cum cœtibus iret,
Præque aliis quondam hos radios, hæc lumina, Neri,
Virgineis vidiſti oculis, mirabilis ipſe.
Quid, Plato, divinos fictâ petis urbe miniſtros
Doctoremque Jovem? nullo Sapientia fuco
Hîc Divina præeſt; non ſanguine ſcripta Draconis
Jura

Jura docet, non dura gravi; decreta Lycurgi
Jussive Numæ, aut rigidi præcepta Catonis;
Plus aliquid, quam quod doctis spectatur Athenis
Hic, Lojola, vides; plus quàm vetus accola Nili
Noverit, aut Babylon, aut porticus ulta Cleanthis.
Tum *Divina* sinus auro collecta fluentes
Gloria se tollit cœlo; gratatus eunti
Astrorum assurgit chorus, & quo tramite pergit,
Depressis facibus, flexa & cervice salutat,
Acceptosque refert uni, quos possidet, ignes.
Nulla mora est, nec erit per me, Lojola reponit,
Ecce, Diva, sequor: non est mihi gratior ora,
Quam quæ pressa Dei pedibus, quæque æmula cœli
Præ reliquis tanto tellus se jactat alumno.
Este procul rupes; juvat ire, & frangere dextrâ
Obstantes scopulos, & mille lacessere mortes
Per quidquid populorum, & quidquid ubique locorum est,
Sic ait, & prævertit iter, votisque pererrat
Jam Solymas, quò tarda nimis vestigia tendunt. *Zelus Ignatii.*
Verte omnes te te in facies, teque omnia finge
Omnibus, Ignati! centum unicus indue formas,
Vertumnusque omnes mutabilis accipe vultus.
Haud secus ac manna in gustus se temperat omnes,
Fitque cibus, quem quisque cupit, mutante sapores
Arbitrio, modo Junonis, modo Phasidos ales,
Et genus omne dapum, sua fert ut cuique libido.
Faucibus exertis Barathri laxata vorago
Ostia sex pandit, prono per lubrica lapsu
Volvuntur densatæ animæ, & glomerantur Averno:
Huc Reges cum plebe ruunt, atque agmina ducunt
Exemplo proceres; vix sufficit omnibus Orcus,
Angustæque parent Erebi tot in agmina fauces,
Quis sistat populorum undas in damna ruentum?
Ah quoties secum hæc volvens Ignatius infit!

Meme, ad ſum; Divina meo ſi Gloria caſu
Stare poteſt, totque, unius prævertere lethum,
Fata queat, ſcelerique ruenti opponere vallum
Hanc animam corpusque libens prætendo ruiris.
Jamque adeo, Robricate, vale; Jordani de lympha
Mutandas mihi volvis aquas; qua curris in æquor
Declivis gravitate, & eodem tramite pergo.

Rhodus eo anno obſeſſa.

Dixerat, & Fluvius cornuta paluſtribus herbis
Tempora velatus, ſolitò majoribus undis
Volvitur, & lacrymans abeunti aſſurgit alumno:
Carpit uterque viam, latè cum fama reportat
Didita per populos, Rhodon obſidione teneri,
Intercludi aditus omnes, quacumque viator,
Tendere iter Solymas, Aſiæque ſolebat in urbes.
Vortice ſuſpenſo Robricati hoc audiit unda,
Et ſtetit attonitæ ſimilis; mox objice rupto
Expatiatur agris, & plorans murmure rauco
Ingeminat Rhodon obſeſſam, Rhodon a mula paſſim
Litora reſponſant, & quæſtibus aggemit Echo.

Conſtantia Ignat,

Quo periturus abis in ferrum, aut vincula præceps,
Ignati? reflecte gradum: temeraria ſæpe
Res amor eſt, damnisque ſuis malecautus inhæret.
Mergit inauditas ad naufraga marmora voces
Lojolides, levibusve notis ludibria mittit:
Non ſi ſanguinea noſtrorum decolor undâ
Pontus eat, nulloque ferox non inferat hoſtis
Arma loco, vetet incœptos abſolvere curſus:
Tela aut vincla manent? telis eſt pectus apertum,
Atque manus vinclis, & utriſque vel obvius ibit.
Vos vocat huc, Reges, ſecum Lojola, ſuâque

Exhortatio Poetæ ad reges de recuperanda Palæſtina.

Fama tubâ, & facilem inclinat *Victoria* laurum.
Hîc ſinite audiri noſtrum inter claſſica carmen;
Cingite fronde comas, non quâ Peneja pubes
Vana triumphalis texebat ſerta coronæ:

Nec

Nec jam litoreâ velentur tempora myrtho,
Neu Dionyſiacis vireat frons læta corymbis,
Sed quibus ornatur palmarum dives Idume.
Has ego veſtra feram cingenda ad tempora lauros,
Et digitis aptabo meis; ego marmora ſculpam,
Victa quibus ferro Ægyptus, vobiſque feretur
Sub Juga Iordanes, vaſtataque Marte Damaſcus:
Pyramides ſuper aut Rhodii ſimulacra Coloſſi
Eductam doctus peregrinô in litore molem
Efferet in cœlum labor: hic ego compede ſolvam
Neptunum, Nilumque dabo per libera nobis
Oſtia devolvi ſeptem, totidemque faventes
Ingreſſus aperire, omnes & pandere portus.
Quales trans Indum, telis dum fulminat, aras
Ipſe ſibi poſuit Macedo, propriaſque dicavit,
Nominis & facti ventura in ſecula teſtes.
Adjiciam titulos, quos advena litore ab omni
Nauta legat, diſcendi avidus tu Maxime, ſurges
Gentis honos, Lodoice, ſuper rutilantia tela
Arduus; innumeræ ſtabunt ad litora naves;
Spumabit pelagus, rutilòque micabit in auro,
Candido in argento fugiet dum pallidus hoſtis:
Totum opus ardebit navalis imagine pugnæ,
Pyramidum ſaxis, Rhodioque perennius ære.
Hæc ego ſed tantum votis, & carmine poſſum,
Non utinam vano: memores vos laudis avitæ
Deductas aptate rates, Turcoque lavate
Sanguine pollutas impuris ignibus aras.
Andromedam Perſeus vinclis materna luentem
Crimina reſpexit miſerans, & compede ſolvit:
Æſonides, lectique duces celebrantur Achivis,
Quod domuere feras, inſopitumque Draconem,
Tauros æripedes, & grandia monſtra, novaſque
Militiæ gentes, Cadmæis dentibus ortas;
Vos pius ardor agit, cauſæ pars nulla, viæque

Fabula; non vanis mendacia ſplendida velis
Ficto curo per inane tument: movet ardua virtus
Æquora ſideribus metiri abſentia totis:
Nam neque quidquid opum flavis pretioſus arenis
Pactolus voluit, neque quod felicibus aurum
Eruitur Peruæ venis, impellit euntes;
Vos vocat auxilio, cunctantiaque increpat arma,
Non jam pulchra Sion, ſed triſtis imago Sionis,
Per ſacrum Chriſti, maduit quo ſæpe, cruorem.
Sternite velivolam fluitantibus urbibus æquor.
Creditis humanæ ſupra faſtigia ſortis
Surgere opus, quodque Atridas, & fulmina belli
Poſcat, & Æacidas, totidemque, quod Ilion, annos.
Non ita: ſed defeſſa jugo ſibi Thracia reddi
Optet pacis amans, & libertatis ademptæ.
Cornua contraxit Phebe; truncataque flexit
Cornua Jordanes, fracto jam debilis alvo
It fræni patiens, per ſaxa ignava trahit ſe
Languidus, & palmas vobis obtendit inermes,
Dives aquis, ætas quando ſtetit aurea quondam,
Jordanes, ſacræque tumens regnator Idumes.
Et, quæ longa ſedent Jordani ad Litora, Nymphæ
Leo de tribu Iuda: Turrigeram ingenti ſubmittunt agmine frontem.
Ipſa Tribus, Judæque leo, jam vulnere membra
Conciſus multo, pigris latet abditus antris:
Et quando obtritos conſurgere tentat in ungues,
Caſſus abit furor, & rugitus mittit inanes.
Nec vobis Nereus fugit addixiſſe tridentem,
Et dorſo ſocias famulo vectare triremes:
Quid timidi dubitatis? idem vos pectus, idemque
Robur agit, quo veſtri olim valuere parentes.
An vos degeneres ab avitæ ſanguine ſtirpis,
Gentilis fugitat mavors, & patria virtus?
Quò lateri ſuccincti enſes, & fortia palmis
Spicula? quò tantæ coeunt ad caſtra cohortes?
Hic

Hic pro ſemiruto certamina grandia muro
Miſcetis, vel pro modico pugnatis agello,
Dum repetenda vocant vos ſceptra, paternaque jura:
Heus ubi Relligio? tibi quondam movimus arma,
Sancta fides; &, quem dederat luciſque ſuique
Contemptorem animum vitamque, rependimus ultro.
O quis ſopitos ignes, tardantiaque arma
Suſcitet, & veterum ſuccendat imagine rerum!
O felix ætas, ſacra cum vexilla ſecutus
Natorum per colla pater calcata ruebat!
Non tamen hunc latuit vis Turcica, non furor hoſtis
Haud ferrum, haud carcer, ferroque & carcere tortor
Durior, hoc animo ſecum præceperat augur;
Perſtitit invictus tamen, & vincla omnia rupit
Haud alio vultu, quam quo poſt tædia longi
Carceris, implicitæ clamoſaque jurgia litis,
Aut reus aut judex aurâ ſpatiatur apertâ,
Atque ſibi vivit nullo ſub teſte, ſuique
Pendet ab arbitrio, curisque metuque ſolutus.
Quæ clades accepta recens qua Boſphorus arctat
Oſtia? Chriſtiadæ cedunt, panduntque recluſis
Caſtra feris ultrò: & pallentes monte propinquâ
Sponte ferunt in vincla manus, nec viribus uſi
Atque animis, quos ſancta fides in prælia firmat,
Vitam, quo facilis dederit ſors tramite, quærunt.
Hoſtili ſtant ſigna tholo pendentia, noſtris
Geſta humeris, facilique manu ſine ſanguine raptæ
Exuviæ; ſcuta oſtentant illæſa, nec ulli
Fatales haſtas, ſalviſque micantia bullis
Cingula ab ignavis detracta impunè lacertis.
O Solyme, quondam legum nutrixque parenſque,
Mortalique habitata Deo, nunc triſte cadaver
Urbis, & umbra tui tantum, nomenque cinisque!
O noſtris gens diſſidiis, ô Thracia, noſtrâ
Seditione potens; tibi non ignava, tuiſque

Olim calcato filio parens ibat ad bellum ſanctum.

Eo anno accepta clades ad Boſphorum.

Fide animis, tibi nostra facit discordia vires,
Et spes tam lætas intercipit! ô ubi virtus,
Priscorumque fides Regum, socialiaque arma,
Conjurata tuos bello perrumpere fines!
Viribus infelix propriis, Europa, tuo te
Dente voras, &, quo Tarsumque Rhodonque Cypronque
Debueras, illo violas tua viscera ferro,
Hostilisque tua feritas torpedine crescit.
Non mos ille lupo, non est furor ille leoni;
Insilit in specie dispar, variaque profectum
Stirpe genus, dentemque omni non corpore pascit,
Est modus atque furit certa cum lege furorem;
Tu propriis tecum certas contraria palmis
Ipsa tibi pugnax, manuumque domestica præda,
Teque tibi nemo est adeo crudelior hostis.
Enitens nil Turca nihil Titania proles
Centenis fidens animis, nihil excita nocte
Tenarioque lacu, furiarum maxima possit,
Si coeant uno concordes fœdere Reges.
Quando operas populi conjunctis viribus omnes
In commune ferunt, melioribus orsa capessunt
Plerumque auspiciis, meliori & fine coronant,
Tres ubi consensu, & curis communibus acta est:
Vis concordia. Dum plures defensat amor, tot brachia certant
Convigilantque oculi, tot terga, humerique gerendo
Succollant oneri, quot amicæ in fœdera gentes
Mutua jurarunt, certæ socialibus armis
Consulere in medium, & dubiis occurrere rebus:
Si memini, fuit & nullis Lacædæmona muris
Cernere securam, & tutas sine turribus urbes;
Murus erat communis amor, concordia turris.
Vespere dum sylvis prodit lupus, agmine facto
Sparsa globum late campis armenta sub unum
Conveniunt, armisque hosti pugnacibus obstant,
Hic

Hic contra rictu infrendet jejunus inani
Necquidquam; quamvis ſtimulet collecta vorandi
Ex longo rabies, pronâ cervice recedit
Flexiſque auriculis; redeunt ad paſcua læti
Nota greges, tanta eſt junctis fiducia rebus.
Huc ades humanæ cuſtos, Concordia, gentis;
Te ſine diſruptis elementa fidemque locumque
Fœderibus linquant pugnantia; te ſine tellus,
Atque aer, pontuſque uno cumulentur acervo:
At dum ſævit hyems, fumant in fontibus undæ,
Et calor unitus terræ penetralibus imis,
Congeminat vires, vicino major ab hoſte.
Da veniam Ignati, ſi te meminiſſe jubemus
Militiæ, nec nulla plagam eſt tetigiſſe voluptas
Dum coiit, telumque alto quod vulnere ſedit.
I felix, tua quò virtus animuſque vocat te,
Reſque Dei: quod te errantem mare cumque ſolumve
Excipiet, quæcumque tegent convexa polorum,
Devius haud cœlo vertes iter: omnibus oris
Una via eſt: non hinc diſtant, non longius illinc
Sidereæ, tua quo tendunt veſtigia, ſedes.
I, deſperatis Aſiæ ſpes addita regnis,
Nunc deſiderium Europæ, nunc maxima gentis
Cura tuæ; ſit fas collo pendere ſupremùm,
Amplexuque haurire animos, qui me quoque terris
Avellant patriis, rapiantque per æquora charo
Hærentem aſſiduè lateri, ſociumque laborum.
Non piget infirmum pedibus, ſuraque labantem
Debiliore ſequi, rapidæ qui glandis ab ictu
Saucius in melius mentemque gradumque reflectit
Potinus, Europæ nequaquam ignobilis exul.
Placabo cantu pelagus, ventoſque furentes,
Solaborque viam, & portum ſperare jubebo.
Sic olim (ut fama eſt) Vates teſtudine fretus
Threicia, valuit Neptuno dicere leges,

Et

Et fidibus zephyros ad vela accire ſecundos:
Carmine ventorum poſuit fragor, & freta faſtu
Turgida detumuere: notis auditus & undis
Vocali marmor citharâ placavit Arion.
Sint aliis alia; ad tecum ſuper omne colendus
Mons veniat; moriens animas ubi victima Numen
Luſtravit: videamque, ſacrum quæ gleba cruorem
Ebibit: ô quoties figam repetita, refigamque
Oſcula ſuppliciter triſtis, cultuque reorum
Incedens, ſpargam divino pulvere crines!

Auctoris alia poeſis.

Nos olim (veſtrâ pridem requievimus æde,
Pierides, ſacrâ dignati tempora fronde)
In Canados longè ſaltus, nulliſque priorum
Carminibus pulſos colles Parnaſſia dudum
Sacra tuli primus, primuſque ſequacibus ultro
Adjeci his ſenſum ſcopulis, & ſaltibus aures:
Quin etiam quæ cura gregi, qui cultus habendæ
Sit menti, docui interpres Salomone magiſtro,
Nunc mihi dicendus reſtat Lojola viator
Judeæ in fines, ubi me ſi ſpiritus & vox
Deficiat ſuprema, animam hanc effundere ſaltem
Hic mihi contingat, tenueſque viator arenas,
Divino quondam reſperſas ſanguine arenas,
Fringenti injiciat, quò molliùs oſſa quieſcant
Sacro tecta ſolo, palmiſque virentis Idumes.
Non ego prætulerim Mauſoli divitis urnas,
Aut tumulum, Cleopatra, tuum, molemque ſuperbam;
Chriſte, tuâ mihi dulce mori eſt, & vivere in umbrâ.
Sed quo Muſa, volas? aut cur prævertis euntem?
Non ego vana ſequor, nec quæ mentitur haruſpex,
Cum doctum cœli curſum, & commercia cernit
Fatidica aſtrorum, aut natalia ſidera ſervat;
Ipſe animos atque ora mihi, vocemque reſolvit,
Cui cœlum, & cœli paret certiſſimus ordo:

Hic

Hic vir hic es, Lojola, Deus quem præscius ævi
Venturum auxilio dixit mortalibus ægris: *Ignatii futuri sodales.*
Postera florentes cuneos mirabitur ætas
Principiis adeo exiguis, & tempore pauco
Succrevisse satam suá per dispendia gentem,
Nec potuisse odiis, Stygiive furore tyranni
Accidi, fecisse suis compendia damnis.
Sic qui danda Jovi furibundo porrigit ales
Fulmina, non mollem generat sine felle columbam;
At virtus patris hæredes animusque redundat
In natos: fortes ducunt à fortibus ortum,
Rarò degeneres ab avitæ semine stirpis:
Ut quando perrupit humum, gremiumque parentis
Surculus, exertat tenera de caule cacumen;
Si vigor accrescat virgæ, quæ recta valensque
Efferat enodi fastigia mollia trunco,
Arbor erit, vegeto quæ vivida robore stabit,
Et ausura graves, quibus ardet Jupiter, iras;
Sic sobolem, Ignati, repetentem exempla Parentis
Pulchra rudimenta, & paribus laus æmula factis
Provocat, & stimulis animos non segnibus urget:
Plebei nihil hîc animi, nil pectore pigro
Frigoris ignavi, patrios quod sopiat ignes,
Aut cunctante gelu, segníve sopore retardet:
Insita vis menti pulchros assurgit in ausus,
Exertura manum, veniet cum fortior ætas,
Fulmineam; gladiosque frequenti cæde repentes
Hæreseos metuent acies, jugulisque retundent,
Una licet sit lingua manus, vox unica ferrum.
Est leve rugosos annosa per atria vultus
Ordine spectari, præcinctaque tempora lauro,
Et genus & titulos, & res, & nomina duris
Inscribi statuis; non hæc simulacra vetustæ
Sunt laus prima domûs, doctæ quæ congruat arti.
Namque opere in tali partem quoque sculptor haberet;

Sed

Sed natis patriæ virtutis imago paranda est.
Quid segetem viridi tantùm speramus ab ævo,
Dum pugnæ vires habiles, & robur ab annis
Venerit? his votis, hac spe præsumere lentum est:
Et tener Alcides manibus puerilibus angues
Elisit, cœpitque puer Jove dignus haberi:
Mollibus excisas palmis præcerpere lauros
Cunarum labor est, primæque crepundia lucis.
Carmine præsago quid te, Lojola, moramur?
I, stratas decurre vias, strabs tuta, levabit
Vota pro felice Peregrinatione. Sarcina navigium, crescetque à pondere cursus:
Te proprium defendet onus, portuque benigno
Incolumen sistet: lætis Tritones in undis
Gaudebunt famuli dorso te ferre recurvo,
Et flatu juvisse notos à puppe faventes.
Mitiùs, ò dociles, spirate & fortius Euri:
Sit vigor & modus, atque habiles pro tempore flatus.
Nusquam undis tantum licuit, ventisque nocere,
Et tantum patrare nefas: non quando frequentes,
Cecropidæ, errastis tumido, gens integra, ponto,
Et tota in fragili fluitavit Græcia pinu;
Sit modus, & velis incumbite mitiùs, Euri.
Jacturam hanc Europa timet; sic Thesea portu
Solventem patrio, timidæ gemuistis Athenæ:
Quo quò navis eat, mundi pars magna labantis
Fluctuat incertùm; quocumque hæc æquore classis
Naufraga mergetur, damnum commune per omnes
Ibit, & æqualis populos fortuna sequetur.
Spes quanquam vitreo non sit nisi vitrea ponto,
Spem tamen unda facit; nec enim pretiosa petuntur
Vellera, nec tantis pelagi cœliquè procellis
Aurea vœnit ovis: pretio sudoris emuntur
Germanæ pietatis opes, atque aurea virtus.

...mobus; & velis incumbite mitiùs, Euri.
At si lenta ratis torpescat deside velo,
... vada cunctantes moneant stagnantia remi
Nequicquam noctes quà linea solibus æquat,
... nullæ cœli frangant incendia nubes,
Languescantque pigris tardi Tritones in undis;
... calor officiat sub sidere major iniquo,
... vigor, & velis incumbite fortiùs, Euri.
Torpentem Galathea, levi compelle carinam
Officiosa manu: cum cæruleo comitatu,
Candida Cymothoe, justo succede labori.
Vos quoque densatæ prætexite puppibus umbram
Alcinoes, sævosque alis defendite soles.
Et ut congenitos attolle, Ignatius, ignes,
Nomine quos signas, nigro dum turbida ponto
Surget hyems, & nox tenebris hyemisque suisque
Ingruet: Argolicas traxere in devia puppes
Litore in Euboico tædæ, quas Nauplius altis
Sustulerat speculis, tu fulges sidus amicum;
Teque tuæ nulla est melior cynosura carinæ.

ARGUMENTUM.
LIBRI SECUNDI.

Barcinone solvit Ignatius post salutatam Isabellam Rosellam & ejus conjugem cæcum consolatione re... atum, post mortuum ad lucem revocatum; & Vene... defertur in urbem amplissimam, propter grassantis ... metum omni vigilum custodia obseptam; vespere ... platea D. Marci, ad somnum utcumque se compone... tùm à Senatore divinitùs admonito, sub noctem in eo ... & loco inventus domum deducitur, lautiori hospitio ... cipiendus, in quo, rogatus de suis rebus, narrare exor... tur anteactæ suæ vitæ primordia & melius instituta oc... sionem, initæ deinceps Christo militandi ac merendi ... nsilia: utque, paterna domo dimissâ, montem Serra... um adierit.

R IGNA-

IGNATIADOS
Liber Secundus.

Barcino à Barcæo Amilcare dicta.

Qua solem videt Eoum Gothalania, surgit
Barcino, cui nomen fecit Barcæus Amilcar.
Pensilibus fuit hæc quondã spectabilis hortis
Hesperidum veteres renovans, & Adonidis ausus,
Et tumidæ insanos imitata Semiramis artes,
Quæ medio virides suspendit in aere lucos:
Nunc operis testes (nihil invidiosa vetustas
Non abolet) fractæ superant ex parte columnæ.
Hinc totum patet orbis iter, seu Punica dexter
Regna petas, Libyæque sinus, septenaque Nili
Ostia; Thyrtenos tendas seu lævus in æstus,
Joniumque salum, aut ponti freta sæva reducti,
Undique in hos se se via dividit obvia tractus.
Hìc ratis Ausonium cursum factura paratur;
Dispositi aptantur pontes, atque agmine denso
Pars onera accipiunt portantum, intusque recondunt
Pars remos & transtra novant, pars vulnera supplent,
Armamenta parant alii, Cereremque recoctam
Componunt, queis cura penus: opere omnia complent
In portu pelagi memores, timidique procellæ.
Hanc petis, Ignati, votisque haud segnibus ambit,
Et Zephyros ad vela vocas, mutabilis auræ
Nescius: ô superi, venturam avertite pestem,

Ante discessum salutat. B. Virginem.

Sed prius infidis quàm se committeret undis,
Templu

Templum adiit, terræ ut ſuplex, pelagique Potentem
Rite ſalutaret, curſusque rogaret amicos
Idæam in ſacram, & natalia Virginis arva.
Talibus oranti lux circumfuſa repente
Ignis inardeſcit capiti, totumque coronat:
Senſit, &, ut premeret divini ſigna decoris,
In medium puerorum agmen, turbamque minorem
Intulit obſcurum ſeſe, gradibusque ſub ipſis
Compoſuit, quibus altaris ſubnixa crepido.
Dumque ſalutiferi cœleſtia ſemina Verbi
Auribus exceptat, gliſcit violentia flammæ,
Ac magis igneſcit vertex: tum cernere cuivis
Prodigium licuit; primi vidêre puelli,
Atque ætas ludi facilis, cervicibus ignem
Credidit accenſum, flammamque peroſa refugit
Proxima pars, alios juvit ſpectare coruſcam
Cæſariem, & digito ſociis oſtendere monſtrum.
Vidit ab ardenti radios abſiſtere vultu
Clara abavis Iſabella, nec ipſa indigna parentum
Sanguine, quam pulchræ florentem lumine formæ
Ornabant magis adjunctæ virtutis honores:
Ceu matutino fulget roſa concolor oſtro
Pulchrius, aurorâ innatum geminante ruborem.
Nec puduit ſpectare virum, quem ſplendor Olympi
Signabat, ſolitoque magis contendere viſum:
Dumque ſtupet lucem radiato in vertice, dumque
Exceptas ſuperûm mortali in corpore dotes,
Hæc ſecum; latet hoc vili ſub tegmine virtus
Digna Deo, renuitque tegi; quantumque premendo
Conditur, tantnm ſeſe æthere rumpit aperto:
Quisquis ades, non te patitur ſine luce latentem
Nota Deo pietas, & proderis indice flamma.
Multa recuſantem, tamen in ſolatia cæci
Conjugis accivit, ſi non ut gaudia lucis
Redderet, alloquio ſaltem mala nubila mentis

Quid mirabile ibi contigerit.

Iſab. Roſella videt Ignatium conſpicuum luce.

Convivio exceptus.

Pelleret, & cœli afflaret meliore sereno.
Tectum introgressus, pax istas incolat ædes,
Hospes ait; solito per mutua more, salutem
Excipiunt referuntque; senex dein talia fatur;
Lux mihi læta venis, neque te sine Numine credam
Accessisse lares, cæcis nam sola voluptas
Hæc superest, aptato hominum sermone potiri,
Interdicta oculis cœli qui gaudia penset:
Has mihi delicias, oculis hanc ferre medelam,
Has Isabella dapes condire, hæc pocula suevit.
Nunc age, mensa vocat, pariter cœlestia dona
Carpamus; manibus, famuli, date protinus undam,
Et properate dapes; maturant jussa ministri:
Præfati superos verbis solennibus omnes
Accumbunt, spondasque premunt; par inde maritûm,
Hinc hospes sedet; officiis Isabella benignis
Partiturque cibos, lætisque hortatibus urget
Vescentes refici, geniumque hilarare fovendo

Piis sermonibus corporea cæcitatis malum elevat in solatium cæci.

Ut diuturna fames sedata, cibique remoti,
Altera tunc promit mensæ meliora secundæ
Fercula Lojolides: quid, ait tibi vana tueri
Profuerit, quæ ficto oculos perstringere norunt
Illicio, falsaque boni fulgere sub umbra?
Cernere mente Deum juvat, & tellure relicta
Calcatas per opes, & per fastidia rerum
Sidera rimari, mentèmque intendere cœlo.
Si quis erit, cui se virtus præclara videndam
Præbeat, aut patrio radiat quæ gloria cœlo,
Nil oculos dubitet tanta mercede pacisci:
Hæc quondam ut puræ spectacula lucis obirent,
Lucifugas in tecta procul migrasse ferarum,
Et caligantes atra formidine saltus:
Atque ubi libarant avido sublimia visu,
Obscuris reduces oculos damnasse tenebris.

Mens

Mens animi terris non ægrè excedere nocte
Assolet, & sensus erecta supervolat omnes,
Orbe relegato procul & tellure caduca;
Contra autem quibus æterna caligine mersis
Ausit exitium cernendi insana libido,
Æthere quàm vellent nunc cæci egisse sub alto,
Damnatisque oculis supera ad convexa reverti?
Vis obstat Superûm, & tenet irremeabilis Orcus,
Addebat concessa homini duo lumina mentis;
Alterum, ut à ductu semper rationis eant res;
Alterum, ut arcana penetralia cernere mundi
Fas sit, & auctorem rerum sublustribus umbris
Obductum, certo fidei rimarier ausu:
Hæc qui salva gerat, tenebroso in corpore noctes
Posse pati, meliore intus splendore beatum,
Hæc ubi dicta: moras nectens Isabella parato
Vela dare, & quo tendis? ait; num Barcino sordet
Nostra tibi? dubiis tutam quam linquere ventis,
Infidoque pelago? tum bina fenestræ
Claustra manu laxans, quò fidere pergis iniquo,
Quando procellarum rabies exasperat undas,
Ludibrium nisi fortè notis miserabile debes,
Iratoque mari? voti compesce furorem:
Quid ratis? an præsto est, quæ deinde viatica portas?
Ille refert; non tam Syrtes, succinctaque sævis
Scylla rapax canibus, nautæ metuenda Sicano est,
Quam mens nostra sibi: sua cuique libido Carybdis;
Nec tot in abruptum naves vorat æquore vortex
Infamis Maleæ, quot fluctibus ira tumescit,
Ambitioque notis; quàm pauci ad litora sese
Tuta ferunt: sed quò præceps rapit ardor, aguntur,
Tu quoque, quam pro me immerito geris ô bona, curam
Mitte: Pronœa suum facilis me fovit alumnum
Hactenus, & subeunda dabit quæ deinde supersunt.

Præsidium ponit in Providentia.

Nonne vides escæ passim secura parandæ
Agmina pennatarum avium volitare per auras,
Et variis garrire modis? atqui aeris haustu
Non solo vescuntur: at ipsa Pronoea minores
Sustinet ipsa animas, & hiantum guttura pleno
Ubere alit, solito ut possint super esse labori:
Nec terræ vigilans tantùm incubat, unde feraces
Educit plantas, alimentaque mitia, fruges
Terrigenis; etiam immanes sub gurgite Phocas,
Squammigerumque pecus quocumque sub æquore pascit;
Omnibus una præest, & sufficit omnibus una.
Ite, graves nummi, mala sarcina, pondus iniquum,
Vos ego projicio in littus, matrique relinquo
Prolem infelicem, ut remis, velisque beatam
Pauperiem utque sequar, nudumque per omnia Christi

Scapham cui se committere cogitarat, videt penè in portu pereuntem.

Ecce autem tumidis albescere fluctibus æquor,
Et jactare minas; cumulisque sequacibus undæ
Ad scopulos allisa ratis, crepitare frequenti
Verbere, & insano maris in luctamine volvi;
Dejicitur malus, discissaque vela per auras
In partes abeunt, & mille in frusta rudentes.
Auditur vox hinc morientum, hinc verba querentum,
Quòd mergi sese videant ante ora suorum,
Prætentasque manus nequicquam, & nulla salutis
Auxilia in portu: gazas tum prodigus ultro
Institor ipse suas, prædam velut, objicit undis:
Nescit iratum donis mitescere marmor;
Sanguine sed spumat Nereus: raptata sub undis
Corpora tardati nequeunt evolvere fluctus.

Naufragium Marci Carafæ.

Nec tua te virtus, fortissime Carafa, servat
Naufragio: sæpe insonuit tibi tempora circum
Ferrea tempestas telorum, & casside cristas
(Horret adhuc animus meminisse) volatile ferrum
Abstulit;

Abstulit; intrepidus stabas: comes alter & alter
Ad latus hinc illinc tormento abreptus aheno est,
Quoque loco steteras, socii cecidêre, suoque
Sæpe tuos lapsi sparserunt sanguine vultus:
Nunc ruis: at totum non invida sustulit unda;
Nec tua, quo moles, jacet abdita gurgite virtus:
Fluctibus exertat caput, & te fama superstes
Inserit Heroûm ordinibus, cœloque reponit.
Infelix, quantum, Gothalania, perdis in uno
Præsidium! quanto respiras Thracia luctu!
Servavit patriam vindex, & Bistonas armis
Contudit; hunc vultu atque armis sensere superbi
Terribilem; placidum victi, pacemque rogantes:
Ad casum veluti paterna ad fata phalanges
Inversis luxere hastis, gemitumque dedêre.
Semianimes alii lentâ cum morte trahentes
Luctantes animas, vasto periêre profundo,
Hauseruntque suo permistos sanguine fluctus.
Tum verò humectans lacrymis Ignatius ora,
Heus, inquit, superi, miserescite; sola phaseli
Compages pereat, facilis jactura carinæ;
Semineces servate animas: si munere vestro
Effugi in tuto positus quod funus adibam,
Agnosco; puppe hac steterat mihi certa voluntas
Italiam petere; ô melius conversa repente
Ad te (Stella maris) mea vota: hoc gurgitis æstu,
Te sine, præda mari vel piscibus esca perirem:
Quas grates tibi, Diva; & quas, Isabella rependam?
Tu templo, tuque hospitio excepistis euntem
Certam ad perniciem, properæque pericula mortis.
Dixerat, ecce Irus, quem tecta premebat egestas,
Æris inops & frugis egens, trabe pensilis altâ
Sponte ruit, clausoque gulam spiramine frangit:
Dumque aspectantum stat circumfusa corona;
Summe opifex, Lojola ait, & suprema potestas

Gratias agit quod periculum evaserit.

Revocat ad vitam mortuum.

Suspensum laqueo hominem revocat in vitam.

Vitam adeo, quæ pulsa recens hoc corpore cessit,
Restitue, & Stygiis, si subjacet, eripe pœnis,
Hæc tantum: mussant populi, arrectique requirunt,
Quid jubeat, quæ signa ferat, quò deinde cadant res;
Et mox pondus iners massæ, atque informe cadaver
Tollere se, atque loqui, & cœli convexa tueri:
Obstupuere omnes; nec sat vidisse loquentem,
Aut audisse semel; rursumque iterumque renarrat
Conventu in medio, quæ funere passus in ipso est,
Mortuus & moriens quâm tetra aspexerit ora
Terrentûm juxta furiarum, irasque, minasque
Voce intentantum; quæ nos subiisse necesse est
Arbitria, agnato dum corporis arce fugamur;
Sicque redordiri, & sermone retexere cuncta.
Tum purus, scelerisque expers, & flumine vivo
Curatus, primis iterum se reddidit umbris:
Ex illo in vulgus latè inclarescere nomen,
Externasque procul celebrari laude per oras
Resque, reique auctor, famâque in sidera ferri,
Effusi accurrunt proceres, matresque, nurusque
Atque senes, & plebs studiis accensa videndi.
Quid tibi vim, Lojola, necis, lethique furentis
Triste satellitium, morbosque, febresque subactas,
Et tumulis animas dicam traxisse refossis,
Atque redonatas luci, & vitalibus auris?
Grata quidem rerum series, verum omnia longus
Per censere labor: veniet, qui digerat ævum
Nobilibus fastis, & res sermonibus ornet.
Interea rate Lojolides, cui Magdala nomen,
Dum posuit ventus, pontique audacia cessit,
Ire parat; jam vela vocant, & nauta morantes
Increpat, & tardos verbis accersit amaris.
At celer adventat Gritius properante phaselo
Nuncius ad Reges, lacrymisque ita fatur obortis:
En Rhodus Othomano premitur, Solisque colossus

Cornibus

Cornibus à Lunæ; ſtat belli atque area Martis
Inſula frenatrix Turcæ, cui litora debent
Omnia, quòd tutis reſerentur pervia nautis,
Et ſecutus aret cum libertate colonus:
Stat poſitu defenſa loci, valloque, manuque,
Objectuque maris, plantâ tamen ipſe labanti
Mars pendet, nec adhuc partem deflexit in unam.
O male vicinis dudum contermina Turcis
Inſula, damnandoque ſitu! fluat alta per omnes
Pax populos & amica quies, hæc prima furentum eſt
Victima prædonum; meliùs fortuna dediſſet
Civibus orbe novo ſedem, gelidâque ſub Arcto.
Narraſtis, cæſorum animæ, pallentibus umbris
Funere quo cecidit Stradas, ut Bellica virtus,
Ut labor, atque animi Conſtantia rebus acerbis
Abluerint lato perfoſſum vulnere corpus,
Curare ambroſiâ dignatæ, & ducere funus.
Te quoque, Magne Pales, belli ſpes prima, togæq;
Altera, mors rapuit: te caſtra aut ſigna moventem
Miles ſponte ſequi miro properabat amore,
Plenus & ipſe tui, nunc caſſum lucis ademptæ
Munere, proſequitur lacrymis, votoque requirit:
Grande humeris ſtabat pondus, quod pectora centum,
Ferrea ſint quamvis, nequeant durare ferendo.
Majores hinc Turca ferox aſſurgit in auſus:
Sic ubi manſuevere feræ, abjectoque furore
Deſuetas poſuere jubas, vultusque minaces,
Atque hominum didicere manus & juſſa ſubire,
Si cruor in fauces, jejunaque parvus in ora
Defluat, exacuit rabiem, furor, itaque ſurgit
Priſtina, guſtatoque fames à ſanguine ſævit,
Crudelique fugit vix tutus ab ungue magiſter.
Minthurnum duplex concurrens pectore ferrum
Tranſadigit: ſtetit incertus quo vulnere ſanguis
Efflueret, geminos donec cruor expulit enſes,

Eques Rhodius auxilium petit.

Occiſi ad Rhodum.

Mors Minthurni.

Divisamque animam per vulnus utrumque remisit;
Substitit ille prius mox Thracica fertur in arma
Fervidus; haud aliter viso leo cominus hoste
Addubitat, sistitque gradum, tum colligit iram,
Exacuens sese stimulis, & verbere caudæ,
Attollitque jubas, & vasto murmur hiatu
Grande tonat, donec lateri si fortè sagitta
Hæreat, aut infixa premant venabula pectus,
Per ferrum & vulnus securus sanguinis exit:
Non tamen infletus, vel funere solus inulto
Corruit, ipsi hostes simili cecidere ruina.
Non secus ac rupes, celsi quam vertice montis
Abscidit impulsu ventorum adjuta vetustas,
Obvia quæque ruens frangit discrimine nullo,
Heu quid dissidiis, Francisce & Carole Reges,
Corda tument, ardentq; manus in funera fratrum?
Eductum in socios ferrum convertite in hostem,
Qui vestris inhians regnis vos Marte lacessit
Seditione potens vestrâ, & discordibus armis.
Plura vetant lachrymæ, & vocem suspiria rumpunt.

Poeta spem Christianorum erigit contra Turcos.

Fama refert vetus, & pridem tabularia Divûm
Indubitata canunt, Reges fore, Bosphoron armis
Qui repetant patriis, sternantque Propontidis æquor
Classibus, Odrysiisque levent Solymæa catenis
Mœnia; quos reduces spoliis orientis onustos
Atque coronatos palmis florentis Idumes
Excipiet patria, & parto consurget honori.
An consanguineis socios vexabitis armis,
Fraternoque manus fraterna cruore rubebit,
Dum propria Christus ditione fugabitur exul?
Nondum capta Rhodus: salvis cum mœnibus urbis
Spes animis hæsêre; viam reperire salutis
Stat ferro, & mortem pro Relligione pacisci.
Jam Fuga, jam Pavor, & trepidæ formidine Curæ,
Triste satellitium, communi immergitur undis
Nau-

Naufragio, ne circum oculos & pectus oberret.
Turcis membra fluunt, luxuque madentia, belli
Vix tolerant ſimulacrum, at diſſita prælia longè
Cernere amant, procul & ſtrepitus audire tubarum.
Fac fortes in bella manus, animoſque valentes,
Atq; gigantæas robuſto in corpore vires;
Cauſa Dei eſt, quæ veſtra: teget vos robore, per quem
Inſanum ſtravit Puerilis dextra Gigantem.
At patriâ cedendum orâ? Deus ipſe patentis
Deſeruit cœli ſolium, patrioque receſſit
Æthere, vos patriis exire timebitis oris;
Cernite Gotfredum, ô ſacri nova forma triumphi!
Implexi ſentes victricia tempora circum
Ivére, & pede nudato veſtigia preſſit,
Trita Dei plantis, ſacroque imbuta cruore.
Si plures in luce dies, Solymiſque dediſſent
Majores ſi fata moras; junxiſſet in unum
Euphratem, Gangémq; & Nilum in fonte bibiſſet.
Si tamen eſt prima reperire in origine Nilum.
Quis canat, ut trepidas olli ſubſtraverit undas
Victoris patiens, & cinctus compede Nereus;
Ipſe dedit plauſum Mavors, & Najades undis
Exiliêre ſuis, præcinctæ pellibus omnes,
Auro omnes pictæ, ſaltuque dedere ſalutem:
Callithoc ante alias, cantu conſueta morari
Oceanum, & cytharâ fluctus lenire tumentes.
Magna quidem fuit in patria viciſſe voluptas;
Sed non plena tamen? Solymæ quò vota gementis
Expleret, palmaſque novis cumularet adeptas,
Urbibus inſtravit, caſtriſque natantibus æquor.
His ſuper attonitus viſum per ſingula volvit
Neptunus pater, & belli monumenta vetuſti
Secum agitans, primis nova non ceſſiſſe fatetur.
Arma armis, auſus turmis componere turmas.

Ignavia Turcorum.

O galli,

O galli, vobis aliàs non rupibus Alpes,
Non Rheni glacialis hyems, nec turbidus Istri
Impetus, abruptæ non devia saxa Pyrenes
Obstruxere vias, dum Martius ardor agebat:
Jungite Idumæas ad Gallica lilia palmas
Virtutis memores, & Christum extendite Marte:
Desuetas properate rates, pelagoque volate
Martia gens, pelago ante alios pugnare periti.
Tempora quid circum lauri sudore paratæ?
Nun super his moveor; vincant, quos vincere rebus
Christiadum prodest, & quorum munere & armis
Prisca Fides, primíque aris redduntur honores.
Olim erit, ut vobis natisque in litora sacro
Permixtæ Musis Dryades, castæque Napææ
Constituant viridem planta ex Parnasside lucum,
Unde coronando victori serta legantur.
Quid ventura cano? vos & meminisse potestis,
OlimChristiani ad bella sacra alacriter properant.
Ut quondam constante pater vultuque manuque
Natorum turbam charis arceret ab ulnis,
Cum diffusa comas fleret moestissima conjux
Luctisonis lamentis, fœmineoque ululatu,
Languida jam, fatoque velut vicina propinquo.
Vos, aræ exuviis testor, signisque superbæ
Turcorum: vos ampla novum decus addita nostris
Pendula scuta tholis, & detracti hostibus enses.
Ite & vos, animæ ingentes, & grandia natæ,
Quo vos plena deo mens, & terrestrium inanis
Una vocat, famæ captos potioris amore.
Talia dum canerent, lacrymisque suprema rigarent
Litora, provehitur classis, portuque relicto
Avolat: hanc comites oculis votisque sequuntur,
Jactatæque manûs, pileique per aëra signo,
Donec apex summus, celsoque exstantia malo
Carbasa decrescant humiles fugitiva sub undas.
Tempestas.
Nautarum ex oculis vix abdita Barcino cessit,
Quando

Quando repentinis assurgit fluctibus æquor;
Jam Boreas, Caurusque fremunt; cui pareat unda,
Pendet in ancipiti, nec quid jubeatve, velitve
Nauta, maris cæco, mentisque in turbine cernit.
Tum senior, cui cura ratis, memor æquora verri *Implorat*
Gallica, Magdalidis cognato à nomine dicta; *opem D.*
Diva, inquit, præsesque loci, tutelaque navis, *Magdale-*
Naufraga quæ prendis Christi ad vestigia portum, *na navis*
Dum capiti incumbit glomerata procella malorum *patrona.*
Quæ reducem fratris quarto jam sole sepulti
Exoras vitam lacrymis; jam morte propinquâ
Afflatas, secura tui, securaque fratris
Serva animas: nautas tumidis jam penè sepultos
Undarum tumulis bona respice, & eripe morti,
Morti quæ metuit, didicitque in fratre fugari:
Æquora si positis te fluctibus hospita molli
Excepêre sinu, dum te ferus hostis inermi
Expositam cymba, dubios in gurgitis æstus
Impulit, adversum rege nos in litus euntes.
His dictis conchæ effusum testudine rorem
Porricit in fluctus, puræque aspergine lymphæ
Circumfert socios, nimius quos terror agebat.
At sacris Lojola Deo pro parte litatis,
Unum pro multis caput objectabat acerbis
Fluctibus, irato invidiam facturus Olympo:
Mene petunt maria, ajebat? mea crimina fluctus
Ferre negant, sitiuntque reum fera monstra cruorem:
Mittite me in pelagus, socii; placabilis ibo
Victima, quam superi poscunt, navemque levabo.
Vim cœlo fecere preces, & Magdala, fletûs
Quæ didicit pretium, lacrymis commota, salutem *Succurrit*
Obtinuit; rate namque vehi jam præscia novit *D. Magda-*
Rara laude, animoque virum, qui stagna subiret *lena.*
Intectus constricta gelu, dum bruma rigeret,
Ut proprio Venerem in regno, & natalibus undis
Extin-

Extinguat, flammasque alieno in corde calentes,
Egregium facinus, nec adhuc in milite notum.
Ægeli qui olim corpus D. Magd. ſuſtulerunt ſedant ventos. Extemplo datur æthereis ea cura Miniſtris,
Quos habuit quondam famulos ſublimè ferentes
Magdalis, ut legem ventis & vincula ponant.
Illi alacres ad juſſa volant, equitantque protervis
Flatibus: hic Cauro ſublimis hic inſidet Euro:
Indocilem regit ille Notum, quem calce laceſſit
Acrius, hunc portat Boreas, gerit Affricus illum:
Dumque reluctantum jam mitia terga fatigant
Seſſores, roſeisque docent parere lupatis,
Diſpellunt nubes, & aperta ſerena reducunt.
Jam vis conſilio regitur, jam carbaſa tendunt.
Quo puppim, ſuperique, gubernatorque vocabant
Phocaicos ultra tractus, ſparſasque per æquor
Stoecadas; attollit medio ſe Corcica fluctu,
Jam depreſſa latet: precibus faviſſe vocatam
Magdalenam. Conclamant omnes Divam; nec nulla receptæ
Pars datur, aut poſtrema tibi, Lojola, ſalutis,
Dum tete Jonam incuſas, cauſamque procellæ.
Ergo propinquabant Latio, cum didita vulgi
Italiâ peſtis graſſatur. Fama refert, latè ad fines atque oſtia circum
Mille acres vigilare viros, urbeſque tueri,
Ne quis in has peſte infectus ſeſe ingerat hoſpes:
Quin & ſuſpectis è tractibus advena ſi quis
Appulerit, durè arceri, cogique remenſo
Ire mari; qualis fluctus perpeſſus iniquos
Navita, prenſurusque ſolum, ſi fortè procellæ
Flatibus adverſis tutâ ab ſtatione refertur,
Ingemit, obtento fruſtratus littore pelli,
Inque alios revocari æſtus, ſub fine laborum.
Ignatius Ravenna de Patavio. Jamque exſcendentes ſtatuunt deflectere tritas
Secta per arva vias, perque humida ſtagna Ravennæ
Medoaco tentare gradum, qua parte locavit
Urbem

Urbem olim Patavi, Antenor ſubductus Achivis.
Circum Antenoreæ portas conſederat urbis
Ruſtica gens: cervice gerit pars cymbia lactis,
Arboreos alii fructus, aut florea ſerta,
Aut olerum lectas meſſes è pinguibus hortis,
Ingreſſura repente cohors, ſimul atque licebit:
His ſeſe admiſcet furto lætatus honeſto
Lojolides, dubiæ ſub prima crepuſcula lucis: *Pergit Venetias.*
Hinc petere Adriacam ſuperis urgentibus oram
Præcipitant curæ, & Solymis intenta voluntas.
Telluris pelagique globum natura creatrix *Deſcriptio Venetiarum.*
Cum ſtrueret, vario abjunxit ſola diſſita textu,
Implicuitque maris gremio, quò parte liquenti,
Parte tenace ſui, concreſceret integer orbis:
Hos imitata modos ars æmula, condidit vrbem
Fluctibus in mediis, vbi mollia ſtagna reponit
Adria, & illabens terris reſpirat ab alto,
Nam quas immiſſo Nereus diſcluerat oras
Æquore, commiſit nexu, ſolidoque revinxit
Ponte frequens: ferus in regno Neptunus amicos
Induit hic mores, geſtitque urbanus haberi.
Per fora cymbarum patiens, faciliſque meatûs,
Portarum excubiæ vigiles, noctéſque diéſque
Obſervant aditus, ne quà penetrabile virus
Serpat in incautos, mala per contagia, cives.
Lojolidem interea navis Patavina vehebat:
Diſpoſiti obſiſtunt, verbiſque per omnia verſant;
Qui veniant, quibus ex oris, quæ teſſera veri
Præbeat indicium, quæ ſecum ſcrinia portent:
Dumque viros & ſigna notant latebraſque carinæ
Rimantur, Lojola tamen non cernitur ulli:
Namque Ales cœlo accitus mox textile velum
Aëris obtendens, & inania nubila ſurſum,
Eluſaſque manus ſcrutantum, oculoſque fefellit.
Inſtabat nox atra: ſibi ſua quisque per urbem
Hoſpi-

Hoſpitia optabant ducendæ accommoda nocti:
Æris inops linguæque hominum, ignaruſque viarum
Hea quid agat! quonam cives ambire rogandos
Audeat affatu? ſuſpecta quid ingerat ora?
Marce, tuum ſupplex nomen veneratur, & umbram
Expetit; ac tua ſe, qua fas, ad limina ſiſtit:
Mira loci facies; ſi quis prætoria luſtret,
Saxaque, vel Libycis è montibus eruta, vel quæ
Viſceribus fert alba Paros, divesve cruentat
Sanguineis circum maculis interlita Sinnas:
Attulit hoc dudum Veneris decus, ampla per orbem,
Quâ colitur, latèque mari dominata poteſtas.
Sed nec ab his contemptor opum ſolatia carpet,
Si videat, feſſum nec marmora dura levabunt.
Poſtquam igitur fauſtum ſuperis gratatus in urbem
Introitum, genioque loci perſolvit honores,
Sicut erat, nullo relevatus munere frugis,
Sub nudo Jove membra locat, conſueta cubili
Iam dudum ſimili; prohibet ſed ducere ſomnos
Excubitrix mala turba canum, morſuque laceſſit:
Tutior huic fuerat pecudum nox acta ſub antris;
Sævior eſt hominum vicinia: parcite fidi,
Neu ſanctum violare, canes! abſiſtite morſu,
Si quid adhuc pietatis ineſt, quæ corpora cœlo
Sacra, nefas olim duxit contingere rictu,
Lambere ſueta pedes, vel olenti putria tabo
Vlcera lingendo, immundum ſiccare cruorem,
Aſtrorum vigiles oculi, tuque, aurea Phæbe,
Cujus adoptivum nocturnò tempore lumen
Abſentis reparat mundo diſpendia ſolis,
Annuite, & pluvias procul hinc depellite nubes,
Sed quid ego hæc? ſpectat pietas intenta dolorum
Hanc faciem, nec lenta ſedet: Tarniſius heros
Tunc fuit, Antoni cognomine, nomine Marci,
Ales

Ales quem miſerans his vocibus urget, inertes
Carpentem ſomnos, & multa veſte gravatum:
Divitis ergo mali & merito Phlegetonte ſepulti
Æmulus inſiſtis veſtigia; te quoque vitæ
Exitus haud impar manet, & miſerabile fatum:
Virtutem merces & noxam pœna ſequuntur.
Vellera te villoſa, throno congeſta ſupinum
Circumdant, velis cortina nitentibus ambit
Pulvillis alte infuſum, dum Lazarus alter
Pene tuas cubat ante fores, vexante canum vi:
Ille intectus, inops, ſomnum. quem pectore proflas
Incaſſum vocat, hamani ſolaminis expers.
Tun' pateris? tua ne in miſeros ita nota voluntas?
Surge, age dum, & facinus, quo gaudeat arbiter orbis,
Aggredere; aut Chriſtus ſuprema in luce tonabit
Duritiem increpitans, cum proxima ad atria ſtarem
Hoſpes egens, tecto non me tecto dignatus amico es.
Nec plura his: monuiſſe ſemel contentus abivit.
Protinus obſequitur dictis: ſomnumque thorumque
Deſerit, excitoſque jubet properare miniſtros,
Accenſas præferre faces: mora nulla, ſenator
Nocte viam pedes ingreditur, dumque abdita luſtrat
Sedulus: ecce tibi ſubluſtri intermicat umbrâ
Mæſta viri facies, nudâ tellure cubantis:
Acceſſiſſe ſtupet Lojola virumque facemque,
Quem ſic attonitum Tarviſius occupat ore:
Quiſquis es, ô noſtros non dedignare penates:
Nos animos medio in pelago neſcimus amaros,
Sanguinis ut noſtris mortalia pectora, duro
Pernoctare ſolo, gelidoque ſub axe ſinamus.
Fallere ſi potuiſti homines, te prodidit æther
Conſcius ingentis meriti: loca ſola relinque,
Non hæc nocturnos hominum ſervantur in uſus.
Pauper ad hæc: non iſta rudis certamina miles

Aggredior, nec prima pugil novus arma, capesso;
Assuevi durare solo mea membra, nec isto,
Quem supra meritum defers, me dignor honore.
Si migrare jubes, pecudum vilissima sunto
Tecta satis, vel quæ servos gurgustia condunt;
Hac te lege sequor: Tarvisius ore reponit:
Mene putas nescire, Dei quo membra cubare
Digna loco? & simul amplexu sua serica pannis
Admovet, atque auctus comite ad prætoria tendit.
Sydera quot cœli tunc in statione coruscas
Vibravere faces, totidem memorabile factum
Lustrarunt oculis: pietas super astra triumphos
Duxit, sidereo superûm plaudente senatu;
Hic ubi olympiacæ lux est decreta coronæ,
Fuit posteà dux Venetus. Marce, tibi, postquam Veneti moderatus habenas
Imperii, merito victor donabere cœlo.
Ventum erat ad sedes; domus intus, & ampla pa-
fecünt
Atria, majorum pictos referentia vultus.
Excitat his se se dominus, vivosque laborat
Reddere, tantarum unus opum non degener hæres.
Inde aulam penetrant, fulsit testudinis aurum
Luce lacessitum illatâ, vestâque camini:
Nec non & varias illusa aulæa figuras
Subjecere oculis: lentatum in fila metallum
Velleraque Æthiopum, Tyrios incocta colores
Arte maritarat mens dædala, rexerat artis
Ipsa manum pietas, operi impositura coronam.
Hic Bethuliacæ rubuerunt arma Judithæ,
Quæ caput abscissum, timida comitante puella,
Per medias effert acies, qua parte resedit
Ductor, & innumerus stipat tentoria miles.
Virtus Herculeo non concessura labori.
Non longe Debora, & Gedeo, & for osus Jephta
Incedunt humoris conspecti, & pectore lato,

Usq

Usque adeò norunt mentiri vera figuræ,
Ut nihil, aut muto desit vox una labori.
Parte alia, pompas Antonius ire jubebat
Se procul, & vani mendacia splendida luxus,
Quidquid opum penus ampla dedit, partitus egenis:
Hinc erat ad rigui fastigia cernere collis
Terram exercentem, glebasque ligone ruentem;
Quasque laborarat fruges fœlicis agelli,
Sive horti florentis opes, præbebat inemtas
Hospitibus, jucunda hilarans convivia vultu.
Hæc me hospes, monimenta, docent Tarvisius inquit,
Esse pium, & pudeat factis non edere mores,
Quos veneror; præit exemplo, qui nominis auspex.
Mensam onerant dapibus famuli, reparare jubetur
Attritas vires: libantem fercula parce
Hortatur dominus, cœlestia carpere dona
Plenius: atque animo tacitus miratur, ut escis
Temperet ex longo jejunus, ut ore datorem
Concelebret, frugum, nostros qui lapsus in artus
Esuriem tulit, & vacuæ mala tædia mensæ.
Postquam epulis sedata fames, ne crudus iniret
Lodices, aliâ stratas in parte Penatum,
Multa rogat, multisque hospes, quæ patria, quali
Stirpe satus, quo tanta animi fiducia vergat,
Unde & quò sit iter: sed dum sermone moratur,
Sidera declivi sensit labentia cœlo,
Amplexuque fovens, & jam fraudavimus, inquit,
Somno oculos dudum, quas ædes numen amicum
Concessit, fruere in requiem, & relevare laborem,
Ante tamen, sine me hospitii pia jura benignâ
Exercere manu: sic dixit, aquamque ministros
Approperare jubet, fulvumque ex ære lebetem:
Illi adsunt, tonsisque simul mantilia villis
Expediunt: amplos senior succingit amictus
Pœonio ritu, prætentaque lintea abollæ

Hospitis M. Antonius pedes abluit.

Antequã cubitum dimittat.

Applicat, & tunicæ manicas ad ſumma retorquet
Brachia; dein ſolio impoſitum, caſtoque rubore
Multa recuſantem plantas permittere lymphis
Juſſit: at ille alios, oculorum è fonte, liquores
Elicit officii patiens, & proluit ora
Fletibus, ante pedes quàm lympha parata lavaret.
Contra alter volvens animo atque audita retexens
Gaudet aqua, læſos fœlici numinis ictu
Perduxiſſe artus, & quæ dignatus ab alto eſt
Crura Petrus luxata ſuo connectere textu;
Oſcula deterſis impenſius addere plantis
Afflixum juvat, atque iterumque iterumque rigare,
Fœlicem ſocio noctem dum quiſque precetur.
Poſt faciles epulas & non ſine numine ſtratis
Compoſitum corpus, tenuis vix membra tenebat
Feſſa ſopor, lætos aperit cum Phoſphorus ignes
Albeſcente die, primæque crepuſcula lucis.
Tum Marcus de nocte vigil, prævertere ſolem
Sollicitus, cauſaſque iterum geminare morandi
Cogitur Ignatius aperire. Scitatur Venetis quæ cauſa admoverit oris:
Cur patriâ tellure procul circumvagus erret.
(Cantabriam natale ſolum nam lingua docebat
Nota Senatori) ſi quid ſub nocte ſupremâ
Promerui de te, hoſpes ait, quo limite rerum
Veneris huc, advertam aures, ſermone retexe.
Cœli dona nefas premere, & damnare tenebris
Lucis opus, quod deinde dies ventura loquetur:
Tum de ſe quæcumque animum perſpecta ſubibant
Promit Lojolides, & nomine victus amici
Et precibus, placitoque diu non pugnat honeſto.
Suos primum natales. Parte, ait, Hæſperiæ, qua Gallica regna Pyrenes
Limes ab Hiſpanis medius diſterminat oris,
Septem enixa parens melioris pignora ſexus
Difficili octavum partu me fudit, & ægram,
(Ut perhibent) ſenior conſultus; ut arte levaret

ua posset, venturi augur non ante juvandam
rerat, in stabulum quàm se conferret ab aula
thalamis: nec vana fides responsa sequuta est,
omen ab igne trahens Ignatius omine fausto
cupor, insontis si non primordia vitæ
rutumque satus fœdasset adultior ætas
ma inter traducta licentius, & grave sævi
artis opus, quod me primis assuescere ab annis
mpulerat pater, & auros ambire jubebat.
a ferri rapiebat amor, tum vividus ardor
uinis; at rebus subito in contraria versis,
a mihi ante oculos & notâ major imago
ruit: ut nexus dissolverit illâ morantes,
equidem fari promptum, tamen omnia dictis
ediam, atque novæ revocabo exordia vitæ.
nta Pyrenæos claustris effusa revulsis
mpestas, ferrique acies pervaserit agros
a tibi, & claras jactavit fama per urbes.
arides aberat ductor, cui summa Navarræ
res, & Martis opus: transgressus Iberum,
ilio pubem Hesperiam, sociosque legebat:
mihi præsidio cinctam commiserat arcem
orum fidens animis, quos more ruentis
i, baccati hostes, populante tumultu
tant: jamque eversis pugnace coronâ
nibus, instabant peditumque equitumq; catervæ.
eti nutare intus trepidantia vulgi
da, licetque timor verbis se prodere, & actis
chendi metuit, lethi tamen ore colorem
itus capit, & mentem pallore fatetur.
Jam captâ veluti sibi jus facturus in urbe
Hostis eat, tepidi affatu vulgare timorem
Incipiunt, urbemque fuga meditantur inanem
Linquere: vis animi facinus generosa pudendum
Probrosumque nefas refugit: stat turpe morari

Et educationem & adolescentiam.

Consilium: obtestor superos ipsumque Tonantem,
Insurgat fidei vindex, si fallere quisquam
Audeat, & stygiis scelus execrabile diris
Devoveo, vel solus ego pugnare paratus.
Nonnullos puduit, quos æmulus ardor habebat,
Non animum præbere parem, conscendimus unà
Exigui numero: sed nec satis integra virtus.
Ventum in consilium est, quorum circumsonat aures
Et mentem fragor hostilis formidine pulsat,
Aut quibus obrepente gelu præcordia torpens
Jam senicus, reserari aditum, sic poscere tempus,
Admittique jùbent portis bipatentibus hostes:
Contra ego: nam quid se nostris dementia miscet
Consiliis? cur ante viam quàm ruperit hostis,
Pandimus, & nondum labefactæ incumbimus urbi?
Frustra, Naiaride, frustra prosperare laboras
Auxilium, cum cassa fides & perfida virtus
Victa metu primo, tua propugnacula laxat.
Quid pudor, audierit fortes cum protinus arce
Desertâ cessisse viros? & dedita Gallis
Mœnia, dum lectâ contra veniebat opum vi?
Turbinis at ritu, quid tum? pervaserit urbem
Asparotus, non parta diu de more tenebit:
Mox aderit vindex, seque in sua jura reponet.
Nos ducis illusi qua fronte subîbimus ora,
Omnibus opprobriis onerandi, & munere lucis
Indigni? at Pompeiopolim ceu claustra, moramque
Opposuisse diu furiis victoris anheli,
Quanta manent decora & generosi præmia Martis?
Quidquid erit, vivorum animos mirabitur hostis
Victor, & extinctos notâ virtute dolebit:
Audentes per densa bonus discrimina Mavors
Respicit, ipse volens clypeo galeáque tuetur
Impavidos, at contra ardens ferit ense fugaces
Vindice, nec quisquam tergum Deus aspicit ultro.
Non

Non animi fortesque iræ, non vivida virtus
Desit adhuc; quæque ante ferax, non tempore nostro
Facta est tellus, quæ corda interrita fingat.
Nuda olim nulli cingebant oppida muri,
Nec fas oppositos telis prætendere vallos,
Talia simul, murique animus, non cedere letho
Pectus, & infensos properare paratus in hostes.
Talibus hortabar socios, cum mœnia civis
Laxavit, portisque hostes excepit apertis.
Cingitur arx castris, nos illam ardente tuemur
Obnixi studio: Impatiens mox evocat hostis
Pacifero clangore tubæ, si forte pacisci
Fœdera constiterit, belloque imponere finem:
Lectus ad id Palophox, qui leges pacis iniquas
Audit, & arbitrium nostris inamabile rebus:
Indignor, revocoque virum. & sua fœdera Gallis
Abrumpo; miseræ sunto solatia sortis,
Extremos periisse, malumque, quod imminet urbi,
Nullo maturasse metu: sed ad ultima fortes
Mando animos; quid enim gravius, quàm sorte probrosâ
Jussa superba pati, nulli servire paratos?
Exemplo totos animus descendit in artus,
Irritatque necem, & ferri in certamina gaudet.
Tum vero incumbunt Galli muralibus arcem
Tormentis quatere: haud tanto se fulmina rumpunt
Cum tonitru, aerias ubi verberat arduus Alpes
Juppiter, & rutilo ferit alta Ceraunia telo:
Saxa fremunt collisa globis, labor anxius urget
Undique tentantes aditum prohibere vibratis
Missilibus, contisque & acuto murice teli.
O manus, ô ignes, ferrique volatile pondus!
Prima salus vestro mihi munere parta refulsit:
Dumque revulsa globo labefacti fragmina muri

Post urbem deditam hosti, arx obsidetur.

Vulneratur.

Desiliunt, saxum qua se obvia crura dedere,
Incidit in plantam, libans & summa momordit
Vulnere, sed saliens ad proxima saxa, refracto
Impete mox aliam graviori perculit ictu.
A dextrâ levàque dolor, crepuere fragore
Ossa: expiranti similis super ipse ruinam
Corpore do: fuit hæc vitæ melioris origo.
Illa mihi candente dies signanda lapillo,
Quæ me stravit humi; fractæ quem deinde tenorem
Res habuere, fugax & quo fortuna recessit
Degeneres linquens animos, jam fama loquuta est:
Namque ducis tanto turbati vulnere mentem
Seque suosque ultro maturant dedere muros.
Me vero quibus Omnipotens subjecerit armis,
Quoque modo antiquos ritus, artemque profanam
Exuerim, dederimque sacris mea nomina castris,
Exequar, & seriem rerum sermone recurram.

Humanitas Gallorum erga vulneratum.

Si quis erit Gallûm victorem expertus acerbum,
Oderit ille homines, dictisque incessat amaris
Virtutem: namque ut capta sunt arce potiti,
Omnibus officiis mecum certare priores,
Et, quas intulerant, cupiunt obducere plagas;
Sed Galli sanare minus, quàm lædere norunt,
Conatusque pios morbi vis sæva fefellit,

Quibus sua partitur.

Me certe vicere, genus pietatis in hoste
Mirantem: gladios ideo per amica viritim
Distribui capita, ingentis leve pignus amoris:
Vulnera crudescunt, nec jam vis ulla dolores
Mitigat; à charis quod vix speretur amicis,

Et benè precatur.

Tunc hosti fecere hostes; dum pensilis arcu
Lecticæ immotum & strato meliore cubantem
Portavere domum ad patriæ Lojolidis ædes;

Exceptus Domi à fratre.

Talia qui curat, penset Deus, & sua dignis
Præmia ne pereant: fratrem germanus, ademptum
Quem nece crediderat, captum vel ab hoste teneri,
Lætitiâ

Lætitiâ tanto adductum majore recepit,
Quanto gratior est, quæ desperata revertit.
Ille vicem fungens, curamque animumque Parentis
Induit, admisitque ulnis & pectore pressit,
Ad patrios remeare lares velut ille videbar
Prodigus, afflictæ nisi quod spes ægra salutis
Gaudia turbabat, sævique ex crure dolores.
Conveniunt medicorum agmen, pars vulnere viso
Agnoscunt taciti vitium, pars dicere mussant:
Ossa movenda putant alii, non rite locando
Peccarit seu prima manus, seu forte labore
Sollicitata viæ coalescere frusta recusent,
Vulnus ab integro curandum, operâque retextâ
Esse opus, ut composta situ stent ossa salubri.
Terruit adstantes ea vox audita severæ
Artis, at intrepidus nihil & non ferre paratus
Ossa dedi ferro repetenda, salutis amore.
Nec tamen inde salus, auctâ nam sævior ardet
Febre dolor, populatque artus: jamque intima vitæ
Munimenta, malo penitus subeunte, lababant.
Omnia quin etiam medicis affinia letho
Signa notabantur, nil præter vota relictum,
Nil arti superesse, cibos, haustusque salubres
Naturam averti; spem nox nisi proxima tandem
Monstraret, properum exitium restare canebant.
Proh mentes hominum vitæ mortalis amantes,
Æternæ immemores! animo postrema medendi
Cura subit, cum languet iners, effœtaque virtus,
Hic sacro, post Christi epulum, perfundor olivo
Charorum lachrimas inter, gemitusque dolentum.
Gratia, Petre, tua est: tibi lux ventura colendo
Festa parabatur, quam tunc expertus amicam,
Semper honoratam, cœlo dum vescar, habebo.
Nescio qua illectam sensûs dulcedine mentem
Imbiberat Petri facinus; mirabar amorem

Et Desperatus à medico.

Accepto viatico.

Sanatur à D. Petro.

Quem miles coluerat.

Ardentesque viri motus, ut tempore duro
Obtulerit fidentem animum, & sublimia corda,
Indignatus herum vi dura impune teneri,
Dum timida ignavum gladium vagina foveret,
Ingenio tunc apta meo argumenta placebant;
Respexit Petrus, atque rudem miseratus amantem est;
Tum femoris crudum ostentans & flebile vulnus,
Sic ego: carminibus quondam te Petre canebam
Clangores inter lituorum & classica, Martis
Aspice nunc vatem, si quid pietate meretur;
Majores dabit ille sonos jam voce repertâ,
Tibiaque ingentes sumet sanata cothurnos.
Nox erat, ecce quies ægros inopina per artus
Funditur, & præsens oculis effulsit imago:
Cernebam sed enim Solymæi ad limina templi,
Dante manum Petro, vestigia ponere recta
Semipedem, quem mater egens profuderat alvo;
Sessilis hic trullæ fundo, se lintris agebat
In morem, vel suffecto fulcimine ad alas
Raptabat se se per humum, vel colla gravabat
Alterius, prius è terra quam surgere jussum
Voce potens Petrus erigeret: spes inde jacenti
Et claudo subrecta, pari me munere salvum
Posse frui: nec vana fides: nam fracta remisit
Paulatim ex illo rigidæ inclementia pestis.
Jamque ingens, non tota licet, de vulnere cessit
Effera vis morbi, & vitæ spes certa recurrit.
Mitescunt stomachi sensim fastidia, & ægre
Jam minus incipiunt escas admittere fauces.
Gaudebant reducis revocatum ad lumina vitæ
Gratati comites, solus sub corde dolebam,
Ante genu quòd turpe caput procurreret ossis
Tuberis in morem; visu tam spurca cicatrix
Displicuit, suras ocreis includere sueto,
Deliciasque sequi: quid non dementia cogis

Os in crure deformiùs extans curat secari.

Corda,

Corda, venuſtatis nimiæ ſtudioſa libido?
Nunc animus meminiſſe horret: rurſuſne ſecanda
Oſſa dedi ferro, mihi cum ſponderet acutos
Morſibus horrendis ars ſollicitata dolores?
Immotis oculis & cruribus, inque ligatus
Suſtinui ferri rabiem: nec pectore majus
Senſi alias robur, quàm cum actæ lamina ſerræ
Oſſaque, & incluſas penitus ſcrutata medullas
Dentibus, immani quateret mea viſcera morſu.
Quo tibi, Chriſte, olim prætexam nomine culpam,
Si paſſum graviora, levi jam colla pigebit
Suppoſuiſſe jugo, quo terris aurea vænit
Libertas nobis, & cœlo dedita merces?
Dum toties quaſſata malis, & feſſa medelæ
Auxiliis, faciles rennit mihi tibia greſſus,
Impatiens, reſides curas quæ grata foverent,
Pabula quærebam; veſania turpis amorum
Mente recurſabat, Reges, & bella ſubibant:
Heroumque Ducumque animos & facta juvabat
Tum legere, & rerum ſimulachra, per otia, paſci,
Immemor haud tales vitæ mihi munus in uſus
Conceſſum, feſſæ menti fomenta petebam.
Ire dies tardos, & lentis paſſibus horas
Pigrari, & ſolem in longum tardare querebar.
Optabam raptus Helenæ, vel Phaſidos ignes
Auſonio patrium fugientis remige littus.
Actaque Romulidum, vel facta inſana gigantum.
Scrinia perluſtrans puer impiger, ocyus arcas
Excutit & pluteos nequicquam; nulla ſupellex
Id genus: ô hominum tenui pendentia filo
Omnia! diva manus rerum momenta regebat:
Angulus occuluit duo forte volumina, multo
Pulverulenta ſitu, cumulatoque obſita fumo,
Quæ latebris educta ſuis rapuere legentem:
Luminibus cœpit paulatim offuſa levari

Converſionis initia ex pia lectione.

Caligo,

Caligo, &, quid ſit, potui cognoſcere, virtus.
vera virtus ex lectione piâ ei apparet.
Quippe mihi non illa ferox, non torva videri
Amplius, aut qualem demens per ſomnia miles
Fingebam galeâ inſignem, criſtaque comanti,
Martiaque oppoſito protectam pectora ferro,
Hac vexilla manu tollentem, hæc arma rotantem,
Quæ juvenum antevolans turmas per cæde cruentâ
Spumantes fluvios, per ſtrata cadavera campis,
Duceret ad fragiles, victorum præmia, lauros:
Aſt alios vultus & apertæ frontis honores
Cernendos dabat: incedens pulcherrima virgo,
Supra hominem juxtaque Deum, quem nota ferentem
Tela crucem, paribuſque agmen monſtrabat in armis,
Meque nihil mortale ſonans ita voce monebat:
Aſpicis hunc quo caſtra Dei ductore moventur,
Cujus & audito vel nomine nutat Avernus?
Dux præit ille tibi, ni degener arma ſecutus
Altera, militiæ ſolemnia vota retractas.
Erige ſpes cœlo, merces ubi certa manebit,
Hic ubi palma frequens, lauruſque æterna vireſcit,
Quæ coit in ſe ſe, & pulchro curvamine ramos
Inflectens, diadema facit, victriciaque ambit
Tempora certantum, & feſſis umbracula præbet.
Hoc de te ſperare dabat memorabile nomen
Ignati! quod pulchro ideo ſortitus ab igne eſt.
Nuper opes, & amicitias, & ſplendida Regum
Munera, & æternæ præconia vivida famæ
Spondebat fortuna potens, quæ digna laborum
Præmia perſolvit? te vulnere ſtravit acerbo,
Et forſan graviora parat, jam numen ab orco
Te revocat, licet immeritum producere vitam,
Et tamen hanc animam vanis impendere rebus
Non refugis, ſummoſque iterum perferre labores?
Hîc paſſos graviora legis, ſed cauſa ferendi
Nobilior: merceſque, Deo, nimis ampla, probari.

Quare age, te socium nostris adjunge catervis;
Si qua mali facies, inimicaque prælia surgant,
Dux animos addet, sociorum exempla juvabunt:
Nusquam abero, tacitum inspirans sub pectore robur:
Hæc virtus: sed enim vitiis assueta voluntas
Mota licet, tamen usque sequi constricta negabat:
Captivo assimilis tracto per rura leoni,
Cui nemorum convexæ umbræ, visique juvenci
Implacidas fauces, & libertatis amorem
Exacuunt; vinclis fert impetus ire solutis,
Sed domitum tenet invexâ cervice magister;
Haud secus impositâ attritam mihi compede mentem
Prædator multis Stygius frænabat ab annis,
Captivo primum injiciens innoxia collo
Licia, mox nervos sceleri robusta libido
Addiderat, tandem ferri vis dura subegit
Immani servire jugo: quid multa? carere
Mors erat assuetis, primum & dediscere ritum.
Ergo ætas patriis frustra foret acta sub armis,
Doctaque equum versare manus, vel cernere ferro?
Quid dux Naiarides? tot spes in flore peribunt?
An vitam in sylvis, spelæique abditus alvo
Degam more feræ? nec in ipsa laude juventæ
Majorum decora ampla sequar, qui lampada tradunt?
Aut aulæ penetrabo sinus, lias factus ad artes?
Ergo mihi lucis fugitans, & tetrica virtus
Sola comes veniat, pœnas quæ verbere duro
Exigat, & sacco horrentem in loca sola releget?
Aut longo exilio tractus telluris obire
Imperet, & rigidis corpus collidere saxis?
Tu fœdá illuvie distentos pascere vermes
Sustineas? tu tartareis concurrere monstris
Æmulus Antoni audebis? tu tegmine crudo
Loricæ Willelmi instar, circumdare corpus?
Nam quid agis præceps? Cereali munere dives
Thara-

Anceps obluctatur voluntas.

Prava consuetudine firmata.

Cui pristina studia.

Et exempla lecta factorum. Occurrebant.

Tharamides, pecorisque fuit, consedit eburneo
In solio David: quid ni componere censum
Lege licet, votisque tuis imponere fræna?
Abscede, & rerum curam molire tuarum.
Nec tamen hæc animum moles objecta laborum
Terruerat: nobis nec inexuperabile visum
Militiæ genus, aut nimium metuenda subibat
Conditio: quidni præstare, aut ferre recusem
Quod similes induti artus patria ossa, torosque
Mortales potuere, Dei munimine freti?
Mox terræ revocabat amor trans æthera vectum,
Fluctus uti sæpe alternans urgente notorum
Agmine, nunc puppim sublimem ad sydera tollit,
Nunc subductas, hiansque aperit sub gurgite valles,
Illiditque vadis; sic me quoque mobilis æstus
Curarum exercebat agens, dubiumque tenebat:
Tandem causa meum victrix extorsit amorem
Expugnatur, eque dedit. Qua melior, sedit animo sententia, nugas
Excutere; & studiis majoribus ire per amplum
Virtutis stadium, & Solymis mihi figere metam,
Vis nisi major iter tantis præcluderet ausis.
Apparet oranti beata Virgo. His animum incensus, veneror de nocte silenti
Virginis effigiem supplex, oroque sequestram
Præstet opem: nullam esse mihi cum Marte profano,
Sed pugnam mecum graviori cum hoste gerendam:
Respiceret tantum, atque ratas spes esse juberet.
Vix ea: cum mugire solum, trepidare fenestræ
Incipiunt, summique quati laquearia tecti:
Excessisse reor Stygias è pectore pestes
Hoc sonitu, tanto testatas murmure; numen
Hospitium antiquum, & cordis subiisse penates.
Nox iterum fuit, & sacrum pia mater in ulnis
Exhibuit natum: indicio quo clarius ullum
Vix homini spectare licet, sic ora ferebat,
Sic oculos Deus ille puer genitricis honesto
Infusus

Infusus gremio, tantumque in metre decoris
Instar, ut auroram vincat splendore; Deamque, *Quæ cadu- carum rerum amorem abstergat.*
Si divina fides admitteret; ô dea certè!
Hinc mihi quæ cæcis mortalibus aurea fulgent
Lumina gemmarum, tinctive oriente lapilli,
Duratæque Aquilone nives, variataque venis
Marmora sordescunt: vidi meliora beatæ
Lucis in aspectu, & nova per fastidia dixi:
Vivite res hominum, vacua & peritura suppellex,
Spectra colorata, & mendacia splendida rerum,
Quæ mentes malefida solent perstringere dulci
Illicio, fictâque boni fulgere sub umbra:
Nil mihi vobiscum, spolia & ludibria mortis!
Sat Marti, mundoque datum, sat dura cruorem
Armipotens Bellona bibit: sic prælia pensat,
Bellantem stravit: tua per vestigia, Christe,
Tuta via est, nec nulla venit certamine merces,
Altior è casu jam cœpta ingentia verso.
Obstitit ardenti duplex mora: læsa negabant
Figere crura gradum, firmoque insistere nixu: *Duplex superat impedimentum.*
Talis amor tenuit, qualis cum sæpe volucrem
Aere suspensam fallaci glutine viscus
Detinet, aut laquei plaga nexilis impedit auras
Captantem frustrà, & patrii laxa atria cœli,
Explicat hæc totas, Zephyrorum ad flamina pennas,
Audentem non illa levant, pars vincta retentat.
Pes compes mihi claudus erat, circumque cubile *Primum cruris debilis.*
Tentabam fulcro adjutus vestigia tardi
Lenta movere gradûs, quoque olim assueverat ætas
Prima rudimento, gressus meditarier artes.
Ne tamen impendenda Deo momenta perirent,
Depictas variâ distinxi luce colorum
Virtutum facies, & quos duxere triumphos
De vitiis, quæ me relegentem exempla movebant
Arma parare animo, paribusque accingier ausis.

Alterum fratris retardantis.

Altera frater amans fuerat mihi causa morandi.
Ille voluptatis parcum, saturumque notavit
Militiæ, spretisque mihi jam seria cordi
Esse jocis, nisi cum vulgi ridenda venirent
Arbitria, & stolidæ mendacia splendida plebis.
Nunc avido ardentem cœlestia carpere sensu,
Nunc precibus, vigilemque piis incumbere pensis
Audierat, fratremque ratus divortia mundi
Moliri tacitum, verbis compellat amicis:
O mihi sola super patriæ virtutis imago,
Ut te lethiferis salvum, germane, periclis
Accipio! scis quantum in te pro parte recumbat
Lojolæa domus, quantum sperare dedisti
Communi amborum, genitori, ut nobile nomen
Demissum à proavis per te clarescere auctum:
Hactenus armorum tenuit te gloria palmis
Intentum, cunc animi vis marcida languet?
Namque (fatebor enim) non ægrum vulnera tardant,
Sed tristis pietas, gravibusque exercita curis:
Quidquid id est, nostri per vincula sanguinis ora,
Per genus antiquum, sacrumque Parentis amorem,
Parce decus gentis mandare ignobilis oti
Desidiæ: mox te Martis rediviva reposcent
Prælia, Naiaridesque tuus, qui vindicet armis
Captam arcem, & nostris Gallorum examina terris
Excutiat: te ne huic dubites adjungere cœpto?
Polliceor voti memorem, stirpisque, domusque,
Nec genus indecorem lapsa virtute futurum.
Ut primum firmis potui consistere plantis,
Naiaridem nostro libuit prætexere furto,
Officiique vices: specie sed functus inani
Incautos linquo famulos, & liber aperto
Æquore camporum potior; laxantur habenæ
Quadrupedique, animoque ut eant, quo jussa vocarint
Cœlica: jam primi sensum mens læta laboris

Abstu-

Abstulerat, vireſque ſupra firmabat euntem.
Acceptam ſtatui poſthac in debita vitam
Vertere ſupplicia, & fletu conſumere noctes,
Virginis uſque memor: nam dux mihi certa ſalutis,
Duxque viæ, Serrati alto de culmine montis
Sustulit ipſa facem, & ſignum prætendit eunti.



LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

NARRARE *pergit Ignatius, ut in Monte Serrato prioris vitæ labes eluerit, profanæ militiæ arma appenderit, vestes cum mendico commutarit, [illegible] Peregrini se accinxerit. Præterea quid Minoressam [illegible] sus contendenti moræ sit à viatore ob exutas v[illegible] injectum: deinde quid Minoressæ egerit, quid opp[illegible]tionis ac vexationis à cacodæmone sit passus. Ta[illegible] hac narratione in Marci Antonii animo admirationem excitavit, ut is velut virum sanctum veneratus fuerit, ac eum omnibus humanitatis officiis prosecutus sit. At Humilitatis memor Ignatius ex eo hospitio clam omnino se subducere cogitat. Errans per urbem in veterem amicum Venetiarum tunc inquilinum incidit. Hic eum, ad visenda Ascensionis Christi solennia, quo die Veneti mare ex more desponsant, educit, totum in curam absolvendæ peregrinationis intentum. Hujus copia factâ per Venetiarum ducem, ad dictam profectioni diem febre tentatur, quâ neglectâ, nullaque hærentis adhuc in visceribus pharmaci habita ratione conscensurus navem, ad portum se confert. Admissis in prætoriam navim ad Cyprium cursum comparatam, vexatur primum tempestate stomachi, potione medica fluctuantis; qua sedata, juvante numine Cretam attingit, obnitentibus necquicquam dæmonibus.*

AD MAJOREM DEI GLORIAM.

IGNA-



IGNATIADOS
Liber Tertius.

Dum gradior, ſe ſe Maurorum è fæce nefandâ
Adjunxit comitem, infectus fuligine vultum,
Sed mentem magis: (has peſtes Hiſpania dudum
Cogitur in gremio quamvis invita fovere)
Maurus erat; quid plura? pilus caput aſperat hirtum,
Villorumque ſeges ſummis in naribus exſtat:
Introrſum turpes oculi, altoque latentes
Orbe procul, torvâ ſpectantem albugine terrent.
Ille igitur ſe ſe, dum tramite tendit eodem,
Qualis erat, reſerans, furialis ſpicula linguæ
Vertit in auguſtos magnæ Genitricis honores:
Sed, niſi conſultò meritos præverteret ictus
Curſu habilis, ſuadebat amor maleſanus inultum
Non ſinere, & ferro ſceleratam abrumpere vocem:
Demens, qui tali auxilio, & mortalibus armis
Deffendi Divam, & fuſo gaudere putarem
Sanguine! nec tamen his ſe ſe dementia metis
Continuit, ter ſubductum fuit impetus hoſtem
Virginis, effuſis in curſum attingere loris,
Et fœdum mactare caput: quid enim impius iret
Prædator, nec ſacrilegæ convitia linguæ
Dilueret? ter compreſſis revocatus habenis
Hæſi animo; donec tandem ſententia ſedit,
Arbitrio ut ſtarem pecudis: (mirare ſtuporem,
Marce, meum?) ſi ſponte ſua, quà Maurus abiret,

Pergit narrare vitam Ignatius. Maurus ſe ei ſocium adjungit qui in Conceptionem B. V. debaccatur.

Se ferret quadrupes, certæ hinc oracula cædis
Acciperem, cœloque virum damnante litarem;
Sin bivii fauces alias injussus abiret,
Magnum in cæde nefas, cœlo prohibente putarem.
Tunc sibi permissus quadrupes, mora nulla, viarum
Accipit hanc, quæ trita minus, quæ secta maligno
Limite; cum planum, qua se subduxerat alter,
Attritumque pateret iter: tum denique sensi
Haud quaquam nostras superis suadentibus iras
Surgere, meque reum noxæ, & rationis egentem
Increpui: tua me, custos, tua dextra regebat,
Angele! nec solus Balaam vocalis asellæ
Profecit monitis, morum vitæque magister
Impediit quadrupes facinus, quod pronus inibam,
Sessoremque suum casu impendente levavit:
Dum callem legit angustum, breviore monebat
Carpere iter gyro, & frœnis constringere mentem,
Quæ rectæ fræno docili rationis egeret.
Hinc mihi cura fuit, superato culmine montis,
Instaurare animum, veterisque ibi linquere vitæ
Exuvias, ceu vere solet, senio obsita serpens
Mutatis blandum solem juvenescere squammis.

Mons ferratus.

Rudibus incisis mons tollit ad Æthera sacrum
Religione caput, nomen cui nobile fecit
Serratus, forsan, latiæ si vocis origo
Accipitur, rigidis passim quod rupibus horrens
Serrarumque modo, densatis undique pungens
Muricibus, duro laceret vestigia morsu.
Quidquid id est; montem vicino æquavit Olympo
Virgo Parens, primosque novis cumulavit honores,
Dum templum, & templo se se super ipsa locavit;
Namque ferunt reliquis illum præ collibus unum
Posthabitis coluisse plagis: hîc illius ædes,
Hîc aræ, cultusque frequens: huc supplice voto
Turba ruit, nescitque pati damnata repulsam.

Non

Non longe patrio veniens à fonte Pyrenes
Per scopulos Robricatus iter, perque invia rumpit;
Virginis obsequio credas fervere fluentum,
Et famulo sedem blanditum allabier alveo.
Hic ubi per rupes molli me semita cursu
Extulerat, lætos herbis subsidere tractus
Sub pedibus sensi, & nemorum frondentia latè
Attolli capita, ac scopulis inserpere ramos:
Mirabar quæ vis flores, quæ gleba foveret
Cautibus in mediis; unde hæc tam pinguia saxo
Viscera, luxuriesque hortis fœlicibus æqua,
Virginitatis honos & amœna subibat imago:
Illa quidem nec prole domos, nec civibus urbes
Ditabat, viduatque suis mortalibus orbem
Haud fœturæ habilis, cunctas tamen altior anteit
Una parens virgo matres, enixa potentem
Ipsa Deum, una sui genitrix & nata parentis.
His super attonitum Divæ simul excipit ædes
Hoc fundata jugo: spatiosum excurrit in æquor
Planities; duraque hominum tractabilis arte
Passa loci natura manum est, operumque laborem.
Vestibulum ante ipsum tundebam pectora planctu,
Sæpius ore terens saxum; grandesque pluebant
Ex oculis guttæ: serum violata dolorem
Singultus dabat, & veteris contagia culpæ
Hæc custos templi aspiciens, cur pectoris æstu
Spe quæ, inquit, dubiâ superùmque hominumq; parenti
Invidiam facis? an ruptis te cautibus horrens
Territa ista loci faciens? non saxea virgo
Corda gerit, lachrimisque hominum mitescere novit.
Hæc fatus, pulchram effigiem spectare jubebat
Nitentis manibusque viri pedibusque, ferinum
In mortem, (Guarinus erat) quem sospita virgo
Serrati præses reptantem erexit, & ultrò
Monte sub hoc, magnæ virtutis ad ardua vexit,

Virginitatis imago.

Templum B. Virginis.

Ad quod tremens Ignatius accedit.

Motus Guarini exemplo qui author claritatis loco fuit.

 Quare

Quare age, si scelerum pudeat, patet omnibus ara
Intus opem, veniamque ferens: donaria cernes
Apta tholo circum, & miseros testantia voti
Damnatos: succede adytis, & me duce divam
Concilia, quæ prona sinum tibi pandit eumdem.
Dixerat, & multo correptus numine ad aram
Sistor, ubi matris simulachrum & virginis almæ
Constiterat, quæ vix oculis libata, citatos
Elicuit lachrimarum imbres: dumque ora resolvo,
In gemitum voces abiere, & defluus humor
Clausit iter precibus, terque est frustratus hiantem.
Tum compello senem voce hac: Pater, abripit æstus,
Nec vacuum est, nec fas Divæ dixisse salutem,
Quam cupio; sensit senior, quæ corda procellæ
Intus agant: tristes opus est componere curas,
Et facile, inquit, erit; tantum ne fracta residat
Spes veniæ: nec enim desunt qui pectora lustrent,
Tabificasque animi labes qui flumine vivo
Procurent, pacemque & aperta serena reducant.
Confessionem init peccatorum. Nam quid agam rerum potius? tres ordine soles
Condo recognoscens vitæ delicta prioris,
Per totidem senior patientem accomodat aurem,
Conciliatque Deum: & mentis dum tristia pellit
Nubila, dat puros in Virgine figere vultus.
Annua solemnem revehebant sydera lucem,
Arma appendit ad aram B. V. annunciatæ Virginis tempore. Quâ Virgo primum mater, qua clausus in alvo est
Mortalis Deus: hanc ritu traducere miles
Castrensi, statuique novis effulgere in armis.
Aureus exuitur balteus, radiataque bullis
Cingula, dein sagulus, cristæque, ocreæque nitentes,
Figendusque tholo lateri subducitur, ensis;
Vix me servo mihi: succedunt crassa vicissim
Tegmina, saccus obit corpus, tum Spartea plantam
Fascia, relliquiis morbi superantibus ægram.
Vertice detecto, nudo pede, fune revinctus,
Inni-

Innixusque manum fulcro tornatilis orni
Pervigil ante aram, quàm nox ea longa cucurrit,
Juravi, figens oculos in virginis ora,
Ora, oculosque novæ natalia sydera vitæ.
Murice suffusam pallam, atque rigentia multo
Texta auro posui ; spolia hæc accepit egenus,
Hæres fortunæ veteris : tritamque lacernam
Induor, haud mihimet notus : de canabe tortâ
Dives eram : sic me mihi plaudere, Christe, jubebas,
Quem quondam ereptum sceptris, opibusque paternis
Paupertas humili panno velamine nostri
Accinxit generis : (tanta est ea gloria) juvit
Veste referre Deum, paribusque nitere sub armis.
[illegible]nduit demissam habiles gestare per armos
[illegible]is horrentem tunicam, funemque volutum,
L[illegible]em ab torno baculum, contextaque sparto
Vincla pedum, tortamque hamula turgente lagenam.
[illegible]a meis solùm post hæc aptanda lacertis.
O lux luce omni potior, nec solis egena,
Quæ mentis pellit tenebras ! sic mille dierum
[illegible] habet lux una, sacris ex legibus acta.
Arma, quibus quondam merui ; suspensa quierunt,
[illegible]iles relliquiæ, & Martis monumenta profani :
D[illegible]que ea vel rodat rubigo, vel atterat ætas,
[illegible]atæ in melius pugnæ, balteique recincti
Argumentum ingens, & veri pignus amoris
Pendula sacratis donaria postibus extant.
Hic defixus humi, trepidisque altaria sensim
[illegible]llibus adreptans, has rumpo pectore voces :
Chara parens, si nomen adhuc dignare parentis,
Dum natum posui : mutatos aspice cultus,
Et cum belligero malesanos ense furores,
Sanguinolenta sacris defigo postibus arma ;
Ensemque & galeam, & reliqui decora omnia belli,
Virgo, tuas pugil appendo juratus ad aras,

Pernoctat in Templo.

Mutat vestes.

Subque tuis mereor signis: Bellona facessat,
Te miles ductrice novus bella altera pugno:
Sat gladio, furiisque datum: nostroque cruore
Gavisus nimium Mavors sic prælia pensat,
Et caras vigiles; me vulnere sternit acerbo;
Exprimit, ut lauros pingat, de crure colores:
Serius hæc si castra placent furiale secuto
Martis opus, belli species ignota meretur,
Quam posco veniam: mecum bella horrida bellans
Castigabo moras, & sanguine palma rubebit
Tincta meo: da, pacis amans, occurrere telis
Numinis irati, multàque ex cæde cruentam
Exarmare manum, & quidquid per membra caloris
Restat adhuc, vestro totus fervebit honori.
O domus, unde solent gemitus & vota precantum
Audiri, quos Virgo tulit per gurgitis æstus
Naufragio è medio miserans, portuque recepit!
Hic desperatis absumpta cadavera morbis
Languida gens trahit: huc cæci, claudique feruntur.
Me quoque per Stygias noxarum gurgite Syrtes
Naufragio ereptum, mersumque libidinis æstu,
Stella maris, revocas; pedibusque & lumine casso
Cernere das lucem, & vestigia figere recta:
Væ misero! si jussa cliens audire recusem
Jam tua; sed dextræ subeant oblivia, mentem,
Ni tibi tota manus, ni vox tibi tota laboret.
Tu mihi principium laudis, tu limes amorum,
Virgo semper eris, quæ prima salutis origo.
Talia dicenti reduces sol nocte peractâ
Ostentat radios, minorque cadentibus astris
Summa repercusso rubuisse cacumina Phœbo:
Auroræ timeo reditum, vetitusque videri
Teste die, accuso properatæ exordia lucis:
Una quies, lux una, diu cum matre morari:
Ut charo si forte sinu divel litur infans,
Plorat,

Plorat, & ingeminans matrem, ſolatia ſomni
Abnuit, aſſuetaſque gemens avertitur eſcas.
Vix è conſpectu Divæ genitricis & aræ
Avellor, medicamque manum ſenioris amici
Oſculor illachrimans, mecum nova bella movere
Certus, & inſuetâ pugnæ præludere formâ,
Hic ubi ſuppliciis & ſanguine tincta veniret
Palma meo, magnuſque mihi adverſarius irem.

Diſcedit è Monte ſerrato ac Minoreſſam pergit Rubricum ſecutus.

Vicinum intereà campum, quo ſe amnis agebat,
Ingredior: pacata diu veſtigia ferre
Non licuit, raucoque minax clamore ſatelles,
Quo te, ait? haſne inopi veſtes? namque, hactenus anceps
Suſtentata fides, miſerum, te teſte, levabit,
Aut premet: hæredem clamydis feciſſe repono.
Hæc plura his: ſimul inſontis miſereſcere caſum
Cœpi animo, quem ſorte malâ mea dona gravarent:
Nunc etiam prodeſſe aliis nil poſſe; reorum
In numerum per me innocui contage maligna
Cum veniant! ſic nequitiæ lethale venenum
Tranſiit in veſtes: ſuperi, ne ſpargite peſtem
Mecum unà, pœniſque luam mea crimina ſolus.

Rogatur an veſtes dederit egeno.

Hunc ego ſollicitus caſum dum mente revolvo,
Cœptam abrumpo viam, & tenui veſtigia flecto
Tramite, furtivoſque legens per devia calles,
Anfractus ſequor, errantiſque volumina rivi.
Meta viæ Minoreſſa fuit: permiſtus egenis
Victum obeo: domitare fame, auſteráque palæſtrâ
Talibus inſuetum corpus, rigidoque cubili
Excruciare placet; donec noctesque, dieſque
Trita labore cutis, ſuccoque exhauſta vigorem
Perderet, & macie lapſos adduceret artus.
In formam certamen erat, ne proderer ore
Mentitus ſortem obſcuram: ſpectare libebat
Proinde tuis, Rubricate, vadis quam ſylva comarum

Minoreſſæ ſe excruciat.

 Aſpera,

Aſpera, quam vultum illuvies mi ſic culta teneret.
Nec mihi ſic olim compto, nitidoque placebam
Troſſulus ad ſpeculum, ne quid peccaret in aulâ
Culta mihi facies, operoſaque cura capilli
Sollicitus; pulchrum hoc, Chriſto, ſquallore probam
Rebar, & illuſtris ſordeſcere pulvere belli.
Dux Erebi decus incultum, & pædoris honorem
Invidet, ac veteris ſpeciem aſſimilatus amici,
Compoſito vultu, & verbis mendacibus infit:
Quid fuit, ut patriam, & conſanguinitate propinquos,
Teque adeo fugeres? ô ſpes experte ſiniſtras!
En ſocios, en apta tuis natalibus arma,
Caſtraque, ſemiruti fumoſa mapalia tecti,
Mendicique greges, ſtabulataque tegmina fœdis
Vermibus: an nondum horrendi ſqualloris inertem
Pœnitet? aut mediis decurſi in ſordibus anni?
Nec ſpes militiæ, nec priſtina præmia duros
Reſpicis? aut lænæ mentis triſtiſſima damnas
Conſilia? antiquæ ſtat janua pervia laudi,
Tu modò verte animum, & dignos te concipe ſenſus.
Penè fidem dederam verbis, cum perfidus author
Diſplicuit, ſubitoque redux lux reddita menti eſt.
Hoſpitio felix humili & centone videbar,
Nec male pauperie comitatus: adire frequenti
Templa prece, & multis altaria ſpargere votis
Vitæ ſumma fuit; ſed nec locus hoſte vacabat.
Exhibuit numerum annorum, ſeriemque laborum
Artificis ſcelus, & pepulit formidine mentem,
Hæc fatus: reſtant luſtris tibi luſtra peractis
Plura ſuper, curſu in medio Trieterida denſam
Ante oculos cernis; multi menſeſque, dieſque
Volvendi ſuperant; pigræque citata ſenectæ
Tempora prævertis, non ulla incommoda frangent
Scilicet, aut miſeræ parcent tibi tædia vitæ.
His ego: tune poli volvens ſeptemplicis orbes,

Oppugnatur ibi à cacodæmone variè. Objecto vitæ melioris inſtitutæ terrore.

Sæcula

Sæcula dispensas? Stygiis cane talia regnis,
Et capiti generique tuo; succumbere pulchrum
Duco equidem, gratoque mori sub fasce laborum.
Acrude donatus ne fors mihi tyro viderer
Inspoliatus adhuc, neu me mala gaudia mentis
Abriperent, quibus inde dolis crudele pararit
Exitium, haud facile expediam per singula dictis.
Mente recusabant maleactæ conscia vitæ
Tempora; agebatur mens suspiciosa per omnes
Noxarum species, & se impediebat amaris
Nexibus, involvens diversum in crimine crimen:
Multa putat, majora timet: patiebar in alto
Pectore, quæ subeunt pelagi discrimina Nautæ,
Cum decimo obsessos fluctu, & latrantibus undis
Torquet agens gyros vortex, nec sydera monstrant
Aut ars ulla viam: nec pax sperata revisit
Luctantem mecum, & turbas mihi mille cientem:
Nunc ubi me implicitum curis, ac me mihi centum
Vincula nectentem, & conantem solvere sensit,
Tum facilem in casus movet, hortaturque ruinam
Callidus, ac suasit carni subducere succum,
Sontibus & venis totum exhaurire cruorem:
Non puduit (sed enim facilis Deus omnem acerbum
Vertit in authorem) miseræ fastidia vitæ
Suggerere, ut fractis animam cervicibus arcto
Mandarem laqueo, aut summi de culmine tecti
In præceps ruerem: quid enim desponsa morarer
Supplicia, inferni mox victima certa barathri?
Sic purgari auras, terramque hac peste levari.
Turbine in hoc, quæ spes miseros postrema relinquit,
Adfuit, & furias animi in prærupta ruentis
Avertens, periisse vetat; quamquàm anxius & me
Vix patiens, non dona priùs contingere mensæ
Institui, quam pax animo quæsita rediret.

Desperatione.

Immoderato jejunio.

Proti-

Protinùs incipio jejunos condere soles,
Propositique tenax contra indignantia pugno
Viscera: jamque dies lustrabat septima frugis
Expertem, & duro confectum membra labore:
Tum Superûm Interpres, mentis pius arbiter ausum
Castigat, prohibetque cibo fraudare cadentis
Relliquias vitæ: jejunia protinus escis
Abrumpo docilis, mox & collecta fugari
Nubila post hyemem, & motos subsidere fluctus
Sensi animo; ac, si dona licet divina fateri,
Non aliàs cœlo manarunt plura liquato
Gaudia, nec visum toties se prodere numen.
Ex illo non ira minax, instructaque telis
Ribaden. in vita Ign Fata fidem excutiant, quamvis tabularia nullas
Servarent voces, superumque oracula chartæ.
Nec tamen exausti fuit hæc mihi meta laboris:
Me capere illecebris pulchra ad spectacula suevit
Tartareus serpens, dum picta volumina caudæ
Explicat, & vanæ mendacia splendida formæ:
Cœlitùs at postquam stupor abstitit, ausus adulter
Insidiis iterum noto subsidere monstro,
Non impune tulit; solvebam ex more Tonanti
Rite preces fluvii ad ripam; veterator amico
Mapheus in vita Ign. In speciem arridet vultu meditatus; at illum
Crux signata manu refugum dare terga coegit,
Unde animo virtus, & pulchra audacia crevit
Ex illo, quoties se pestis ad ora referret,
Fuste citare fugam, timidæque illudere larvæ.
In specu Minoressana exercitationes spiritus obit. Haud procul exesi se se in penetralia montis
Scrupea condiderat spelunca, latusque tenebat
Ore patens modico densis quod vepribus horrens
Vallabat nemus, & sepem prætenderat hirtam:
Incolatum rupis, vitæ qui finis habendus,
Meditatio de fine hominis. Erudior, quas ipse Pater mortalia corda
Finxerit in curas, quæque ad commercia cœli

Sustule-

Sustulerit victorem animum, terræque, suique:
Nauta velut fixam æternis obtutibus Arcton
Æstum inter pelagi, & ventos transversa frementes
Sedulus observat; dubio sic turbine rerum
Dum premimur, nec habet sors desperata levamen,
Una salus cœlo fixos attollere vultus.
Quàm malus æthereos cives abduxerit error, *Meditatio de peccatis Luciferi.*
Nunc patriæ extorres regionis, & æthere cassos
Nosse datur; cæco partim clauduntur Averno,
Uruntur que rogis; partim confinia terræ
Astrorumque tenent; nec secius aere sparsos
Pœna sequax premit, & sua secum incendia portant. *De inferno.*
Nec minus exitium horrendum, mortesque recordor
Humani generis: quot humo volvuntur in ima
Ardentes animæ, vivacis pabula busti:
Et scelus hac mercede placet, cæci que fovemus
In gremio causas pœnarum, & numinis iram?
Hæc inter volvenda diu, noctuque cucurrit
Hebdomas: ast reducem ad superos dedit altera Christum
In patriam antiquam; hic nostræ vestigia gentis *Meditationes secundæ hebdomadis.*
Errabunda Deus miserans, quò flectere cursum,
Qua deceat tentare viam, & succedere cœlo,
Edocuit vitæ ducentis ad astra repertor,
Rex superûm, Rex idem hominum, & fortissimus author.

Talia narrantis Marcus dum pendet ab ore,
Multa dies abiit; mensas properare jubentur *Paupertas & humilitas faciunt ut inde se proripiat quasi ibi periclitentur.*
Mox famuli: sed delicias & lauta perosus
Fercula, quemque prius non declinarat honorem,
Ardet abire fugâ, Marcumque relinquere furtim,
Itque salutatum; cur gratia nulla sequatur
Promeritum? sed contra obstat jurata Tonanti
Paupertas, quæ sparsa auro laquearia tecti,
Cortinasque thori mollem spondam pictasque tapetas
Expre-

Exprobrat, & tandem hesternæ convivia mensæ.
Talia teste Deo virtus contenta recusat:
Ecce parabantur magnæ solemnia pompæ,
Luce recurrenti, quâ Christus nubila supra
Invectus solisque vias, sua regna recepit,
Atque triumphato per dira opprobia fato
Designavit iter, quo postera turba sequatur
Ponè ducem, patrioque redux succedat Olympo.
Non secus ac teneros cupiens educere fœtus
Nido Aquila, ignotasque vias, tractusque docere
Aeris, & primos per nubila ferre volatus,
Se vibrans super hos volitat, passisque trementes
Suscipiens alis, in cœlum innoxia tollit.
Perge age, Lojolides, læti comitantur euntem
Aligeri, simul ante alios lætissimus omnes,
Atque triumphanti similis, similisque micanti,
Præcipuâ qui sorte datus comes Angelus astat.
Tunc quoque Dux Venetum, & clari lux prima senatûs
Thetyos imperium sponsis sibi vindicat undis
Jure rato: dedit hoc summi vox arbitra rerum
Pontificis, magnique audita est fœderis auspex.
Namque ferunt fudisse hostes hac luce Zianum,
Et Petri dubitasse ratem, quas prenderet auras,
Donec apud Venetos tutâ statione receptus
Rector Alexander captum spectavit Othonem;
Hinc sua victoris manui pulcherrima merces
Annulus accessit, quo Dorida munere rector
Conciliet, sponsamque perenni dote maritet:
Qualia connubia, & quales celebrare hymenæos
Annuus hic mos est, priscique ea moris origo.
Extulerat sol ergo jubar provectus ab undis,
Hic ubi magnifico ducendam Dorida cultu
Comebant vitreis Nereides antè sub antris:
Ipse maritales visurus ab æthere ritus
Liquerat humentes thalamos Rex ætheris alti.

Desponsant mare Veneti Die Ascensionis Christi. Hujus rei origo.

Solennibus hujus diei interest.

Aëra

Aëra mulcentes ſonitu, miſcentur in unum
Hinc litui, inde tubæ, ſummi mirabile donum
Pontificis: quis tantum animæ prælargus anhelet
Pulmo potens, auraſque queat pulſare refractas?
Argumenta ſonant pompæ, plauſuque reſultant
Colles litorei, & mugitibus aſſonat Echo.
Ipſe triumphali perlabitur æquora curru
Neptunus pater, & madidis molitus habenas
Inſtat equis, mare qui patulis è naribus efflant.
Cæruleus glauco ſequitur Portumnus amictu:
Portumnum antevolat nativo murice tectus
Humentes Triton humeros; & proxima circum
Littora, dum feſtos inſtaurant cornua cantus,
Æmulus inflatis reſpondet ad omnia conchis,
Et madido Nymphas humentes evocat antro:
Tum Panope, Panopeſque comes circumdata conchis
Pectora tortilibus, queis fecit nomina Cochlis,
Cymodoce, atque Hiale, & flavo Galatea capillo
Ludibus exercent lætum juvenilibus æquor,
Muſco omnes, glaucis velatæ veſtibus omnes,
Omnes Cyaneis evinctæ tempora vittis.
Tum Venetum ſe pompa frequens, & ſplendidus ordo
Myſtarum prodit, quos undique carbaſus ambit
Textilis argenti, & Phrygiâ depicta Minerva:
Mox ſequitur trabeâ auratâ dux inclytus, inter
Regum Oratores: poſſit rex ipſe videri
Purpureus, ſi ſceptra manu geſtaret, & orbem
Vertice regiſicum; ſi non faſtigia curvus
Detorqueret apex, metæque habitaret acumen,
Ponè patres, proceresque gravi veſtigia tarda
Majeſtate legunt, urbiſque inſignia geſtant.
Velorum ſub nube latet conſtrata frequenti
Flore maris facies; magnæ decora urbis, & omnes
Admittit populorum undas: ſtat nobilis Argo
Puppe coronatâ, feſtiſque parata triumphis,

Invitat-

Invitatque ſinu venientes: pontibus olli
Succedunt, naviſque cavâ conduntur in alvo.
Patritiis tum fœta viris, cœtuque verendo
Bucentaurus ovat (ſic illam nomine dicunt)
Quam circum innumeræ dextrâ levâque biremes
Mole gravem ſtipant: feſto fremit Adria plauſu,
Signa canunt, tormenta ſalum diſploſa ſalutant,
Reſponſant regno exciti Tritones ab alto,
Cumque viris læti coëunt in fœdera vocum.
Ordine remorum quino navale relinquit
Ad numerum provecta ratis, longèque ſequentes
Vulgi oculos rapit, à tergo dum ſurgat aquæ mons,
Eripiatque urbi conſpectum, & chara ſuorum
Pignora, fœdifragis qui fluctibus omnia credunt.
Lojolides, quamquam ipſe animo ſpectacula Chriſti
Æthera ſcandentis, nube attollente curuli,
Hauſerat incertæ ſub prima crepuſcula lucis,
Non tamen hos hominum penitùs faſtidit honores:
Spectanti comes hoſpes erat, per ſingula doctus
Interpres fari quæcumque ex more geruntur,
Ut medium patuit pelagus, revolutaque prorâ
Anchora mordaci fundavit dente carinas,
Lecta manus juvenum, quibus eſt certaminis umbra
Totus amor, belli ad ſpeciem colluſit in undis.
Hinc atque hinc numeroque pares & viribus æquæ
Fronde coronatæ placido ſtant æquore naves.
Atque ubi perſonuere tuba, ferit æthera clamor
Nauticus, & pulſis ſpumant freta fervida roſtris.
Utque ſolent, dum vera ineunt certamina proræ
Illidi proris, & tranſtra tenacia tranſtris,
Inque vicem ſibi conſtringi mordacibus uncis;
Haud aliter ſaltu in puppim pars corpora librat,
Invaditque foros; roſtris pars ſubmovet hoſtem,
Deturbatque aditu; creſcit diſcrimine robur:
Nec fuga fit, repetunt pulſi, pugnamque, locumque
Acrius

Acrius instantes, quos provocat ultima virtus,
Hostili dum signa rati victricia figant.
Inflectunt alii cursum; spatioque remenso
Pugnam iterant, iterantque & ludicra prælia tentant:
Setotis certant obnixæ, alternaque partes
Damna creant, referuntque; diu victoria nutans
Fluctuat, ancipiti quò vergat nescia casu.
Prælia vera putes, nisi quod tormenta revulsas
Non frangant laterum tabulas, neque ludicra fœdet
Transtra cruor; nusquam fractis carchesia malis,
Scissaque vela natent alto ludibria ponto,
Nullæ vulneribus victæ, pelagoque triremes
Submittant latus, & lacera compage dehiscant:
Tum, quibus incumbit, proceres solemnia dicunt
Carmina, consuetis superos placantia votis,
Annuat ut Deus, & connubia rite secundet.
Tum sacra Adriacam sponsalia dicit ad undam
Margine stans summa princeps, aurumque jugale
Leniter emittit digitis, quod protinus haustum
Insequitur juvenum manus æmula, docta palæstram
Æquoris, atque imi scrutatrix turba profundi:
Hos fluctus, jamque hos fluctus, omnemque recessum
Gurgitis explorant, nil jam vitalibus auris
In pelago debente animâ, & retinente sub undis
Auri avidam sine lege sitim; ceu forte manerent
Præmia, projectæ jacturam æquantia vitæ.
Interea volvenda dies en attulit auram
Optatam: armari classem, Cyproque parari
Dedita fama refert: multis comitantibus alto
Sanguine Patritius, Venetum quò jura teneret,
Ibat eò prætor: mittebat Gritius urbis
Rector & imperii, quod Cretam & Cycladas ultrà
Usque sub extremos pelagi protenditur æstus.
Hunc Lojola adiit: non janitor arcet egenum
Assimilis domino, miseris cui rebus asylum

Meditatur profectionem Hierosolymitanam.

Ducem adit impetrandi causa.

Est domus: ipse hominum causas tractabilis audit;
Cui sic Lojolides: tua nox, Dux inclyte, dudum
Nota peregrinis virtus ad limina sistit:
Unum oro, me sustineas ad vela paratâ
Tecum classe vehe, cum spes hæc ultima restet.
Annuit his Ductor: sed quæ discordia rerum!
Cum venti faciles, hominum cum prona voluntas,
Cumque favent maria, & firmæ data copia navis,
Morbus obest: intus diros exsuscitat ignes
Et venis furit, & totos depascitur artus
Febris anhela; rigent alterno frigore membra,
Mox sudore fluunt: fastidia lenta fatigant
Languentem stomachum; torret sitis improba fauces.
Cum profectio instat febre tentatur. Major cura coquit mentem; venere frequentes,
Aspectu quos ille suo fraudabat, amici
Hoc erat: ajebant, votis quod sæpe precati
Vicimus, ut cursum trans æquora longa paranti
A superis veniens fieret mora: mitte labores,
Quos iter augebit: nec te furare quieti.
Cur Solymam Europæ præfers? huc omnia numen
Transtulit: illa exhausta jacet: tot bella, salutis
Delevere notas: Christi vestigia Turcæ,
Si qua super, fœdant: semesa videbitur urbis
Præda tibi, quam barbaries saturata reliquit.
Ingrati superant cineres, & vana sepulchri
Gloria: tumulo venit mors ipsa, sacræque,
Quæ steterant, monumenta necis furor impius hausit.
Est Christo cœlum urna, suos ibi condidit artus,
Lethiferis scriptos vibicibus; undique in illam
Prospectus patet; aut vivo si corpore pasci
Appetis, apponunt epulandum largius aræ
Depromptum potiore penu: vis tela videre
Victa quibus mors est? spinas, clavosque, crucemque
Roma tenet, titulumque decus prælustre triumphi:
Fac tamen hæc absint, alioque videnda sub orbe
Inviten

Invitent cernendi avidos, quis navita tutò
Deferat an neſcis triſti mare fervere bello?
Litoraque atque oras circum volitare furentem
Otthomanum? num capta recens Rihodus impulit
aures?
Inſula frænatrix Turcarum, & nobile noſtris
Præſidium turmis, totque arcibus inclyta ſervit,
Probroſum perpeſſa jugum; vix illa quievit
Tempeſtas, madidiſque oculis exaruit humor,
Et tantæ oblitus cladis, meditaris in æquor
Currere, ſanguineâ noſtrorum decolor undâ.
Quò periturus abis? quò te tam dira libido
Mortis agit? vel acerba volas ad vincula certus,
Vel ruis in ferrum præceps, abſiſte pericli
Hoc tentare genus, quod te ſubiiſſe pigebit.
At contrà Lojola refert: grave nomen amici
Dictorumque fides: ſtimulis at urgeor intus
Judæam petere, & cœptos abſolvere curſus:
Nec dum pœnituit facti, licet aſpera ventis
Obſtiterint maria, & nullo non moverit hoſtis
Arma loco, ſuperata omnis fortuna ferendo eſt,
Et vicenda manet: quamvis ſe rebus iniquam
Styx inimica ferat, tamen hactenus omine fauſto
Inveni per denſa viam diſcrimina, quid nunc
Deſperem? ſegneſne manus, aut verſa Dei mens,
Ne juvet auxilio, neu numine cœpta ſecundet?
Mors aut vincla maneat? quæ tanta pericula narras,
Percellunt pavidos; telis mihi pectus apertum eſt:
Colla manuſque placet truculenti nexibus hoſtis
Inſerere, aut virgis uri, ferrove ſecari:
Talibus authoratus eo: vox illa reliquit
Infixos animis ſtimulos, puduitque morantes
Segnitiæ, quos nulla tenet laudanda cupido
Sordibus affixos terræ, & ſublimium inanes.
Venit & Hyppocratis Magni degente vetuſtâ

Cous homo, & longo Venetis ſpectabilis uſu
Archigenes, viſoque ægro, nec multa moratus,
Corporis hos, inquit, motus peperere redundans
Bilis, & ex crebro ſtomachi collecta labore
Lent[illegible]dens pituita: feret properata levamen
Potio, quæ ſucco herbarum medicata potenti
Abſtergat vitium, inſinceraque viſcera purget,
Et mox ingrato juſſus ſorbere cululло
Mixta Meliphylla, atque aſperrima Centaurea,
Telluris fel febrifugum, triſtemque ſaporem
Impiger ore trahit: primos vix pectore motus
Gutture trajecta in ſtomachum medicina ciebat,
Tum tuba dat ſonitum, & totam fert fama per urbem
Solvere navali claſſem prætoris, & alas
Velorum ingentes ad commoda flamina pandi,
Tentarique viam: quæ vox ut venit ad aures
Lojolidæ, ſine me ergo ratis ſpes unica curſûs
Ibit, ait nec te Solyma! exoptata, videbo?
Dixerat, & celeri tendentem ad littora greſſu
Incaſſum revocant precibus, lachrymiſque morantur
Agmen amicorum, rurſus meminiſſe jubentum
Non maris incerti diſcrimina, vimque furentis
Otthomani; ſed fœta necis diſcrimine certo
Viſcera: nam cui par ſtomachus, cœloque nocenti
Incluſoque malo? ſubito ne funere claſſem
Inceſtet, triſtique animos formidine turbet:
Pareat imperio medici, quid in æquora ſecum
Deferat exitium? rapuerunt nubila jactos
Sparſeruntque ſonos: contra ſalvere jubebat
Ipſe urbem, & memorem quot quot fecere merendo
Corda virum: fluctus, inquit, quos pectore volvo,
Vitæ auſpex authorque viæ componet, & æſtum
Gurgitis irati: ſin occido, numen amicum
Credo equidem veniam culpæ dabit; eluet unda
Vorticibus ſcelus, & marmor luſtrale piabit:

Fluctuante in ſtomacho potione medicâ profectionem parat alacriter.

Dix

Dives erit nostrûm, si sit maris urna, sepulchrum.
His inflammatum studiis, & abire parantem
Non ullæ potuere preces, non fletus amantum
Sistere: sed mœstis affatu hæc jussa supremo
Sic dabat: assiduâ ut freti pietate studerent
Conciliare Deum, mentesque intendere cœlo:
Sacro stimulis urgeri ac voce Tonantis
In scelerum pœnas & justa piacula, corpus
Exercere malis, Solymæas donec ad aras
Mactandum sese, feralis ut hostia, sistat.
Ille autem: si mente foret tam certus eundi,
Ac ne moram traheret, firmis dum viribus artus
Constarent, flagrante recens vix febre recepti,
Dum cœlo caderet brumæ intractabilis horror,
Et zephyri pelagoque fides secura redirent.
Unus at heroi clypeus fuit omnia contra
Tela retardantum, cœli fiducia, spesque
Nixa Deo: Ecquis inops dum numine dives amico est?
Et dubitamus, ait, nostri dimittere curam?
Tandem digrediens partitur colla viritim,
Collaque pectoraque, & patriis amplectitur ulnis.
Diva potens, inquit, geminum dare jura per orbem,
Nunc quoque grata mihi Serrato ex monte recurrit
Excubiis vigilata tuis nox prima recentis
Militiæ, lex illo quæ me discrimina jactent
Nota tibi, & nostræ tetigerunt te quoque curæ
Jam patrios propero ad fines, gnatique, tuosque,
Auspicii ne me vacuum felicis abire
Alma sinas: duce te syrtes & naufraga saxa
Ventorumque minas tuto certamine vincam,
Nascentem primâ visurus origine solem:
Hæc mihi meta datur; fas ut sit tangere, frustra
Quæratur nostræ melior cynosura carinæ,
Certior aut Helice: tantum aspice, diva, clientem
Conciliaque Deum, & faciles mihi spondeo cursus.

Hæc ubi dicta, moram increpitans illudit amaris
Navita cunctantem dictis: en ultima classis
Gloria venit, ait: solvi retinacula, Prætor,
Præcipe, ni fæces forsan terræque moraris
Quisquilias omnes, objectæque agmina plebis:
Accipiat sentina virum, nam quis locus alter
Sordibus? haud alium posco, placabilis infit
Lojolides: sed enim nautam compescuit hospes
Ære dato, amplexuque ægre divulsus amici est.

Dure ob moram à nauta acceptus.

Littore defixos desolverat anchora morsus
Lecta manu validâ, pandæque ad texta carinæ
Ludere consuetos fluctus jam probra secabat;
Damnati ad remum longo stant ordine sontes
Tergora nudati, notisque ad sibila jussis
Intenti: fluit irriguus molimine sudor;
Ad numerum tollunt merguntque in marmora remo
Composito, certàque secant vada cerula lege.
Ardua dum longæ percursans transtra triremis
Exactor, varioque celer se limite vertens
Sævit inexpletum, numerum nec verbera norunt.
Et tamen hæc inter, nautarum incondita cœlo
Carmina jactantur, primique celeusmata cursus.
Obruit hæc prætor festo clangore tubarum,
Concentu meliore jubens in vota vocari.
Divinæ virtutis opem, nautisque secundum
Jesseidæ matris malefida per æquora sydus:
Exulat hinc nomen Veneris, licet omnis olim
Credita fœlicis, tunc cum malesana vetustas
Mirata est pelagi spumam, cœloque sacravit:
Hinc dictæ leges vectoribus; omnis abesset
Impuras oris, si cui piceata, rapaxque
Aut violenta manus, speraret verbera centum,
Centum humeris plagis; totidemq́, qui jussa magistri
Sperneret, aut juris fieret contemptor, & exlex.
Addidit & Prætor, vetitum si crimen ab ore

Navigationis initio, solennes conceptæ preces.

Et leges positæ vectoribus.

Excide-

Exciderit, vocem in fauces hæc sica refundet.
Audivere, quibus non hæc ad carmina callum
Obduxere aures, sed quos oblivia recti
Jamdudum tenuere, notis portanda dederunt.
Loyolidem intereà vis intempesta profundi
Dirius exercet, stomacho dum mobilis humor
Fluctuat, & vires cognatâ assumit ab undâ.
Tune, Deus, cui cura pios servare, nocentes
Plectere & in melius, quæ sunt vitiata, referre,
Aspicis hæc, nec pestem ægro de corpore pellis?
Anne ea sors hominum, quos vitæ prodigus ardor
Exilio mutare domos, perque aspera ponti
Insuetas tentare vias pietatis amore
Impulit? exemplo Raphaël, medicina Tonantis
Dexter adest, lectâque hortis cœlestibus herbâ,
Cui nigrâ radice, nivi flos concolor exit,
(Moly vocant) ægrum relevat, succoque potenti
Roborat, unde novus gliscens vigor, & sua cordis
Alta salus vires stomacho, membrisque quietem
Restituit, quæ nusquam animo violata recessit:
Tum pectus saniem fundo molitur ab imo,
Et pestis concreta diu penetralibus altis
Egeritur: tanto mirum est superesse labori
Robur adhuc animumque viri qui talia fatur;
Primus ego, Superi, primo hoc pro munere grates
Debeo; dum salvâ stat in omni parte carina,
Nec dum præcipites rumpunt vela procellæ,
Tum mihi tempestas, & præsens mortis imago
Ingruit, at salvo melius sperare dedistis,
Vosque mihi spondent hæc prævia dona secundos.
Dum salis Adriaci placidum percurritur æquor,
Paule, subis mentem hoc quondam jactate profundo,
Cum permissa ratis cœco fluitare magistro
Post varias ventorum iras, & prælia tandem
Applicuit Melitæ, dexterque exinde rogaris

Ignatium male habet pharmacum in stomacho fluctuans.

Medetur ei Angelus.

Egesto malo grates agit.

Inter navigandum in mari Adriaco sancti Pauli ibi jactati olim meminit ejusque opem orat.

Aſpicere hanc, tua quæ relegit veſtigia retro:
Flectere ſic ſuperos, ſic conciliare laborat.
Jam provecta raris paçata per æquora curſu
Pergit inoffenſo, niſi vis Acherontica ſiſtat.
Tempus erat, quo Tartareis emiſſa catenis
Tiſiphone præ ſe morbos & vulgus agebat
Profectioni obeſt pestis. Peſtiferum, natuſque ſui procul ore parentis,
Et nati procul ore pater deſerta per arva
Peſte minutatim tabentia membra trahebant.
Vim primam ſenſere feræ, labente volucris
Deficiens pennâ, & morbo moriturus inerti
Concidit, imò opere in medio miratur arator
Ignavis tardos ſulcis langueſcere tauros.
Quin rabies cum morte venit, numeroque jacentum
Aucta lues, vivis inhumata cadavera paſſim
Aggerit & tumulos renuit poſcentibus umbris.
Indefleta jacent, ſolitiſque ex more negantur
Corpora funeribus; vepres inhonora, ruboſque
Opperiunt, vitiantque auras; hinc inde vagantur
Indotatæ animæ, & leges ſervare ſilentum
Tandem indignatæ, tumulorum jura requirunt.
Parte alia metuenda orbi vis Turcica ſævit:
Vis & turcica. Et jam Chriſtiadum circum tentata fremebat
Clauſtra furor, latéque metu compleverat orbem.
Captâ luna Rhodo, veteris ſuper æra coloſſi,
Cornua tollebat, ſolemque è ſede fugarat
Magnanimoſque Equites, noſtræ munimina gentis.
Cædibus his aliiſque recens ſucceſſibus auctus
Rex Erebi acceſſit proceres, qui nubila circum
Conciliabulum cacodæmonum. Aëre diffuſi volitant examine denſo,
Conjurati omnes diſcrimina ſpargere mortis
Per populos, ſocioſque horrendæ adjungere ſorti:
Conveniunt variæ peſtes, quibus ille miniſtris
Utitur in pœnas hominum; non aëre grando
Crebrior, aut nimbo intortum ruit agmen aquarum:

Non

Non secùs ac posito si pœna aliena dolore
Mitiget hærentem lateri, flammamque sequacem.
Aptantur diversa simul commixta ferarum
Ingenia, & varii confuso in sanguine mores:
Vulpibus admixtæ tygres sirenes hyenis,
Vultusque absimiles, nec simplex corpus in uno
Corpore; sed variis coalescunt monstra figuris.
Lucifer hoc cœtu, sellâ candente resedit
Ductoris speciem mentitus & ora superbi
Cui surgit geminum de more ad tempora cornu: *Præses lucifer.*
Qualia post Caliphæ Genevenses symbola nummis
Signarunt, in Romuleæ ludibria sedis.
Audiit hoc toto clades quas orbe ferebant, *Audit suorum tetra facinora.*
Seu qui bella cient genii (quæ maxima turba)
Seu qui nequitiæ vitiis, corrumpere pulchræ
Otia pacis amant, vel qui contagia fundunt
Morborum in vulgus, diræque examina mortis,
Et qui mille dolis certant illudere cœlo.
Tollere tunc fastum, & palmas numerare suorum
Tartareus Rector, digitoque attingere cœlum;
Assurgensque, pedem veluti Borealia supra
Fixisses capita, aut summi fastigia Olympi,
Captabat plausum, & turbæ gratantis honores:
Quà tellus porrecta patet, quà liquitur, inquit,
Oceanus, mihi thure calet, mihi sanguine fumat
Ara frequens, captæque replent mea retia gentes:
Jactu uno cum plebe ducem, qui pensilis hamo
Palpitat, implicui: majus jam prodere robur
Pallantesque placet barathro detrudere stellas.
Olli ventoso conceptum corde tumorem *Quod diluit Behemotus diabolus ex Ignatio metum injicens.*
Non expectatâ Behemotus voce repressit,
Lampada fumantem quassans, motansque superbis
Igniferum diadema comis, sicque ora resolvit:
Magna quidem jactas, verum jam plurima victi
Vidimus exempla, & nimium meminisse necesse est,

En cruce Franciſcus ſolâ, laceroque cucullo
Horribiles telis, & denſo milite pugnas
Suſtinet, a matamque Stygem debellat inermis;
Quin nudo certat pede, pertuſamque lacernam
Ictibus opponit. ſolaſque in prælia turmas
Ductor agit, quibus it paupertas teſſera bello,
His ſuperat caſtris, & ſpes interficit orci
Unus homo, ac denſi vir ſtrenuus agminis inſtar.
Hinc adeo vereor quò ſe primordia vertant
Militis inſueti, quem vitæ exorſa prioris
Ignatii. Pertæſum mirâ virtute retexere ſenſi:
Dejicite attollentem animos, dum prælia tentat
Prima, nec in vires virtus robuſtior ivit.
Ille Stygi infernæ (ſi quid præſaga videt mens)
Natus in exitium, ſuperas, quas liquimus, arces
Pervolat ante diem, atque animo prævertitur aſtra:
Aut nullo tangi, aut majore perire juvabat
Vulnere; nam plagis fœlix & Marte ſecundo
Saucius, in melius greſſumque animumque retorſit
Altior à caſu, & vires à clade reſumpſit.
Limine jam primo, campis ſpatiatus apertis
Heroas magno prætervolat intervallo:
Chriſtiadum quantis tollet ſe gloria rebus,
Si quos ille animos noſtras adhibebat ad artes
Impiger, in melius referat, curſumque reflectat?
Vidimus, ut crudo bis ſollicitata dolore
Tibi, vix læſi fragmenta revinxerat oſſis
Artifici reparata manu; ſub poplite tantum
Unum exerrabat; ferro dedit ille ſecandum,
Tuberc ne turpes ocreas pateretur iniquo:
(Horreſco referens) quò lentius, hoc mage dirum
Tormenti genus immutabilis, inque ligatus
Suſtinuit; pavor exanguis invaſerat artus
Spectantum, ſolus nullam dedit ore querelam,
Non gemitum ferro oppoſuit; ſed milite tanto

Quæ

Quæ ſteterat, ſpes lapſa jacet: nam prima recinxit
Arma, pedem caſtris referens, atque altera dixit
Sacramenta, alio certus ductore mereri.
Verti omnes me me in facies, nil fraudibus actum
Hactenùs, abſceſſi baculo mulctatus, & expers.
Ipſe ego pugnator ſignis ſigna æmula primus
Opponam, atque arma armis: ſtat veſtigia nuſquàm
Ferre retrò; ſi forte cadam, cecidiſſe juvabit,
Si ſuper adverſas acies fœlice ruinâ
Corruo, & ex ſummis ſpatia ad poſtrema revolvo.
Horruit his Erebi ductor, magnoque remugit
Inſanus tonitru, & dignas ſe concipit iras
Infredens animis: teſtor Cocytia, dixit,
Regna, ſtygiſque lacus, & ſceptra facemque potentem,
Quam teneo, ſi numen habet ſuperoſque ſecundos
Lojolides, robur mihi numen, & ira, furorque,
Et rabies cognata animis, innataque virtus:
His ſociis, teliſque potens, non ſegnis adempti
Vindex juris ero, vobiſque in bella præibo.
Attremit huc, talique Chaos ſonat omne boatu.
Aude aliquid vægrande prior, quod ſera laboret
Credere poſteritas, geminúſque exhorreat orbis:
Nam partus decrevit honos: quæ faverat auſis
Æqua tuis quondam, celeri fugitiva receſſu
Defluxit, retróque procul veſtigia torſit
Ignavis fortuna negans ſubſcribere votis:
Altera jam tibi pars periit, pars altera mundi
Nutat adhuc, tamen ignavus ſuſpenditur enſis
Olim cæde madens, qui jam rubigine pulſa
Emeritum revocat Martem, ſeque expedit ultrò.
Necte dolos armis, & te ſemel utere toto.
Nonne vides Acheronta peti, lucemque propinquam
Affore, quâ niveis invecta jugalibus orbem
Aurea pax, Romana fides. Themis alma reviſat
Dux Erebi intereà non impiger ordine ab omni

D. Hieronymi.

Aucto-

Mali genii mitantur, qui cursum navigationis perturbent.

Auctores scolerum, pacemque inhibere paratos
Deligit: erumpunt alacres: nam prona cadebant
Sidera per tacitum, & meditando accomoda furto
Tempora restabant, quæ nox devexa ministrat.
Audierant venisse virum, quem fœdera tetræ
Gentis in exitium longè promissa reservant:
Audierant, nec vana fides, ter nempè sub undis
Horrendùm tremuit cæco domus alta meatu,
Ter stygii fremuere lacus, & turbine anhelo
Ignea flammarum resonans incendia misit

Quod agunt conflata violenta tempestate.

Sulphureis Cocytus aquis, æstumque reforpsit;
Itur in occiduos fines, ubi nubibus altis
Stat Zephyri prætenta domus, circum undique latrant
Inclusæ ventorum animæ, & luctantur in arcto.
Ac dum rector abest, ventosi turgida claustri
Impellunt latera, & convulsa repagula laxant:
Erupêre cavo glomerata examina fratrum,
Quos pestes acuunt Stygiæ, properoque recessu
Antevolant, nixæ horrendùm stridentibus alis:
Rupe velut mediâ crabronum examina fumo
Per latebras undante vapor turbavit, apertis
Funduntur speculis, cæcique repente feruntur
In pugnas, solisque facem spisso agmine condunt.
Tum de cœlo ales: Quæ tanta licentia vobis,
Mundi proluvies? supera ad convexa reverti,
Aeriam infestare plagam, & miscere tumultus
Audetis? faxo æthereum vos fulmen ad umbras
Rursùs agat, ni sponte fugâ prævertitis iram.
Sic ait: illi autem se se subducere furtim,
Ceu caudam lupus infrendens ad terga retorquet
Hirsutam, vacuoque dolet discedere rictu;
Sic licet horribili Styx invida ferveat irâ,
Post hiemes tandem varios lux reddita Cretam
Monstrat; eo fessi rerûm, functique procellis
Devexere ratem: mendax hìc Græcia quondam
Mon-


Monſtrabat loca Dictæi cunabula Regis,
Idæasque domos, operoſaque texta laboris
Dædalei, & ſolitas ſi qua effugere ruinas,
Antiquæ monumenta manus (nam ſplendida regna
Queis centum ſteterant urbes, nunc rura coluntur)
Lojolidem tamen unius veſtigia Pauli
Defixum luſtranda tenent, cum præſcius olim
Venturæ in fluctus hyemis dare tela vetabat
Jonii maris in curſum: ſi Paulus amanti
Non dedit oblato ſe cominùs ore videndum,
Æhereo ſaltem afflatu, vel contigit igni.
At male Cretææ ſociis mora profuit oræ
Oblitis votorum illic, quæ plurima in alto
Caſſa volant fluctûs inter, lethique timores.
Inſula læta ſitu, curas ſolvente Lyæo,
Priſca voluptatis menti ſimulachra reduxit,
Illecebraſque, hilareſque choros: rediere ſolutâ
Fronte venus, Bacchuſque vorax, comiteſque furores.
Hic laſciva thorum mulier ſpurcare jugalem
Dicitur, & vetitæ corpus permittere tædæ:
Infames tumuere ſinus, & tempore juſto
(Mira, ſed haud dubiis annalibus eruta prodam)
Septena exiliit proles meretricis ab alvo:
Imperioſa timor res eſt: exterrita tanto
Relligio, famæque timens, mox deſtinat undis
Viscera dira parens, mortisque in imagine tota eſt;
Sed pietas animum frangit, nomenque parentis:
Ter conata vagis demergere pignora lymphis,
Ter pigræ renuere manus, lachrymisque decoris
Irriguæ maduere genæ; ſed rurſus, ut audax
Facta metu eſt, matrem ſimul exuit, & ſimul egit
Carnificem, & ſeptem premit uno funere natos:
Fortè viam tenuit, vagitumque auribus hauſit
Rex miſerans: ſed jam pueris turgentibus undâ
Lumina monte natant: ſupereſt ex omnibus unus,

S. Pauli iterum meminit Ignat.

Cæteri genio nimis indulſere.

Mira duo ex annalibus Cretenſium.

Quem princeps ſubducit aquis, mortique paratæ:
Parve puer, tibi larga poli indulgentia ſpondet
Grande decus, te ſceptra manent, patriæque corona.
Hic quoque ſævit adhuc ſpiranti in marmore pulchra
Palladis effigies, qualis per Achaïcarura
Exercebat equos, ridetque intacta procellas:
Nam licet indociles rupto de carcere venti
Præcipitent, madidaſque inclinet Aquarius urnas,
Dum ſata volvuntur pluviis, & feſſa madeſcunt
Brachia ſylvarum; & fluitat ſeges humida campis,
Diva Jovem ſpernit: ſtant circum imbresque, nivesque
Attonitæ & ſacros horrent contingere vultus.



LIBER



Liber Quartus.

PROFECTIONIS HIEROSOLYMITANÆ.

ARGUMENTUM.




N vitâ certavit Ignatius cùm militibus, qui lascivo correpti spiritu fœmina pudicitiam oppugnabant; narrantur turpia inter navigandum Nautarum flagitia per fictionem Poëticam benelongam insulæ voluptatis versus Cyprum, ad quam appulisse finguntur, unde eos reduxit Ignatius, sicut à pessimis consiliis, quæ consuetudo peccandi dederat; porrò Nautarum crimina non ferenda putat Ignatius, & nd Prætorem defert, tantumque sibi inde conflat invidiæ, ut nefarius quidam cum Naviculatoribus consilium inierit deportandi hominis in desertam insulam: quod & peregisset, nisi advertisset Deus, & navis cursum, quò primùm destinabatur, in Cyprum convertisset, sicque omnes in gratiam reduxisset cum Ignati

quò

qui demissa ibidem prætoria ulterioris peregrinationis studio ad eum Cypri portum se confert quo peregrinorum Hierosolymitarum turba solet solvere. ibique navem exoptato conscendit: nec sine periculo, quod in Palæstinam superabat, iter absolvit; Tandemque Joppitanum portum tenet, & Terram sanctam salutat.



LIBER



Liber Quartus.

IGNATIADOS



Amque fatigatus devexo sole viator
Constiterat scabræ exceptus sub fornice rupis,
Fessaq; vix primum libarant membra soporem,
Cum turbata quies: at enim Cocytia turba
Invidit, vetuitque leves producere somnos.
Mira fides rerum! pariter, tectique sub uno
Hospitio adversæ posuere cubilia partes,
Hinc cœli, hinc Erebi, certissima semina pugnæ.
Namque equites gemini, Veneris quos ardor agebat,
Prædæ avidi, certant nocturno illudere furto:
Post calices, verbisque animos furialibus auctos,
Protinus irrumpunt thalamos quâ virgo petulcis
Visa oculis, scelerique recens devota patrando
Allicit: haud gravius rabies innata luporum
Exertis inhiat perituræ faucibus agnæ:
Illa pudicitiæ formâ & virtutis honestæ
Rara laude tenax, vilique à sanguine ductum
Exuperans genus, audaces virtute repellit
Plusquam fœmineâ, & junctis ne victa duorum
Viribus una cadat, numen super omnia poscit:
Conditor invalidi sexûs, & tutor honoris,
Dux Virgo, tuque ô Custos, servate pudorem!
Non frustrà hæc sonuere, leves jactata per umbras
Nomina; Lojolidem vox edita desuper urget,
Stertis iners, nec te vicina pericula tangunt?

Ignatius vim arcet à fœmina per noctem oppugnata hist. soci.

Fœmina vim patitur, dum te ſopor altus inertem
Detinet; his dictis flammæ melioris amantem
Suſcitat adverſum afflatos Phlegetontide tædâ:
Ergo ardens ſtipula horrenti, fœnique maniplis
Abripit excuſſum ſe ſe, quò dira querentis
Clareſcunt ſonitus; ſubeunti limina flammæ
Naribus abſiſtunt oculiſque: ac fervidus infit;
Non pudet, ignavum Martis genus, agmine facto
Imbellem ſexum petere, & male fortia corda
Armatos tentate viros? ſi promere vires
Eſt amor audendique movet generoſa cupido,
Luce palam, contraque hoſtem, quem diſtinct agger,
Exercere animos: medii vel in æquore campi
Occurſate viris: nunc quam Victoria laurum
Artibus his quæſita dabit? non bellica conſtat
Gloria fœmineo in caſu: procul eſte, pudendæ
Militiæ labes, Mariſque ignava propago:
Ergo colis armate manus, aſſumite Mitras
Pro galeâ, ſi fœmineum certamen amori eſt;
Aut ſi tanta manûs fiducia, condite ferrum
Pectore in hoc, medium quod veſtris enſibus unus
Objicio, turpis pugnæ nodumque moramque:
Non illud lorica trilix, non ferrea vallant
Tegmina, contritam morti prætendo lacernam,
Nec dubito vitam pro Virginitate paciſci:
Grandis honos, caderet ſi fœmina inermis & una
Armatorum equitum virtute doloque duorum;
Mitte metum, mulier; nunc te mea dextera fures
Defenſam contra dabit: hic, quod veſte latebat,
Sanguineis contextum hamis, nodiſque flagellum
Expedit, inque orbem rotat: olli vivida virtus,
Ignitique oculorum orbes, & fulmina linguæ
Turpia monſtra domant, & par infame procorum.
Haudque aliter tecto, Veneris genus acre, fugavit,
Quàm cum crine potens Samſon, & fretus inertis
Maxillâ

Maxillâ pecoris, totâ disjecit arenâ
Mille Philistæos; siccisque molaribus ortus
Fons dedit, unde sitim victor sedaret anhelus.
Dicite vos, Superi testes, ut serta paravit
Diva pudicitia, & florum perfudit odore
Stramina, fœtentemque casam: nam gloria facti *Maph. in vita.*
Hactenus obscuræ pressa est caligine noctis,
Et squallore loci: Vos, dum sua lumina Virtus
Exeret, & radios cum libera mittet in orbem,
Ne sinite eximiæ decus hoc abolescere laudis.
Intereà mulier tacita sub mente timores
Volvit: inoffenso veluti cum navita cursu
Per brevia & Syrtes pelagi, per mersa malignis
Saxa vadis, tamen incolumis mercemque ratemque
Detulit invitis secura ad littora ventis,
Tum demum optata portus statione quiescens,
Tranquillâ repetit vitata pericula mente,
Inque voluptatem transit timor, æquoris æstus
Jam ridet: meminisse juvat, quas pertulit iras
Contemptor ventorum animus, domitorque pericli.
Intereà victorque Erebi Lojola, suique
In mare conscendit, campoque excurrit aperto;
Sed Venus orta mari, vel, qui sub nomine spurcæ
Regnabat Veneris, Dæmon, numerumque dearum
Furtiva sub veste latens altaribus auxit,
Non tulit in patriis castos florescere mores
Imperiis, stygiáque dari de gente triumphos:
Mox blandis zephyrorum animas, mitesque procellas
Advocat, & navem vicina in litora torquet.
Vectores subito exscendunt, celeresque reducto *Insula voluptatis versus Cyprum patriam veneris.*
Ponte ruunt, quà præda vocat, mollisque Cupido:
Lojolides unus custos ratis atque pudoris
Deflebat comitum sortem, precibusque levabat.
Oceano in magno, placidis quà fluctibus æquor
Pacificum dicunt, medio levis insula ponto

Suberis in morem, ſubvecta fluentibus undis
Innatat, incertoque ſitu, quà ſubmovet aura,
Fluctuat huc illuc (nomen dedit ipſa Voluptas)
Hîc laſciva volant levibus perjuria pennis,
Hic habitat nullo conſtricta licentia nodo,
Et flecti faciles iræ, vinoque madentes
Excubiæ, luduſque frequens, & gratus amantum
Pallor, & in primis titubans audacia furtis,
Ludorum genus omne, & non ſaturata voluptas.
Hìc mundi juvenile decus, tranquillaque veris
Regia, ubi cives placidæ mera gaudia vitæ
Carpunt curarum vacui, ignarique malorum.
Hinc metus omnis abeſt: ſuſpiria triſtia longe
Diffugiunt; reſonant citharæ, blanduſque Cupido
Molliter in ludos improvida pectora ſolvit:
Ultro rura micant, manibus quæ ſubdita nullis
Perpetuum florent, Zephiro contenta colono.
Nectar & Ambroſiam tellus inarata miniſtrat,
Fluminaque æternis homines æquantia divis.
Vivunt in Venerem frondes, omniſque viciſſim
Arbor amat, nutant ad mutua fœdera palmæ,
Et platani platanis, alnoque aſſibilat alnus.
Hinc procul indociles dare ſomno lumina curæ,
Atque odium, miſeraſq; premens mens anxia mentes.
Hîc habitant diſcincta ſinum de more fluentem
Gaudia, fallaceſque joci, nutuque benigno
Frons, vultuſque loquax, & greſſibus otia tardis;
Hîc levitas rationis inops, & prodigus auri
Luxus, & ebrietas teneris redimita corollis:
Totaque nectareo perfuſa liquore voluptas:
Quin pinnata cohors, hinc inde ſequuntur amores,
Armati faculiſque manus, humeroſque ſagittis:
Quos inter volat hic niveo ſublimis olore,
Hic picto pavone ſedet: levis ille columbæ
Terga premit, freniſque docet ſubmittere colla.

Hunc

Hunc portat fluvialis anas, hunc Phasidos ales:
Strymoniam regit ille gruem, quam calce fatigat:
Omnes ne nimia vultum sol luce coloret,
Picta serenatæ obtendunt umbracula fronti. *Amores vulnerant.*
Cumque aliquem adventare vident, mox tela pharetris
Depromunt, nixique genu sibi quisque sonantem
Inflectunt arcum, aut flagrantem lampada quassant,
Ne quis ab intortis innoxius exeat armis.
Personat omne nemus; sed non admittitur ales,
Ni probet ante suos Divâ sub judice cantus:
Flebilis Actæas iterat Philomela querelas, *Aves.*
Milléque blanditias vocali è gutture ludit,
Dum cantu incestæ condemnat Terea flammæ
In sola dumorum parva argutatur Achantis,
Aëriæque canunt, Veneris tutela, palumbes.
Ver quia perpetuum est, non est ibi veris hirundo
Nuntia; sed medio pendet sublimis inani,
Et dulces iterat modulos; non carmina turbat
Turdus edax, picusque loquax, & aquaticus anser:
Hic a silet, vespæque tacent, ranæque loquaces:
Non ulula infœlix cantu, fœlixque volatu
Nyctimene hic habitat: non improba provocat imbres
Vix animam positura novem per secula cornix;
Sed blandum nemus omne sonat, Cyproque relictâ
Iucundas inter corylos, hic frigus opacum
Captat *Amor*, si novit amor frigusque, morasque
Qui vacuam premit inflexa cervice pharetram,
Consumptis, juvenum malesana in pectora, telis;
Nec tamen ignis abest, flammas Puer intulit audax;
Nec metuit, ne corripiant incendia sylvas.
Quisquis venit, amat: quercus & cortice moto
Adventum sensisse putes, cunctæque salutant *Voluptatis*
Pronum inflectentes, præsentis ad ora, cacumen. *Palatium.*
Ad latus ampla domus se se spectabilis offert,

Vera voluptatum, & mundi fallacis imago:
Vitrea tecta patent, fulvoque astricta metallo
Stellati speciem referunt laquearia cœli,
Lætaque mentitis spargunt incendia lychnis.
Tota domus jubar astrorum specularibus amplis
Excipit; illa moram Phœbo factura, cadentem
Detinet, admissamque negat dimittere lucem.
Quidquid planta premit, vel ebur, vel sectile crustis
Nobilibus marmor, vel fusile fulgurat aurum.
Ipsa manu tenerâ tectum pinxisse Voluptas
Fertur, & Idaliis unxisse cacumina succis:
Unde minutatim roseo de culmine sudat
Flumen odoratum, & pretiosum depluit imbrem.
Gratia mira loci: varia testudine fumant
Balnea, dulcis ubi passim sociatur amaro
Lympha mari: totisque rogus moderatus inerrat
Ædibus, & tenuem volvunt hypocausta vaporem:
Non, si Paianis venias novus hospes ab oris,
Talia despicias: his nec componere fas sit
Ammonem, quem fama refert sub noctibus altùm
Fervere, & in mediis rursum frigere diebus.

Oratio voluptatis.

Talibus invitant Genii, paterasque propinant
Melle soporatas, & amœno nectare divûm.
Mensa coronetur dapibus, quas pontus & aër,
Divite quas tellus gremio, luxusque voraci
Ingluvie flagrans, elementa per omnia quærit:
Huc ades, ô domitrix curæque, sitisque voluptas;
Funde merum pateris, omnes immerge Lyæo
Curarum fluctus: aliò deferte laborem,
Et planctum, & gemitus, atque inter mortua verba,
Ventorum obsequiosa cohors; procul inde facessat,
Si qua gravis nostris se cura penatibus infert;
Lætitiam, quà tecta procul se cumque locorum
Abdiderit, sequar, &, si qua possum, assequar arte.
Mens fruitur quodcumque rogat, licet una petendi
Men-

Mensura est, studiis quidquid feventibus ingens
Extremumque venit: nil jam superesse quod optet
Conqueritur saturata, & quo se se ipsa cibando
It magis, augetur magis, exuperatque voluptas.
Omnibus ad cumulum, & votum super omne potitur,
Nil studiis renuens, seu quod sit amabile menti,
Seu cupido quodcumque placet spectabile visu,
Aut avide hinc illinc conquirit ubique locorum.
Prodiga luxuries, & amans splendescere fastus.
Non ego, si Tuscus doceat, vel Doricus adsit,
Joniusque faber, mentique Corynthius ordo
Insideat, promatque omnem Vitruvius artem,
Tot decora & tantas valeam percurrere formas.

Hortus voluptatis.

Tessala laudantur Tempe, Bajæque tepentes,
Deliciis ubi grata fluunt & nectare semper
Flumina, ubi molles dependent arbore somni,
Ludus ubi, segnisque quies, & inertia degunt
Otia, & abjectis effræna licentia loris.
Hesperidas vates memorant, & Adonidis hortos,
Et quos sublimi suspendit in aëre dives
Assyria, & magnis celebrata Semiramis ausis,
Pomaque sopito male custodita draconi;
Sed majora vides: quippe hic amor unus in uno
Rerum opifex horto miracula mille peregit.
His favit natura locis, & victa colentem
Audiit, ignotos docilis mansuescere in usus.
Clivus erat, quæ plana vides: hæc lustra fuerunt,
Quæ nunc tecta subis: ubi nunc nemora ardua cernis,
Hic nec terra fuit: rupes amor arte magistrâ
Fomuit, nec saxa manum sylvæque recusant:
Flexilis ambiguo buxus cursu atque recursu
Mille trahit, retrahitque sinus, orbesque reflectit,
Obvius ipse sibi, sequiturque, fugitque vicissim;
Quamquam fixus humi firmis radicibus hæret,
Assimilat rivum, sinuosis vallibus anceps,

Qui refluas obliquat aquas, remeatque refusis
In sua terga vadis, dubiosque reciprocat æstus,
Non rarò artifices, hortensi & in arte peritæ
Accessere manus, ferroque secante comantem
Cædunt luxuriem, & spatio breviore coarctant,
Flexibus ô quantis, sua quos in fila cupido
Impulit, æternum tenet irremeabilis error!

Statua.

Arte laboratis vivunt simulachra figuris,
(Saxa voluptatem spirant) quæ Dedala sculpsit
Artificis manus: hic plantâ stetit alite sursum
Perseus ense minax, & cæsâ Gorgone victor
Tendit in Andromedam, formáque illectus amicâ
Monstrum subtùs hians vibratis territat armis,
Et tectus clypeo libratum pendet in ensem:
Illa pedes, rigidisque manus astricta catenis
Mollia per duras extendit brachia cautes,
Ultoremque suum caput inclinata benignis
Provocat illecebris, & fletibus excitat ignes.
Ante fores depicta vides spolia ampla superbi
Mavortis, qui sacra deæ perrumpere fana
Ausus, inauditis constrictus pectora vinclis
Præbuit irrisus sociis spectacula Divis.
Æneus haud longè solidâ stat mole Prometheus
Flammea dona ferens, & torridus igne capillos;
Qualis erat, cum solis equos & nobile furtum
Aggressus, rutilante faces subduxit Olympo,
Et primum in terras mortalibus attulit ignem.
Ad latus ex undis certamen respicit Ino,
Fœmina pube tenus, parvumque Palæmona dorso
Sustinet, ille hilaris, fultasque volumine caudæ,
Ora Deæ, manibus gaudet mulcere tenellis,
Blandùmque arridens invitat ad oscula matrem;
In lævâ surgit Triton, cornuque retorto
Spurca sonans, tumidum pedibus secat æquor equinis;
Et geminos patulis è naribus evomit amnes:

Barba

Barba comæque madent, in piſcem deſinit alvus.
Non longè ſedet armipotens cum Pallade Mavors
Converſis in ſe ſcopulis: hinc parte ſupremâ
Ætheris in Danaes complexus dives adulter
Deſcendit, furto pretioſo atque imbribus aureis.
Inde tenet fuſum Alcides, muliebriaque arma
Induitur, geſtans molli cervice mitellam
Armillas collo, & dextra languente flabellum,
Haud habitu ſibimet notus: ſupereminet omnes
Nuda ſinum ſtomacho tenus, atque evincta cothurno
Spurca Venus, ſimulacrum ingens, quod & ipſe Lyſippus,
Arte potens fudiſſe velit: nam cuncta tenorem
Servant membra ſuum; currunt per brachia venæ,
Oſſa, thorique tument, validique per omnia nervi.
Hinc atque hinc pugnata vides ex ordine bella,
Et Veneris ſpolia, & partos toto orbe triumphos
Pingere cura fuit vel prima vel una, laborque
Præcipuus, Venerem fornix, Veneremque lacunar
Exhibet, & Paridi vultu blanditur amico.
Sub pedibus verſæ centum cum turribus arces
Dejectæque acies, & fractis ſigna maniplis
Arma, haſtæ, vexilla, enſes inſignia belli
Omnia ſub plantis mixto cumulantur acervo.
Sed placet his vinci, & grata eſt victoria victo.
Quin etiam triſtes, immania corpora, gryphes
Cautibus affixi, &, ponti gens frigida, Phocæ
Rupibus in mediis norunt & fluctibus ignes.
Quid referam longè arboribus juga culta ſativis?
Nullam adeo ramis ſinit ars impune vagari
Ulterius, ſpatiiſque ſuis cum lege coercet,
Dum foliis viret, aut fœtu fœlice ſuperbit.
Nectare turgeſcunt, diſruptaque pectora pandunt
Ambroſiæ ficus, & hiante putamine mala
Punica diſtillant ſuaves per vulnera ſuccos.

Nec minus ad dextram cultus viret arbore pulchra
Saltus, ubi ſpirant argutæ frondibus auræ,
Sunt loca congreſſu celebrata, acceptaque feſſis
Seu juga, ſeu ripæ virides, muſcoſaque ſaxa;
His ſuper adverſo reſupinus ventre recumbit
Sopitoque graves perflat de pectore ſomnos
Incola, qui lauta ventrem dape fartus obeſum,
Iliaque extenſus, quaſcunque liguriit eſcas
Intulit, indulgens genio, pinguique polentæ,
Dum cibus oppleta fugiens ex fauce redundet.
Non longe piger eſt, parcus fugienſque laboris,
Pectore qui molli & contractis ſegniter ulnis
Enerves torpere ſinit, reſideſque lacertos.
Fontes. In medio fons aurifluis pellucidus undis,
Stridenti tubulo, quà plumbea fiſtula ſerpit,
Exilit è latebris, & iter rimatus apertum,
Fluminis in morem, contra luctantia pugnat
Vincula: nam non ille tubis diſſeminat imbrem
Multiforis, ſed abit rapido furioſus in auras
Impete, centenoſque canales æquat in uno,
Vincit & excelſas magnis aſſultibus ornos:
Humentes liquidum credas per inane ſagittas
Viribus exertis, ferrumve immane rotari,
Ni premeret ſua terga ſequax, ſulcoque perenni
Fœcundi fluerent æterna lege liquores:
Parte aliâ ſe forma oculis mirabilis offert;
Hinc fontes cumulos glomerant, & pondus aquarum,
Quà via declivis, quamquam & ſine lege videntur
Præcipitare gradum, dociles tamen usque feruntur,
Et curſus ex arte regunt, deſcriptaque ſervant
Intervalla viæ, & certis anfractibus errant.
Altera ſe laticum facies, inſuetaque prodit
Luminibus, quà parte patens ſeſe explicat Arctos.
Namque ſoli ſitus in formas tractabilis omnes
Declinat, præbetque locum volventibus undis,
Hic

Hic ubi mons ſteterat, paſſus latera ardua ſcindi
Signarique gradus, circumque vireſcere gramen,
Hactenus intentatum opus arti, operumque labori;
Humida credideris certo ferri ordine tela,
Queis cœlum natura novas edocta per artes
Appetit, & liquidis ad pugnam provocat armis:
Namque recluſa tubi ſpatiis æqualibus ora
Dimittunt undam teretem, ſimilemque vibratis
Miſſilibus, credas cœlo aſpirare fluenta;
Ars tamen indociles æſtus componit aquarum,
Metiturque viam: ſocio dejectior alter
Non premitur fluctus, reliquosque ſupervenit omnes;
Terminus incumbit, ſua ſtat menſura, modusque
Omnibus, ire ſuper metas, infraque negatur:
Cuique ſuus decor eſt fonti: ſublimis in auras
Hic ſalit, ille causâ tacitus ſub rupe quieſcit:
Hic concha innumeros dum pandit hiulca meatus,
Iridis in ſpeciem ſinuatos circinat arcus,
Chryſtallum & liquidam vitreo ſub fornice ſignat;
Inde per anfractus, & longa volumina currens
Irrorat plantas, præterque innoxia rura
Labitur, erranti ſimilis, floresque virentes
Parturit, aut genitis fœcundum ſufficit imbrem:
Dumque leves provolvit agens anfractibus undas:
Meſſibus hinc campos, hinc pingit floribus hortos,
Sic gemina hortorum pariter nemorumque voluptas
Hac nutritur aquâ, & pronâ cervice perennes
Purpureis potat labris dea Flora liquores;
At qua parte deeſt natura, & proxima nullis
Terra fluit rivis, vicino è gurgite ſurgens
Machina tollit aquas, & quos, natura negavit,
Arte facit fontes, ſiphonque immergitur omni,
Et vitreos latices avidis pulmonibus haurit;
Dumque rotam volvit fluvius, moleſque viciſſim
Depreſſa

Depressa erigitur, gemit axis; & impete prono
Inferioris aquæ, liquor ipse invitus inanem
Per tubulum assurgit, nativi ponderis expers,
Tum redeunt in se latices, cadit actus in orbem
Undique diffusus, labroque supernatat imber.
Frondea lux totis vernat circumflua ripis
Et tremulis vibratur aquis, dum molliter acti
Crispantur tenues modico sub flamine fluctus,
Non furit hic Boreas Corusque sonantibus auris;
Fas uni flare hic Zephiro, fas lenibus alis
Supremam irrigui frontem libare fluenti.
Sacra olim veneri vicino in fonte columba
Se lavat, & rostro arguto ceu pectine, collum
Percurrens, pennas relegit, speculoque liquenti
Explorat se se, & calamos pulchro ordine sistit,
Restituitque loco; roseæ mox æmula lunæ
Membra refert, primumque trahit mundata decorem.
Unis infidæ pellucent piscibus undæ,
Nil fundo latebrisque juvat reperisse recessus,
Illimi produntur aqua: quæ sternitur undis,
Infima per vitreos latices apparet arena.
Ac velut incautos pisces in retia mittit
Vel sua credulitas, vel iniquo semita ductu:
Atque ut vicinos timidæ formidine Mortis
Venator campos cingit, laqueosque tenaces
Mendacesque parat foveas, ut compede nectat,
Vel mactet ferro prædam, atque in tecta reportet;
Nexilibus sic corda plagis laqueisque dolosis
Fœmina deludit: sunt ferrea vincla lacerti
Verba faces, atque ora foci: quis in igne Pyrausta
Illæsus voliter, tractetque impune favillas?
Deceitanda mora est, hosti dare terga triumphus.
Dulce malum Siren liquidum perlabitur amnem,
Heu scopulus multis, & ineluctabile fatum:
Blanditiis olim discrimina læta paravit
Scyl-

Scyllæos inter fremitus, rapidamque Charibdim;
Et quamvis celeres impelleret aura carinas,
Implessentque sinum venti de puppe ferentes,
Figebat vox una, tenax velut anchora, navem:
Plura sed incautis creat hic dispendia monstrum,
O locus, ô fallax Siren, ô lena voluptas
Quæ blando argutæ captum modulamine vocis
Cæcos in scopulos & proxima funera ducis!
Hic ubi festa strepunt, genioque cutique litatur,
Nobiscum paribus cyathis mors ebria ludit:
Et largas inter pateras, selectaque mensæ
Fercula, de tenui filo tibi desuper astat,
Et capitis lambit vestigia pendulus ensis.
Fascinat argenti fallax nitor, & nitor auri
Escarumque sapor: gaudes, dum toxica gemmis
Excipis, & pleno mortem miser ebibis auro.
Heu fuge, chare hospes, seu te vel sponte volentem
Traxit forma loci, seu devius abstulit error:
Tangere parce labris, nam fluctibus absilit ignis,
Unde Cupidineas armat Dea cæca sagittas.
Ardet amans, quicumq; bibit; nam flamma medullis
Acrior incumbit, rigidique irascitur intùs
Carceris impatiens, & toto pectore sævit!
Captivus veluti terræ penetralibus ignis
Desuper impositam molem indignatus, apertum
Quærit iter, si fors tenues tentare latebras
Possit, & æthereas conscendere victor ad arces,
Intonat, & fumo nigrum subtexit Olympum:
Haud aliter quisquis tetigit, bibit ossibus ignem:
Principio gaudet, specieque illusus amicâ
Palpitat admirans, nutritque insanus amores:
Mox ubi præcipiti flammæ compellitur æstro,
Aperuit insidias, totusque in imagine prædæ est:
Non secùs ac pulcher per olentia prata puellus
Floribus insultans, cœlo si forte cadentem

Vidis

Vidit avem, gressum arrectus cunctatur eundo,
Lentaque suspendens primis vestigia plantis
Prosequitur picti radentem gramina prati,
Dissimulansque dolos, vultumque gradumq; retorquet,
Jamque pedem flectit propior, similisque tenenti
Extenditque manus, & toto corpore suprà est.
Ah fuge: flamma vorax hostilibus æstuat undis.
Mille pharetrati ludunt in margine fratres,
Ore pares, ævo similes, gens mollis amorum,
Remige quæ penna circumvolat æthere toto
Ignea tela ferens: lusus, Charitesque, jocique
Colludunt pariter, minimorum turba deorum.
Imago voluptas. Forma voluptatum, turbato è flumine passim
Surgit bulla tumens, volucrique hinc carcere & inde
Aëra captivum ducit placidumque per amnem
Fertur ovans vapor, & picti rutilantibus astri
Oppositus radiis, splendore tumescit inani.
Illi triumphali curru, variosque meatus
Ducit, & errores varios, fluviumque pererrans
Cursibus, hinc atque inde levi sinuamine ludit;
At dolor, heu! dum tu ipse vides, dum te alloquor, ille
Rumpitur, ostentatque brevis miracula formæ:
Vanescit, ceu bulla levis, vix nata voluptas.
Aspicis ut viridi ludens in margine ripæ
Exigui jactu lapidis puer æquoris undas
Ventilet, ut tumidi collisa protervia fluctus
A silice infecti, non uno vapulet ictu?
Hic super extremam decurrens fluminis oram,
Molli crispat aquas flexu, totusque subinde
Mersus & emergens alternis saltibus infrà
Desilit, & summam suprà mox subsilit undam;
Naufragium premit ipse suum, dum semper eodem,
Unde reversus erat, redit, & se exhaurit eundo;
Sic gressu instabili volat irrequieta voluptas.
Quin etiam quod læsus amor vix parcere telis
Noverit,

Noverit, huc oculos aureſque adverte, docebo:
Phoſphorus inſtabat: volucres præſepibus horæ
Phœbi quadrijugos in ſtrata diurna vocabant;
Flammivomo Pirois curru ſuccedit & Aethon,
Eouſque Phlegonque jugo, frænisque receptis
Addunt ſe in ſpatia, & terrent hinnitibus umbras:
Diffugere citæ, nox toto expalluit ore
Surgentique viam ſignat Tithonia Phœbo
Pegaſeo ſubluſtris equo, nidiſque relictis
Dauliades reduci meditantur carmina ſoli.
Vos quoque, purpurei, thalamos, liquiſtis amores,
Reginamque Cypri matrem, Chariteſque ſorores:
Illam blandus ad huc ſopor alligat, & gravis uſque
Urgebit, dum ſol medium conſcendat in orbem:
Sed non tanta placent puerilibus otia votis,
Vos ludus, non ſomnus amat, vos evocat udum
Mobilibus pratum rivis, pictæque morantur
Areolæ, carpique capax tum gratia florum.
Quandoque color rebus rediit ſuus, & tepor hortos
Condiit ambroſiâ, tenero ſub ſole beatum
Exercere diem; ſummas cum ſcanderit arces,
Non artus, non ora ferent; it læta juventus
Alatiſque pedes humeris, curſumque ſuburget;
Et jam humiles circum ceraſos labente volatu
Purpureos calathis fœtus hic collocat, ille
Arbore pendentes avido ſuperimminet ore,
Impatienſque vorat: reliqui, quæ plurima turba,
Baccarum jactu certamina ludicra miſcent;
Nucleus erumpit digitis, & verberat auras.
Adverſique vel ora ferit, vel crinibus hæret:
Pars etiam, liquidis quà fons exuberat undis
Vitrea, & late cingentia marmora complet,
Deſpectant roſeos vultus, ignemque ſub æquor
Ejaculant oculis, ludunt in flumine flammæ.
At nimium Lycidas dum candida conſulit ora

Fabulæ de cupidine pertinaciter tentante.

Mira-

Miratorque sui defixus imagine gaudet,
Xantus ab adverso raptim occupat, & lavat undâ
Incautum, celeratque fugam: risere madentem
Idalii, & fluidis rorantem crinibus imbrem,
Hi pueris lusus; at quà se porticus ingens
Puniceisque aperit laquearia picta rosetis,
Flore suo, cœli flammas imitata minores
Matris Acidaliæ viresque, decusque Cupido
Pæstanas ingressus opes miratur, & ambit:
Concolor hîc labris rosa purpurat, artubus albet,
Luminibus nitet, ore flagrat, telisque minatur:
Hanc amat, hanc omni primam petit agmine florum,
Maternus seu suadet honor, seu sangvis amorem
Conciliat, seu forma placet, florisque caduci
Ingenio natura suo cognata probatur:
Quippe breves sunt deliciæ, fugitivaque forma
Et curas jam risus habet, stimuloque voluptas
Avolat infixo, dulcique alternat amarum:
Ecce autem pueri dum florida pascit imago
Acrem animum, pretiumque sui de flore decoris
Expendisse potest, nova se spectacula produnt
Melliferæ allapsu volucris, discitque dolendo
Quantum arcus & tela nocent: nam sole recenti
Exierat castris, campos, sudasque Melissa
Nacta auras, & mella rosâ libabat in omni:
Ardet Amor, floresque suos, populataque Matris
Regna dolet, monstrumque rapax pernicibus alis.
Insequitur, fugit hæc, & bombo territat auras.
Continuo rapit arma manu, pharetramque Cupido
Excutit, & nervo collimat tela reducto;
Cassa volant: apis exiguo stat corpore tuta,
Inque sedet flori, Phœboque exporrigit alas:
Et rostrum exacuit, sic nos illuserit hostis
Stridulus, inquit Amor, telique minutior ictum
Exierit! sin arma juvant; at fraudibus usus
Esse

Esse potest: dixit, vultumque pedemque reflexit:
Intereàque rosas, & candida lilia circum
Cursat apis, roremque rosis exsugit apertis
Tum vero patuere doli, gaudetque repertis
Insidiosus amor, sed multo optaverit emptum
Intactam dextrâ volucrem, & pugnasse dolebit:
Namque ubi conspexit calices se condere in imos
Et mersare caput, nunc ô nunc occidit hostis,
Ingredere æternas, hostis periture, latebras,
Ingreditur que rosas volucris mellita, caputque
Funditus immitens longum, rorantia libat
Pocula, & ambrosio totam se proluit haustu:
Continuoque Cupido manum delapsus hiulco
Injecit flori, clamans, captiva teneris,
Depopulare meos iterum, matrísque decores,
Et stridens illude Deo, dabis improba pænas:
Ille dedit, persensit enim captiva ruentem
Desuper ultorem, & telum simul exerit, inque
Prensantem ei jaculat palmam, quo vulnere læsus
Abstinet, heu serus nimium, queriturque doletque
Vociferans; toto sociorum devolat horto
Circum turba ducem, collabentemque dolore
Excipit amplexu, quænam tibi causa querendi,
Quid edoles, mi frater? ait conterritus Ayglon:
Impediunt vocem lachrimæ, densique retardant
Singultus, ægramque manum prætendit anhelus:
Jamque tumescebat cæco sub vulnere palma,
Gliscebatque intus vis insperata veneni.
Quid faciant, aut unde malo medicina paretur,
Fratribus incertum est; etiam graviora timentur
Ignaris, teneros pestis ne serpat in artus:
Atque aliquis, quoniam dolor æstuat, attulit undas
Algentes, suditque super; sed suscitat æstum
Unda, repercusso sic lumine Phæbus inardet:
Tollite me mora nulla, inquit, matrique referte,

Heu morior, non deinde arcus & tela juvabunt,
Non habiles tergo pharetræ, jam dextera torpet,
Exanguique perit virtus sopita lacerto:
Talia dicta refert, operamque & brachia seni
Hinc atque hinc adhibent pueri, matrique reportant:
Antevolant alii, lateque silentia turbant
Atria luctifico sonitu: clamorque volutus
Sedibus, augustam Veneris pervenit ad aulam:
Evigilat Regina Paphi, talamoque repentè
Corripiunt se se Charites: propriore tumultu
Conduplicat Cytherea metum: nec enim ille jocantum
Clamor erat, ceu sæpe fuit, sed triste gementum
Appulit; & notâ clarescens voce Cupido
Persurit, & matrem repetito nomine clamat:
Illa autem graviore animum formidine pressa
Euphrosinem vocat ad se se, verbisque lacessit,
Duc age, duc ac nos puerum, portamque reclude,
Scilicet haud animos nequicquam insomnia terrent,
O ingrate sopor; jussum præverterat Ægle,
Jamque subis fratrum, manibus subvecte cupido,
Et te Cypris habet: thalamo, gremioque reponit
Tum Venus: heu quianam sic planctibus aëra pulsas?
Quique dolens, mi nate, tuos corrumpis ocellos?
Fare age, singultus cohibe, Cytherejus infans
Pressa diu verbis vix eluctantibus ora
Tandem aperit: perii mater! moriorque, minuta
Me serpens telo nimium violavit acuto:
Hæc pulchros circum volitabat stridula flores,
Prædatrixque rosas, nostros violabat amores:
Namque vide, quali digitus mihi peste tumescit,
Quæque venenato direxit spicula morsu:
Tu quoque parce rosis, aspersit virus in illis:
Heu morior! fer, mater, opem, contagia serpunt.
Sit fatur lachrimans, mater secura pericli

Ore fovet digitum pueri, facinusque Melissæ
Increpitans, morietur, ait, fera pessima, quæ te
Quæque meos ausa est tactu corrumpere flores,
Parce queri; Sed disce, puer, jam parcius uti
Arcubus, & telis, quando sic spicula lædunt:
Dixit, & Ambrosio digitum linit aurea succo,
Conseditque dolor, sed nec minus ille sagittis
Utitur, & vetito nil secius abstinet arcu,
Provocat at populos, dictis ac talibus infit:
Hac juvenis, tibi pando sinus, & porrigo dextram,
Dum licet, & turgent vernanti sanguine venæ,
Præstiterit cupidis quidquid spectabile passim est,
Usurpare oculis; atque, ut sit plena voluptas,
Delicias expletum animum duxisse per omnes
Largius, ante tuam quam mille incommoda vitam
Obsideant, morbusque sequax, & turba dolorum
Plurima queis miseræ languet pars ultima vitæ.
Perge age, præsenti tempus præverte futurum
Lætitia, prius in nubem quàm densior humor
Sese oculis fundat, vel se dissolvat in imbrem
Assiduum, & claro pro sole crepuscula cernas.
Quæ tibi deliciæ, cum dens gingivaque sensim
Naturæ absumto defecta calore fatiscet,
Nudaque deformes maxilla educet hiatus?
Anne pererrabis montes, cum vallibus imis
Vel minimæ fugiet pondus gestare locustæ
Ægra manus? vel cum refugis ad culmina plantis
Æger anhelabis, baculo subnixus eburneo?
Quid tibi, cum Citharæ sonitu, cum carmen amœnum
Auris inaccessæ disrupta audire negabunt
Tympana? cum voces mussabis ab ore, nec aure
Accipies, tibi pondus iners, reliquisque gravamen?
Quid sequeris curis? nostro quid parcus in horto
Defraudas genium? latices & Tantalus inter
Vix potas; dotem decies ceu quinque parares

Oratio Voluptatis ex Ecclesiis.

Danaïdum ſponſis, generis quæ ſtemma propagent.
Sub leges Libythina ſua jumenta, viroſque
Una vocat, prudens ſi juſto examine penſes,
Nulla virûm invenies diſcrimina, nulla ferarum:
Eſt homini pecorique eadem lex dicta ſepulchri;
Uſque adeò ſimili cernuntur quæque ruina
Ferri, & eo fuerant prius unde avulſa, reverti.
Perge famem relevare cibis, & mente potiri
Gaudia læta, prius ſiccis quam ſpina medullis,
Quæ limbo dorſum, medioſque interſecat artus,
Haud aliter longo quàm chorda argentea ductu,
Flectat humo lentum prono curvamine corpus.
Lætos carpe dies, læto cum compare fœlix,
Et nil crede tuum, vitamque & fata quod ultra eſt;
Nam noſtris fugitiva dies oblivia factis
Inducit, cum corpus iners frigeſcere cæpit
Funere, nec tibi erit vitæ ſors ulla peractæ.
Inde redux ſuperas ne quidquam evadere ad auras
Deſertoſque focos, notumque reviſere limen
Credideris, nulla eſt lucis poſt fata fruendæ,
Sive relictorum ſpes poſthuma nulla laborum;
Talibus incantat mentes mellita Voluptas.

Palatium Quietis.

Quæ nunc tecta vides plumis conſtructa, roſiſque,
Blanda *quies* habitat: lento hæc molimine agens ſe
Oſcitat, & duplici languentia brachia firmat
Innitens puero, nimios qui temperet æſtus,
Et ventum accerſat, muſcas abigente flabello.
Sella capax molliſque ſubeſt, quæ corpore obeſo
Plena gemit, maſſæque gravis ſub faſce laborat:
Molliter hinc illinc cervix motata vacillat;
Defenditque ægre nictantia lumina ſomno,
Et caſu propriore caput: tum corripit artus
Languentes, mulcetque oculos, ac denique tollit
Corpus iners, ſed feſſa iterum ſegniſque reſidat,
Ni comites pulſu moveant, monſtrentque coronam
Aſtan-

Astantem juvenum, risu irrisuque sequentum.
Et mox; me miseram tractanda negotia perdunt,
Salvete, ô fidi! dixit, mea cura, sodales:
Si qua tamen nostros invadit cura penates,
Per quam vita gravis, properatque citata senectus,
Utque animum studiis sic corpus pondere frangit,
Indulgete jocis alacres, nihil otia turbet,
Otia pacato terras æquantia cœlo:
Quid juvat in longos vitam exercere dolores,
Unde calor capiti effervet, purusque per ora
Egeritur cruor, & cœptis ingentibus obstat,
Liquitur in pectus qui debile noxius humor?
Talia suspenso demittit aranea filo
E trabibus vela, & carptim sibi viscera rodens,
Prædamque affectans, studio frustratur inani.
Delicias inter præstat transmittere vitæ
Quodcumque est super, & pungentes fallere curas,
Seque voluptatum demergere gurgite toto.
Quis tibi curarum fructus? si Martius horror
Ingruat, & totum sors lubrica verterit orbem,
Clades prima ferit justos, primoque noverca
Turbine percellit, justus prima hostia lethi est.
Ergo hostem, socii, junctis mactate *laborem*
Missilibus: quot enim vitam lucemque perosi
Assidue saxum impellunt revolubile nisu
Sysiphio, & summis fugientia flumina labris
Prensant frustrati, delusaque vota fatigant?
Sic placitum est superis, istâ dum mole gravamur,
Quisque habet immensi fastigia ferre laboris,
Nec potis est umquam extremo discrimine fungi.
Ergo alacres hac peste solum, cœlumque levate:
Navita, fer remos; pueri, scalprumque librosque:
Da gladium, miles; fusum da, Virgo, columque:
Da baculum, longæve senex; auriga flagellum:
Instrumenta date, artifices; afferte ligonem

Tumulus laboris in insula voluptatis.

Agricolæ; tua quisque affer, queis uteris, arma;
Et caput hoc numero telorum & pondere macta,
Quæ simul in tumulum signatum hoc carmine surgant,
Dicite Io! *labor* hac tumulatus sede quiescit
Communisque hostis, circum saltate puellæ
Et pueri; juvenes gaudete, virique, senesque:
Plaudite ter lætæ Charites, gens mollis amorum
Securis gaudete jocis, tuque ipse viator
Parce queri, pariet post hac via nulla laborem;
Hæc ubi dicta *quies* dedit, abstergendus ab ore
Egeritur sudor, sicco quem protinus udum
Emundant lino comites, lectoque reponunt.
Aggere vicino tumulus consurgit honori;
His tantum potuit regnis, hoc hoste necari
Dignus *honor* vita potiori, debita merces
Virtutisque parens, atque unicus auctor honesti.
Proh funesta quies! regni qui sustinet orbem,
Desidiæ si cedat, Atlas, sine cuspidis ictu
Corruet infelix, proprioque peribit ab ipse
Consilio, involvetque suâ regnum omne ruinâ

Ignatius nautas ab insula voluptatis revocat.

Ergo voluptatis dum detinet insula nautas
Deliciis captos, geminas cum voce tetendit
Ad superos Lojola manus, & nave relictâ
Pendulus arrectis plantis, oculoque sagaci
Pervigil ipse sibi, partesque intentus in omnes
Ne titubet fallente gradu, socia agmina mœstis
Vocibus inclamat, variisque reposcit in oris;
Tum solvens magicas impuri Dæmonis artes
Ad classem comites atque ad meliora reduxit:

Insula voluptatis mutata in locum aspectu horridum.

Quod ubi signavit cruce, mox purgantur in auras
Deliciæ, & vani ludibria splendida luxus:
Versa repentè loci facies, atque altera surgit
Insula, quæ primos mutata requirit honores:
Hic ubi Xystorum tractus, quantum ipsa tuendo
Lumina, velocesque gradus æquare valebant,

Hic

Hic ubi præbebant ſinuatæ umbracula in arcum
Ordine perpetuo ſpatiiſque æqualibus orni,
Hic jam funereæ regnant ſine lege cupreſſi
Undique, queis raris pendent labruſca racemis.
Hic ubi nobilibus paſſim variata figuris
Culmina ſplendebant, varioque decore ſupellex,
Jam nemore in vacuo denſa inter luſtra ferarum
Fragmina caſtelli pendent, vetereſque ruinæ,
Et magicis domus apta ſacris, quam nocte profunda
Larvarum Lemurumque cohors, ululæque ſtrigeſque
Voce ſepulchrali; & diris ſtridoribus implent;
Bubones tamen alta tenent, atque agmine furvo
Obſcœna circum crocitant raucedine corvi.
Hic ubi ludebant, & mille per ora fluebant
Fœcundi circum latices, jam ſtagna paludeſque
Obſcœnæ apparent, & adeſa cadavera fœdam
Turpiter exhalant mixto nidore mephitim:
Quo quo oculos vertas, quo quo veſtigia flectas,
Nulla gravi pars fraude vacat, locus exhibet omnis
Pro rebus ſimulachra, leves pro fructibus umbras.
Hæc inter ſe calva viri (mirabile dictu)
Erigit, ora patent fœdo deformia rictu,
Forma caret formâ, naſus naſo, auribus aures,
Oſſea turpis habet pro vultu rudera vultus,
Taliaque ingeminat; rigidos quæ flamma per artus
Æſtuat, & ſpargit laceris incendia venis?
Ille ego dives opum, tyrio quem murice texit
Purpura, qui comitum longâ ſtipante catervâ
Par ſuperis gradiebar, inops quem turba colebat
Succiduo tremebunda genu, cui ſplendida luxu
Menſa fuit, cui dulce melos, blandique per aures
Mellitas ſtrepuere modi, ſeu manè calenti
Corriperem pigra membra thoro, ſeu ſero tenellis
Turgida ſtrata roſis premerem: quàm dira rependo
Supplicia! exutoſque rogus furit ultor in artus!

Mortui vox auditur.

Quo dulces abiere joci? proh dira libido,
Quanta mihi tormenta refers? ut corporis expers
Flagitii pars nulla fuit, sic nulla perennis
Supplicii: proh me miserum? quid cætera narrem
Tormenta? undantis quæ non vada gurgitis æquent
Neptuno tollente minas, nec arena profundi,
Astrorumve faces, placida dum nocte coruscant?
Parcite funerei manes, modus esto; sed auras
Verba secant rapidisque volant ludibria flammis
Dum superum regnator erit dum lucida nutu
Versabit convexa Deus, Phlegetone sub imo
Urar perpetuæ stygis hostia, siccine finem his
Non dabit ulla dies, nec erit meta ulla dolori?
Dum premeret sitis, ô utinam venisset hianti
Ore Leo, fontemque immani fauce cruorem
Hausisset, vel membra ferox lacerasset aduncis
Unguibus, ô utinam Polus intonuisset apertis
Nubibus, & nigro contortum fulmen ab axe
Præcipitem egesset: non tot librata lacertis
Verbera, sulphureis nec ahena undantia semper
Ignibus, æternum misero subeunda manerent.
Verum heu nulla meis ætas finemque modumque
Suppliciis statuet, subeo, æternumque subibo
Judicis ultrices nunquam placabilis iras.
Hæc ubi cum gemitu retulit, dedit acta ruinam
Calva solo, cœpitque vices servare silentium:
Ex succi facies, & pallida tempora navem
Vectores repetunt, remisque prioribus instant.

Nautæ ab Insula voluptatis ad navem se recipiunt.

Erubuit Dæmon, & nunc bella altera bella
Rursus init: socios, non qui de sedibus imis
Evertant maria, aut ventis ergastula laxent,
Poscit in auxilium; sed qui juvenilia corda
Deliciis frangant; & jam jam aptavit in ictus,
Quas furore pharetrâ exemit flammante sagittas
Patre Erebi media vasto discedit hiatu

Dæmon bellum aliud movet.

Sulphu-

Sulphure ferventi, piecisque ambusta favillis
Terra noverca hominum, quos diræ ob crimina linguæ
Contemptumque Dei, vindex censura Tonantis
Jussit inextinctis sontes dare pabula flammis:
Ollis labra nigro turgent resupina veneno,
Ora exerta vomunt linguam ab radice cruenta
Sesquipede extantem, candenti forcipe prensant
Illam alternantes, & in aspera jurgia tortam
Noctes atque dies lacerant Cyclopes Averni.
Hic genus herodum, Antiochique, & barbara regum *Impiorum sedes.*
Nomina, quique ausi probris incessere numen,
Supplicia expendunt: furiarum maxima pœnis
Præsidet impietas, urgetque ad jussa ministros.
Non procul obscuros immani in valle recessus
Asmodæus habet, veneris turpissima regna: *Impurorum.*
Carnifices circumsistunt, præstantque Tyranno
Fœda satellitia, & flammantia tela coruscant,
Quam multæ circùm taxos atrasque cupressos
Fætida cantarides foliis examina condunt;
Ut numero, sic vi superant: simulachra pudendæ
Vestibulo veneris pendent, Zonæque solutæ
Virginibus, fractæ post vincla jugalia tædæ:
Quid loquar Isacidæ sceptrum, & spolia ampla Leonis
Samsoni detracta? tuæ quid vincula frontis,
Infatuate senex Salomon? hæc una trophæi
Stet de te species, utinam; nec gurgite in imo
Regia, sulphureos ignes, Stygis hostia, pascas
Cum grege semivirum & comitatu Sardanapali:
Quo magis illicitis flagrarunt ignibus olim,
Hoc magis ardentes patiuntur numinis iras
Immortale genus miserorum, & torrida semper
Corpora, dum folles æternis flatibus aucti
In nova sulphureas animant incendia prunas.
It flammis liquefactus adeps, pinguisque libido
Bullit in horrendâ sartagine, nec tamen haurit

Viſcera ſuppliciis nimium fœcunda creandis.
At licet immenſo volvenda voraginis æſtu
Ignea diluvies capiat, quot millia numquam
Sorbuit abrupto in pluvias ferus æthere gurges
Exundantis aquæ, dum culmina vertit & árces,
Altaque Pangæa, ac ſummi faſtigia Olympi;
Uſque tamen princeps ſitit Aſmodæus hiatum
In feriis explere novis; mora nulla Tyranno
Poſcenti adduntur comites, qui fingere formas
Syrenum & cantus docti, flammaſque medullis
Inſerere, & mediis nutrire in fluctibus ignes.
Dicite Cælicolæ (ſoli memorare poteſtis)
Quæ formæ Stygias deceant, quæ vincula mentes:
Vi multa in ſe ſe denſatur plurimus aër
Concreſcitque ſimul, tum multas arte figuras
Induitur, tetris horrere coloribus aptas:
Ut pecudum in vultus, ut turpia in ora ferarum.
Tum fratres Stygii, ſua poſcit ut ira furorque,
Centauros alii ſubeunt, fœdaſque Chimeras;
Ancipites alii ſphingas, Scyllaſque biformes,
Et quæcumque olim timuit fera monſtra vetuſtas;
Mox proceres inter, ſolio ſublimis in igneo
Ferrea ſceptra gerens, ſic intonat arbiter Orci,
Nil intentatum, comites, nil linquite inauſum
Clamque palamque, dies noctesque, domique, foriſq;
Exercete odium: pugnæ dux prævius ibo,
Sedibus atque ſuis emotum Acheronta ciebo:
En fractus bello miles, ſuraque labanti
Debilis audebit noſtris concurrere turmis:
Vulneribus vivit propriis, & clade reſurgit
Ipſe ſuâ; greſſumque retro mentemque retorquens,
Altera bella Stygi renovat bellator inermis.
Eſto, non dabitur regnis prohibere ſupernis
Cœleſtique plagâ: magna at victoria cedet,
Siſtere ſi, cœptiſque moras afferre licebit.

His inferna cohors furialibus excita dictis
Ringitur, incassumque iras consumit in hostem.
Perge age, Lojolides; viden' ut turbetur Avernus
Te propter, capitique tuo gentique minetur?
Parce metu, effractis claustris licet omnis in unum
Vis effusa ruat, subito vanescit inanis
Impetus, & timidæ ponent ad jussa procellæ:
Jamque per Amsantum ditis spiracula, pestes
Agmine collecto veniunt, lunamque micantem
Nube repentina fuscant; tremuere ceruchi
Adventu, nutansque arbor mirante magistro,
Concussitque ratem, & movit stridone rudentes.
Hæsere in manibus remi freta versa ruentûm,
Ardua bis pestes aplustria, bisque carinam
Ignibus aspergunt; tum circum carbasa, circum
Transtra, forosque auras Stygio medicamine lustrant:
Corporibus stratis somno, fusisque per alveum
Illudunt varie, & lethabile virus inhalant:
Quin & Lojolidem navi inferiore reclinem
Compostumque super sinuosa volumina funis
Dux operis cœpit tenebroso invadere furto;
Sordida sopitis dum somnia sensibus audet
Ingerere; exili suspensum lumina somno
Excitat; ille vigil fraudes, & operta refellit
Arma: precum objectu, totumque Acheronta fugavit.
Tum dolet elusas quòd non admoverit artes
Cautius, ac sociis per cuncta cubilia fusis
Hortator scelerum accedit; sonat impia circum
Lingua Palæpaphiis dudum medicata venenis.
Christe salus hominum, pro te cur spurcus Adonis
Et meretrix Cytheræa, tuâ pro matre, coluntur?
Hic miles belli furias meditatus in iram
Ardescit, verbisque minax insurgit in hostem
Absentem, variâque furens dat vulnera dextrâ:
Fescennina canit Veneri lascivus amator:

Vnde auxilia contrahit & educit dæmon in navem qua vehitur Ignatius.

Varie afflantur per somnum Vectores.

Sed

Blasphemi maxime in alea ludo pervigiles.

Sed nullo magis ore cohors Acherontica gaudet,
Quam quod probra vomit superis, dum ludicra fallunt
Numina fortunæ, dum volvitur alea pernox,
Et salit excussio damnosa canicula pyrgo.
Quid non ille vomit sannarum, pessimus exlex,
Et vigil ad scelera? ut furias in se evocet orco,
Cœlicolas verbis laceret? famamque Tonantis
Murmur inane vocet, cui fulmina mille moventi
Cæca superstitio tot templa, tot exstruat aras?
Quæ vox, Lojolidæ puras dum venit ad aures,
Horrendum excruciat: jubet & meminisse barathri,
Hic ubi crudeles dant linguæ crimina pœnas:
Quæ si forte, Deo sic amandante, subiret
Infœlix loca, non tantum paritura dolorem
Essent vorticibus, flammisque undantia stagna,
Quantum lingua procax blasphema voce crearet.

In vita Ignatii.

Hinc mediâ Christus spectabilis emicat undâ;
Qualis ad attonitos, stagno turbante, sodales
Venit aquis instans, gressu imperiosus herili,
Et fluctus, animosque suis constare quietos
Jussit; an aspicerent ludibria mobilis umbræ
Incertos, an suspenso se corpore ferret:
Ipse autem trepidum quatientibus alta procellis,
Nutantemque manu Petrum firmavit amicâ;
Lojolidæ talis stetit, afflatuque paventem
Erexit: Tua certa salus, absiste vereri,
Asto tibi, diræque procul Stygis agmina pello,
Ausa Acherontæis per somnum illudere formis:
Quod ferale tuas crimen circumsonat aures,
Ultrices furiæ extorquent, & sorte malignâ
Noxia corda hominum, me nil prohibente, fatigant:
Semine ab hoc surgent scelerum mox germina, sed tu
Sta fidens animo, hunc mihi da cœloque laborem,
Castiges ut voce reos, & crimina fandi
Libertate premas, nec te globus ille nocentum

Oranti, Christus apparet. In vitæ Ignatii.

Terreat

Terreat aut numero aut armis: tibi ſerviet æthræ
Militia, & dextri venient ad carbaſa venti
Hæc ubi dicta dedit, tenues ſe tollit in auras:
Non tamen aut oculos ſublatæ lucis inanes,
Aut dubiam linquit mentem: videt ætheris alti
Pennatas adſtare acies, & ferre paratas
Auxilium, ſi forte odiis contendat iniquis
Vis inimica Erebi, dum matutinus ab undis
Rorantes ſol tollat equos, retegatque videndum
Lumine diffuſo cæcis mortalibus orbem.
Auſonios inter notiſſima Mima cinædos
Nave ferebatur, poſtquam famoſa per urbes
Nexuerat dudum laqueos, vociſque canoræ
Illecebris, juvenum incautos captarat amores:
Hiſtrio, comœduſque illam, ſcenæque ſuppellex
Uſque ſequebantur, ſcopuli, ſyrteſque pudoris.
Nec nocturna cohors, Cypriâ quantum arte valeret,
Neſcivere, faces ergo ſtimuloque procaci
Addiderant, ut ſe venerem & Sirena canoram
Fingeret, atque daret pulchræ ſpectacula formæ.
Et jam quæ ſubeat proſcenia læta parantur:
Proximus orcheſtram Prætor tenet, undique fuſi
Pinea vectores, nautæque ſedilia complent:
Ipſa lyrarum inter modulamina, compta capillos
Et nudata ſinum, venerique ſimillima (qualem
Fluctibus extantem doctus formabat Apelles)
Semiviri circum, feſtæque choragia pompæ,
Sola oculos animoſque capit: non fractius unquam
Saltavit Tymele; tam turpes corpore motus
Non daret extremis à Gadibus orta puella,
Aut priſcis Floræ meretrix operata theatris.
Ingenium Venus ipſa habet, riſuſque, ſaleſque;
Carmina fornicibus, celliſque canenda luparum
Ore ſonant; pectus ſubeunt, atque intima ſcalpunt
Surgentum in plauſus: ſic indita flamma medullas

Mima, quæ eadem nave ferebatur hic agit ludos ſuos impulſu Dæmonis.

Pectora

Pectoraque incendit, Furiarum adjuta flabellis.
Heu mala mens hominum! cœlo si forte refixum
Corriperet sydus subitâ face carbasa, si quod
Afflasset fulgur, lentusve exureret ignis
Ambesæ tabulata ratis, quænam antlia, quænam
Transtra laborandis, vel brachia desuper undis
Sufficerent? nunc ecce vapor se pestifer Orci
Ossibus implicuit pereunt frons casta, pudorque,
Ardet & ira Dei; tamen hæc incendia stultum
Huic se Ignatius opponit. Vulgus amat, resident molles, spectantque Magistri:
Sed Lojola vetat, correptus Numinis æstu
Dat se se in medios; lachrimisque ingressus obortis,
Quo ruitis, miseri! aut quid pestem accersitis? inquit,
Hæc Furia est, terrâ atque mari exitialis erynnis:
Quot nutus, quot verba, tot ignea spicula figet.
Pulvereo rapiat nitri si fomite flammas,
An gravius passura malum ratis igne per undas
Naufraga? jam latæ minimo discrimine tædæ
Dividimur morti, furit in præcordia lethum,
Et ludo locus est, & non inimica voluptas!
Pergite, dum vestræ caput hoc mactabo saluti.
Dixerat, arma rapit consueta, immane flagellum,
Nudaque terga domat, sparserunt verbera rores
Sanguineos, multisque pium expressere ruborem,
Queis nondum probitas exosa, aut perdita vitæ
Summa fuit: fremit indignans pars maxima, tristi
Gaudia turbari monitore, ipsumque carina
Deturbet, nisi Prætoris reverentia fluctus
Comprimat iratum, talesque coerceat ausus.
Fugit Mima prior sua post aulæa, paventem
Vt & classiariorum quorundam libidinosis. Insequitur chorus, ac si humeros nudataque terga
Flagra premant; sed non posuere incendia vires.
Forte recens Iluæ è portu conscenderat æquor
Chloris jam melior, cui moribus obfuit ortam
Mollibus in Cypri terris: nam flore juventæ

Luxu-

Luxurians, primi violarat jura pudoris,
Mancipium venale procis, poſtquam pater & res
Defecere domus; ſed enim ter maxima Virgo,
Cui natam moribunda parens commiſerat olim,
Adfuit, inque alia ex aliis graviora ruentem
Suſtinuit miſerans, atque ad meliora reduxit.
Laureti fama Auſonias impleverat urbes,
Ædis & anguſtæ, cujus ſub culmine, cœli
Nuntius inſtituit Gabriel nova fœdera rerum,
Chloridaque excierat ſedes luſtrare beatas,
Hic ubi vera Dei ſoboles genetricis in alvo
Virginis, avertit Patriam mortalibus iram:
Venerat ad primos aditus, cum limine ab ipſo
Non valuit proferre gradum; prohibebat ahena
Strictus luce calybs, venientemque obvia contra
Militis horribilis facies: bis territa monſtris
Subſtitit aſpectu, & pollutæ crimina vitæ
Erubuit, flectuque genas aſperſit amaro,
Te planctu ingeminans, ſpes una ſaluſque nocentum,
Virgo parens; te voce vocans ô Magdala, quodam
Heu ſcopulus juvenum, cœli nunc diva-gementumque
Anchora, quos cœlo averſos Metanoea reducit.
Orta ſalus votis, & nunc inſiſtere limen
Conceſſum, & luſtrare domum, quam cœlicus implet
Virginitatis odor: non thurea virga, nec ullæ
Æquarint Arabum meſſes benevolentibus auris.
Ac velut afflarint ſi quando roſaria pæſti,
Viſcera rumpuntur ſcarabæo, & dulcis olentem
Vis animam necat; haud aliter ſacræ halitus ædis
Pectoris obſcœni ſpurcos abolevit amores,
Hinc adeo non ulla Venus, molliſque lidido
Turpiter inflexit ſenſus, fugitque priores
Aveiſata procos; ſed terræ functa periclis
Experta eſt graviora mari; calor oſſibus ardens
Otiaque & Mimæ veneres, & vina protervos
Extimu-

In puellam quam Laureta-na Virgo adjuvit.

Maria Magdale-na.

Extimulant juvenes caſtum tentare pudorem:
Quo magis illa viris metuebat cauta videri,
Hoc magis inſtabant; velo nunc ora reducto
Pandere, laſcivos nunc auri afflare ſuſurros:
Illa verecundo vultum demiſſa rubore
More ſuo exercebat acu trepidante Minervam:
Argumenta dabat Virgo, quam pronubus ales
Ore ſalutabat; dumque hac in imagine dextra
Luderet, ex pictâ formabat Virgine frontem,
Caſtigans celereſque oculos, habituſque comarum.
O quoties telam lachrimis madefecit obortis,
Damna gemens rapti numquam reparanda pudoris!
Nec minus inſtantes jam vi ſuperare parabant:
Illa moram exorans, nunc bina exſculpere ferro
Lumina, nunc fœdare genas, aut vulnere nares
Geſtabat, toto vel ſe dare corpore in undas
Præcipitem; ſic divarum laudata juvabat
Facta ſequi; verum commotos leniit æſtus
Mens melior, ſi qua ingrueret violentia, voce
Adſtantum inclamaret opem; non defore, qui ſe
Objiceret medium, turpeſque refelleret auſus;
Vociferans ſubito excivit clamore propinquum
Lojolidem: frons viſa viri, voxque ipſa minantis
Perculit audaces, gnaroſque, quis impetus olli
Adverſum ſcelera; & veriti, ne prenderet arma
Laſcivæ metuenda cuti, quæ nuper agebat,
Diffugiunt: ſecuram animi jubet eſſe puellam
Victor, & hortatur vitæ melioris amantem
Fata pudicitiæ clarâ pro laude paciſci:
Aſpicit illa virum, veluti defenſor ab aſtris
Venerit, & grates oculis ſtillantibus addit,
Amplexura pedes, quos non ſinit ille teneri
Subductus, metuenſque Dei nè libet honorem,
Neve amet haud tuto virtutem in diſpare ſexu.

In tempeſtate opportuna adhibet ſalutis monita.

Miſceri

Miſceri intereà ventis ſurgentibus æquor,
Denſior in nubes aër concreſcere, & orbem
Phœbum, cœlumque nigro ſubtexere peplo:
Horruit aſpectu fugitivæ lucis, & atra
Nocte ſuperfuſa, triſtis quicumque pericli
Vector inexpertus: Nautæ, durata notorum
Gens furiis, artiſque fide ſubnixa, jocantur.
Protinus ecce ingens falſo de gurgite tollit
Phoca caput, totaque extans cervice per auras
Huc illuc oculos late contorquet, & ipſum
Ore vomens pelagus, fluctus ad ſydera jactat,
Spumeſcunt auræ, pontuſque dehiſcere viſus,
Tum lateri aſſultant undæ, varieque carinam
Exercent, nunc elatam ſublime ferentes,
Devexo nunc monte gravem ſub aperta trahentes
Tartara, nec fundare ſatis valet Anchora morſu,
Aut librare ratem, ventorum urgente tumultu,
Et remos frangente, virum & fruſtrante laborem:
Conſiliique, artiſque inopes clamore pavorem
Ingeminant; miſeriſque nihil niſi vota ſuperſunt,
Jamque oculis volvuntur aquæ, libamina cœlo,
Infenſum ſi forte rei miteſcere diſcat:
It clamor, nec quid jubeatve velitve Magiſter
Agnoſcit, licet à teneris cum ſurgeret annis
Jam primum, Uranie ſtellata per atria ductum
Aſſuevit cœlo ſenſim, & volventibus aſtris;
Unde leves ventorum animæ, quo cardine mundi
Præcipitent, & qua tandem ſe fine reſolvant,
Qua regnet quis parte, quibuſve inſurgat in oris
Edidicit, longoque ſoli prævidit ab uſu:
Et mox Lojolides: pacem nunc poſcitis, inquit,
Auſi deſpicere, & moniti non temnere divos?
Impia progenies; modò te diſcrimina tangunt
Criminibus properata tuis; en noxia verba
Quæque furens cœlo cantabas ocyma, præſens

Conflavere malum, & capiti recidiva minantur:
Facta timore luis: sed enim precor, ultima sint hæc
Damna, nec ulterius se se commota Tonantis
Ira ferat, rapiatque animas (hæc sola pavemus
Naufragia) & raptas in hiantia tartara trudat.
Eheu non unam tempestas tanta ruinam
Forte dabit, simplexque genus necis inferet æquor
Corporibus contentum haustis, mors altera mentes
Mole sub undosá expectat: ne spargite merces
Aut onera in fluctus; noxarum pondere pressos,
Præstiterit relevare animos: jactura furorem
Leniet & ista Dei; sin mors subeunda, peremptis
Vita superveniet: potiori intendite vitæ.
His dictis irata oculos convertit ad astra,
Orat Christum vectorem pro salute.
Ad Christum gemitus; parce! ô regnator aquarum,
Cui sontes animas una cum corpore letho
Involvi dolor, & precibus mitescere nosti.
Da, tua progenies extinctâ innoxia culpâ
Vivat, si quis adhuc veniæ locus, & tua nondum
Ingruit extremo vindex sententia fato:
Ah pereant causæ irarum, magnique doloris
Crimina, quæ lachrimis merguntur & æquore tandem
Naufraga: sed pereant hæc sola; virique supersint,
Qui vitam in melius referant, quàmque ante fuerunt
Indecores, tam deinde animos virtutibus ornent.
Sic fatus, spe perculsos implevit oborta
Venturæ ab cœlo pacis, si certa voluntas
Indicat sceleri bellum; monuitque periclo
Edoctos sapere, æternas quàm pendere pœnas
Horrendum, si sola necat vel mortis imago!
At recti memores, quæcunque adversa lacessant,
Non ullo trepidare metu, infractosque ruina
Stare orbis, solidæ nixos fundamine mentis:
Addere visa fidem dictis, minus aspera sensim

Tempe-

Tempeſtas, & clara dies & mollior æſtus
Deſpumantis aquæ, & cœli clementior aura;
Sed gravius, vento ponente, metuque ſoluto,
Ardeſcit ſocia ſtipata cohorte libido:
Inde calent rixæ, commotaque jurgia nautas
Exercent, nimio tumido præcordia Baccho.
Alea crebreſcit, fervet maleſana libido
Luce palam? quid enim lucem Venus ebria curet?
Quid teſtem ultoremque Deum? nil linquit in auſum
In ſuperos linguæ rabies effræna, veneno
Tincta Stygis, nec vox hominem furiata ſonabat;
Haud aliter ſociis Circeo carmine verſis
Indoluiſſe ferunt Ithacum, dum membra ferarum
Inſita remigibus, diroſque exire ululatus
Rictibus aſpexit ſe circum, artemque potentis
Sævitiamque Deæ, tot & undique carmina vidit.
Lojolides animi pendet, quia poſſe moveri
Deſperat diris exercita pectora noxis:
Num petat à Superis bellum; rurſusne procellas
Sollicitet, gnarus quantum mortalia flectat
Pectora vis adverſa mali? ſed poſcere cœlum
Tela nefas, ex quo Chriſti placabile numen
Lege datâ, placidis ovibus mutare Leones
Cœpit, & indultos olim damnare furores:
Ergo ducem docet ignarum, quid nautica peccet
Turba foros circum, quid gens inhoneſta vehentum:
Si qua, quâ vehitur, dixit, reſpublica navis,
Ut Cyprium ſoſpes teneat te ſoſpite portum
Non optem, indignus videar, cui copia cœtûs
Facta tui; ſin me claſſem decet uſque precari
Incolumem, ſalvumque ducem, quæ deinde pericli
Exſurgat facies, quam non de puppe Magiſter
Proſpicit è cœlo, ſcelus eſt tacuiſſe videnti:
Nos Deus exitio ſolus te teſte redemit,
Non illi ſervata fides; quin lædere numen

Qui in curſu flagitia multa perpetrantur.

Summè dolet id Ignatius.

Qui prætorem ideo convenit.

Acrius insistunt Nautæ; quæ sensibus hausi
Crimina sole palam, nulloque obducta recessu.
Et quoties damnari aures, claudique meatus
Optavi capitis, ne vocum infanda subiret
Tempestas, quâ cœli horrent spirabilis auræ!
Laturos impunè reos, æquumque Tonantem
Quis fore flagitio credat? prævertere molem
Fas erit irarum, sontes si vindice pœnâ
Castiges scelerum Judex & numinis ultor;
Tum prætor se se in cœtus gravitate verendus
Intulit, effusos in ludum & pocula cœtus:
Indicio fecere fidem, petulantia viso
Principe, vix edocta vagum frænare furorem,
Oraque Bacchantum, & rabidæ mala carmina linguæ:
Tum super his; an plena tument quia viscera Baccho,
Ob Prætoris iram à flagitiosis conspiratur in Ignatium.
Nunc in bella Deum, superumque lacessitis iram,
Quæ trepidis nuper lacrimarum expresserat imbres?
O fortes post vina manus! sic vota Tonanti
Solvuntur? si jura Deus temerata nefandis
Vocibus ulcisci cessat; mihi debita faxo
Supplicia expendant, qui fas infringere nostrum
Audebunt, legum immemores, & jussa refigent:
Hæc quoque vociferans, nec segniter omnia præco
Nec semel indixit; surdis non auribus acres
Excepere minas, quotquot mala lingua notabat;
Protinus his monitis sibi visa resurgere virtus,
Et pietatis honos, pravorum audacia cessit
Imprimisque viri, cui victum quærere rapto
Ars fuerat, ferroque homines, mistoque veneno
Tollere: sæpe dolis laqueos effugerat & vim
Captantum, steteratque fugâ spes una salutis:
Hic scelerum genus omne reus, post mille nocendi
Nomina, jam patriam exilii commutat asylo,
Lojolidem que odit, quo virtus splendida fato
Invidiam creat, & morum censura nocentes
Arguit,

Arguit, hinc verbis sociorum exasperat iras;
Quo nos usque, viri, egregius simulator honesti
Cantaber exercet? ni me quippe omnia fallunt,
Nunc etiam nostris prætorem rebus iniquum
Fecerit, & vacuas monitis accenderit aures:
Haut ignota loquor: vetat omnes fronte severâ
Et tristi sermone jocos: censoris acerbi
Num piget? ah solum Cretæo in littore nactus
Quin ego! sed frustra, quæ non perfecta, recordor:
Quod superest facilem vobis & ab arte petitam
Monstro viam, tali miseros quæ compede solvat,
Si qua jacet damnata solo, desertaque cultu
Insula, vel pelago rupes succincta sonanti,
Huc cursum regite, & tonsis impellite puppim:
Hic ego seductum tectæ molimine fraudis
Destituam, superis fuerit si gratus, alendum
Nectare deciduo, vel hiantis gutture corvi
Demittente dapes; sin fallit, corpore corvos
Pasturum; tacita hæc nobis sententia constet:
Assensere omnes, scelerique Megista patrando
Eligitur, Lycio circumflua gurgite tellus,
Vasta solo, frugumque expers, & rupibus horrens:
Talia mussantes audit de sanguine Ibero
Forcia, gentilisque vicem miseretur amici,
Fata monens instare, & tristia tempora volvi:
Ille refert contra, officio se reddere grates,
Securum tamen esse mali, quodcumque crearint
Antiqui scelerum artifices; quid enim improba possint
Consilia adversum superos, quos ritè faventes
Speraret, ceu sæpe alias, in rebus egenis:
Sicque adeo mirantem animos dimittit amicum,
Versus & ad nubes oculi, ventosque minaces:
Nubila qui frenatis, ait, qui volvitis orbes,
Quid terra quidve ausa mari sine numine vestro
Vis humana queat? nostrum gens impia morti

Statuunt in desertam insulam, eum deportare nempe in Megistam.

Oratio ejus in eo periculo ad Angelos.

Devovit caput, & votis obnixa potiri,
Impigra verſandis intendit brachia remis:
Si freta, ſi placidas ventorum advertitis auras,
Imus in exilium, funeſtaque teſqua ferarum;
Sin aliter Criſti fert edita corde voluntas,
Spero equidem veſtris immanes viribus auſus
Ceſſuros: nec enim ſpes obfirmata fefellit:
Cœrula ſpumabant validis everſa lacertis,
Velorumque pedes, antennarumque ceruchi
Obliquati omnes, detorſerat ipſe magiſter
Arte gubernaculum: ſed nulla Megiſta tuenti
Apparet, fruſtraque oculi, dextræque laborant.
Ecce furens inter congeſti ſulphuris utres
Emicat, & totos depaſcitur ignis acervos
Cum tonitru, totum extemplo quo mugiit æquor,
Nutavere rates, & cœlo flamma reluxit:
At nautæ, veluti pondens irruperit hoſtis
Improviſus, & igne foros populetur & arces,
Amati coiere globo, fuligine donec
Diſcurſsâ Titan navemque diemque retexit
Purior, & trepidas ſolvit formidine mentes:
Tum ſtrages frœdæque oculis patuere ruinæ.
Hæc dum monſtra vident, alii hoc adſcribere diris
Caſibus, aſt alii peregrinum crimen, & hoſtis
Suſpectare dolos; multi quid fata minentur,
Quidve oſtenta Deûm, ſuſpensâ mente requirunt:
Pars velut iratam fortunam, & læva timere
Numina, longinquæ pars detrectare laborem
Militiæ, & propriis affingere ſydera votis;
Curſus in Cyprum divinitùs detorquetur Hiſt. ſociet.
At Deus è cœlo clavum regit, altaque torquet
Cornua, donec aquis celſum caput Inſula tollat
Dudum expectatum: cecinere celeuſmata nautæ,
Et dextram novere Dei, quæ flexerat auras,
Impuleratque ratem, quo non niſi limite curvo
Factio tendebat ſceleratam advertere proram:
Inſula

Insula rarescit, primæque leguntur arenæ
Ad Salamina, tubæ clangor mox indicat urbi,
Famaque, prætorem Cyprio succedere portu;
Hinc atque hinc tormenta vomunt per inania flam̃as,
Pacificumque cient tonitru, lætamque salutem
Indicunt: summo Carchesia vertice pandunt
Armatos gladio, Venetum vexilla, leones.
Miscentur plaususque virum, lituumque sonores:
Agmine in occursum pictis tendente phaselis
Ducitur in pompam, sensimque allabitur oræ
Prætor, & exscendit læta stipante catervâ.
Vobis, cœlicolæ, grates tum victor habebat
Lojolides, vestro insidiis ereptus iniquis
Auxilio; prius infensi (mirabile dictu)
Vectores, jam digressu coluere supremo,
Vota retractantes lachrimis; sic inclyta virtus
Quæ sceleri præsens blandiri nescit, amores
Excitat ipsa sui absistens, fugitivaque vincit,
Parthica ceu verso moveat certamina tergo:
Stabant orantes veniam, quos ille benignis
Josephi invidiam superantis, heræque furorem,
Alloquitur verbis; caput hoc demittere letho
In vestris fuerat votis, sed tempora vitæ
Qui statuit, libramque Deus qui temperat æquam,
Consilia in melius vertit: qui favit utrisque
Authori tantorum operum solvamus honores.
Verum age, Lojolides præsenti erepte periclo,
Impia quo sensu vectorum facta ferebas?
Non, inquit, comitum facinus crudele vocabam,
Sed grave judicium, nec tum sibi compotis iræ
Consilium præceps, cui me suprema voluntas
Numinis, æterna devotum lege dedisset,
Horrebam facinus fateor! sed mente revolvens
Anthores sceleris, scelus accusasse verebar?
Sic mecum tacitus; fidas si afflaverit aures,

Redeunt in gratiam hostes cum Ignatio.

Indigetum, rumor sceleris, mora nulla caducas
Relliquias animæ, & refugam per labra gementes
Ore avido vitam mihi mille per oscula reddent;
Vel si torpuerit jam corpus, & omnis in auras
Spiritus exierit, saltem damnata tenebris
Lumina component, & tabida membra sepulchro
Rite reponentes tumulo solemnia dicent;
Ille sagax oculus superis speculator ab astris
Obit Salamina. Scrutatorque operum, reteget quæcumque scelesti
Pectoris obscuris rabies anfractibus ambit.
Inde salutato demum prætore, per urbem
Gaudet ferre gradus, quam Paulus obiverat olim
Verba ferens, quæ prima Deus commiserat ori
In gentes spargenda, cibi cœlestis egenas;
Tum volat ad sacram Patarei præsulis ædem,
Qui sanctam visuris humum, sedavit hiantes
Navis in exitium fluctus, nubesque fugavit;
Et Templum divi Nicolai. Dumque patrocinium votis ferventibus ambit,
Præsulis os se se oranti spectabile præbet,
Quoque solet vultu magnis freta concita ventis
Sternere, & inducto cœlum reserare sereno,
Cum placidus fulget nautis: hoc pignore fretus
Lojolides rursùm pelago se credere, & oram
Littoris hoc citius properat contingere cursu,
Alia ejus peregrinatio per insulam ut navim peregrinorum attingat ad lytium portum. Quo cernit superesse minus pelagique, viæque:
Rugis ut avulsæ pondus de monte volutum
Cum ruit in vallem, postquam virgulta frangore
Corripuit, magno demum violentius actu
Volvitur æquata donec tellure recumbat.
Hæserat ad Lytios portus, quæ solverat ante
Finibus Adriacis, suaque armamenta novabat
Fœta peregrinis puppis, qua parte subactam
Planities effusa jacet: salis ubere dives
Candet ager, circum cerealis mergite culmi

Luxuriant glebæ, pomiſque exuberat arbos.
Huc terrâ relegebat iter Salamine relictâ
Per campos, Tamaſſa, tuos, perque arva feracis
Arſinoes, Syrio qua perdere gurgite lymphas
Tendit, & irriguo fœcundat jugera lapſu
Purior electro fluvius: miratur eundo
Delicias, venereſque loci, cornuque beatum
Ruris odorati: colles vineta ſupinos
Palmitibus pingunt, rubrum ducentibus uvis
Sole ſub æſtivo, rapidoque Leone colorem:
Non chartis ſunt illa ſacris incognita vitis
Germina: namque tuos inter memoratur honores,
Christe, Cypri botrus, qualem te ſponſa canebat.
It ſulcis rubicunda Ceres, quam nuda juventus
Falce metit, denſiſque ſonant arbuſta cicadis,
Apta fatigato, rigidoſque benigna per æſtus
Hoſpitia Idalii nemoris querceta dederunt:
Fronde ſub umbroſa frigus captavit opacum
Ilicis, irriguoque artus ſudore madentes
Ceſpite compoſto dedit indulgere quieti:
Detulit aërius lectam de vite miniſter
Bumaſtum gravidam, jam rareſcente Lyæo,
Quo recreet vires & languida membra viator:
Veſcitur Ambroſia & cœleſtis nectare ſucci
Uno eodemque cibo: roburque animuſque renaſcens
Ire viam dedit ad terras, unde omnibus oris
Nata ſalus: ſic prompta notis dant vela ſecundis.
Jamque Cyprum abſtulerat poſt terga volantibus æquor,
Cum procul è ſummâ ſpeculatus puppe Magiſter;
Cœli, inquit, ratio conſtat, nec nubila turbant;
Sed terret me forma minax, &, ſi qua fides eſt
Eminùs intentis oculis, inſignia Lunæ
Occurrunt, Turcuſque ruit prædator aquarum:

Admiſſus in navim peregrinorum, Navigat in Palæſtinam non ſine ſpecie diſcriminis.

Extemplo trepidare viri, ceu læderet aures
Tormenti ſonus hoſtilis, captæque carinæ
Inſultaret ovans victor; trux vultus & enſis
Barbarus ante oculos, immenſaque pondera ferri,
Cervicisque jugum horrendum; miſerabilis auras
Impellit gemitus; non gazæ nec ulla relictæ
Cura domus tangit, non raptæ gratia vitæ.
Libertas peritura movet; vox una ſonabat:
Ergone barbarico ſervamur præda furori?
Pars remis addicta, canis feriente magiſtro
Audiet; horribiles fixo pars corpore palos
Induet, & reliqui ſitientes ibimus Afros
Paſturi, Nomadumque greges, fœtaſve camelos;
Saltem oculis ſi terra foret luſtrata, propinquo
Quam petimus curſu, ſi jam redeuntibus hoſtis
Colla jugo premeret; fortunatiſſima tellus
Viſa peregrinis, animo ſolatia ferret:
Votorum nunc ſumma perit; ſic turbida vexat
Pectora formido, quam non crebreſcere paſſus
Lojolides; ſi ſpes noſtris, ait, unica rebus
Arma forent, telis aut propugnacula fœta;
Deſperare viris, fas eſſet inermibus, at nos
Ad Solymam, quæ cauſa trahit? nos auſpice Chriſto
Tendimus, an tali fretos munimine terret
Vis hominum? nunc ergo animos revocate viriles,
Quos patriâ prius egreſſi regione tuliſtis:
Tunc erat in votis per mille pericula vitam
Spargere jacturâ facili; nec fama latronum,
Turcorum aut, mentem pepulit, curſumq; morata eſt:
Quid nunc umbra movet venientum? cernite veram
Mente diem, & refugæ vaneſcent cornua Lunæ,
(Si modò tela precum viſum vibrentur in hoſtem)
Ut videre ratis latere exarmata, citato

In quo Ignatius ſocios confirmat.

Explora-

Exploratores missi præcurrere lembo,
Spem lucri abjiciunt, aversaque tela retorquent:
Sic est parta salus, sic concidit atra timoris
Tempestas, retroque datæ classi hostis habenæ
Exolvere metum: quin & clarescere Joppe
Turribus elatis, urbisque assurgere culmen;
Protinùs aspectu læto depulsa malorum
Nubila diffugiunt, pavidoque è pectore curæ;
Carmina læta sonant, superis gratata laborum
Eventus, faustamque viam: concentibus abs te
Principium datur, alma Trias, clauduntur honore,
Virgo, tuo, sensusque pios discrimine functi
Prælibant, quos prima ciet telluris imago.
Haud secus ac terras Arabum & benevolentia rura
Littore ab Æthyopum quærens mercator ad Indos
Nare prius quam nave legit: costumque beatum
Cinnamaque & myrrhæ mixtos & turis odores
Haurit ab afflatu; fœlices spiritus auras
Quippe vehit secum, longèque exhalat in æquor.
Addis Lojolide pœnis (sine sanguine tellus
Haud calcanda foret, quam Christus sanguine pinxit)
Ut portum navis subiit, vix ponte teneris,
Quin prior ad terram projecto corpore raptim
Desilias, genibusque solum, perque oscula littus
Ore premas; qualem dixit tibi, terra, salutem?
Tota Deo dilecta, parens antiqua salutis,
Deliciæ quandam superum, nunc, (heu dolor ingens)
Pollutum hospitium, & stabulata mapalia Turcis.
Ecquis erit Perseus olim, qui rupibus illis
Exponam pisci & pedicis, manicisque revinctam
Liberet Andromedam? ô gentis fortissima Reges
Robora Christiadum: potuit dux sanguine vobis
Et ditione minor Godefridus ponere victor

Admovetur ad portum Ioppe.

Sanctam terram salutat Ignatius.

Regna

Regna ſibi, & Solymam ſub noſtras mittere leges,
Vos facili dubitatis adhuc extendere Chriſtum
Marte; nec arva tamen fortiſſimus occupat hoſtis,
Quæ redimenda forent, illoque paranda cruore,
Quem terrâ, quem miſcet aquis civilis Enyo.
Sed tu deſine, muſa; Deo ſunt talia curæ,
Novit, Idumeis olim quem deſtinet oris
Ultorem, ereptæ cui cedat adorea palmæ.



LIBER



LIBER QUINTUS.

PROFECTIONIS HIEROSOLYMITANÆ.



ARGUMENTUM.



Ter prosequitur Ignatius per arma Turcarum Rhodo captâ victorum, ad quorum strepitum recalescit amor belli, & vana gloria, quæ fortiter superata, eum tentare deinceps, per quindecim annos vitæ ultimos ausa non est. Post captam in Joppitana spelunca nocturnam quietem, & somnium quo Palæstinam miseram vidit deque afflictis suis rebus quiritantem audiit, mane iter cum cæteris peregrinis aggreditur Ignatius. Describitur id ex locorum quæ peragrabantur varietate, & rerum antiquarum vestigiis, tum quid ad primum Hierosolymæ aspectum pietatis afflari sibi senserint. Confectâ jam die, urbem ingrediuntur & pervigil Ignatius noctem in Sionæo monte traducit, ubi pietatis ipsius conspectu & oblata patratorum in eo colle mysterio-

rum

rum imagine recreatur, & cœlestibus flammis exardescit; suavi deinde somno sub auroram reficitur; quem cibus Eucharisticus excipit: mox cum duce & sociis urbem obit, memor ubique Christi; primæque diei labor circà templum & loca vicina lustranda consumptus est. Alterius verò & consequentium aliquot pensum fuit, in montem olivarum agrumque Bethlemisum & alia loca excursus.



Liber

Liber Quintus
IGNATIADOS



ELLA canit Solymanus atrox, lunaque bicorni
Myrtoum turbat Pelagus: nec sufficit Istri
Septenum fregisse caput, nunc imminet arvis
Christiadum, ducitque acies trans Thessala Tempe,
Epirique domos, disruptaque fulmine saxa:
Non ideo declinat iter, cursumve moratur
Lojolides, ne se Turco prædam offerat hosti;
Martius at, strepitus inter, bellique fragores,
Incaluit sanguis: soboles ceu sæva leonum
A teneris facili mansuescere docta magistro,
Si stabula altorum nemorum, vel pristina cernat
Pabula, desuetos revocat sub corda furores;
Lojolidi sic Martis amor recalescere crudo
Bellantum aspectu, gladiosque reposcere cœpit:
Ut positis Wilelmum armis, balteoque recincto,
Egit ubi plures sub tegmine fornicis annos,
Stare ducem in campo galeatum Tuscia vidit.

Ingreditur Palæstinā tempore belli Turcici contra Christianos expugnatâ Rhodo.

Vanâ ergo veri radios mentita decoris.
Gloria fallaci se majestate tuendam
Objicit ante oculos, specieque illudit inani.
Templa patent, ubi centum aras sacravit honori
Ambitiosus amor, laudumque insana Cupido.
Aurea sub gradibus tollunt se limina, postes
Ex auro, aurato que fores in cardine strident:

Vana gloria apparet Ignatio.

Hinc

Templum vanæ gloriæ.

Hinc fortes animorum ausus, Mavortiaque haurit
Pectora nobilitas; heroum hic inclyta facta
Scribit Mnemosyne sæclis spectanda futuris.
Atque hic Lojolidæ tanta ad spectacula rerum
Attonito blanditur *honos*, dextraque prehensum
Nomine compellat, portaque invitat aperta
Tecta tot exuviis, & tot decorata trophæis
Aspicere introrsum, sacrosque subire penates.
Extant nobilium spirantia signa virorum,
Hesperii quondam diversi stemmate Reges,
Nunc unâ insignes parmâ. Regesque Britanni
Armoricique duces, non ultima gloria templi:
Cernitur effigies Gallorum ex ordine Regum
Marmore do Pario, Pharamundus, & alter ab illo
Clodius, & qui illa reges ab origine surgunt
Sexaginta alii, solio considere avito
Quos dedit, evexitque ardens super æthera virtus
Illic Cæsareos vultus, Romanaque spectas
Nomina, confusos Persis, Phrygibusque Pelasgos,
Et gentes, quando res & fortuna sinebant,
Magnanimas, nunc vulgus iners, nam splendida primum
Quæ viguit virtus, inhonesto pulvere sordet.
Hinc atque hinc rutilis pendent è postibus arma,
Enses, & clypei, & parti genus omne decoris,
Scuta virûm, loricæ, & acuto hastilia ferro,
Et capitis cristæ, Martisque tonantia tela,
Balteaque, gladiique, & rapta ex hoste trophæa
Haud procul heroum fumare cadavera cernas;
Ingens dejectu nemorum pyra, & arbore sectâ
Aggeritur, crudelis honos; strue surgit in alta
Ardua congeries armorum, cassis ahenâ
Et thorax, tepidoque recens à sanguine ferrum,
Patriciique habitus, Tyriæque insignia vestis
Funereæ ambitio pompæ, luctùsque superbi:

Involat

Involat ignis opes, ſilviſque animoſus adeſis
Attollit flammam cœloque incendia jactat;
Cæſarei flagrant cultus, & veſtibus aurum
Exundat; refugæ abſiſtunt & ab igne recuſant
Comburi galeæ, & querulis ſtridoribus obſtant:
Non ſe nobilitas, habiliſque induſtria buſto
Subtrahit; exuperat, faſtumque ſupervenit æſtus:
In cineres tumor omnis abit, vix fumus & umbra
Eſt ſuper, exiguuſque ingenti ex aggere pulvis;
Fama tamen viget, illæſiſque ſupervolat alis,
Communique tubam ſecum conſervat ab igne.
His majora videt templi penetralibus imis
In ſolio ſublimis *honos* pulchraque verendus
Majeſtate ſedet, veterum clariſſima divûm
Progenies, decorum pater invictique laboris
Dulce lucrum, merceſque operum, cui gratia triplex
Naſcenti miros oculis afflavit amores:
Undique ſuſpenſæ volitant *ſpes* mille quietis
Indociles, tantoque ſibi ſub numine fingunt
Regna, magiſtratus, clarumque in ſecula nomen.
Jamque ſinum appetiunt, inhiantque cupidine prædæ
Cum vanos fuga conatus turpiſque repulſa
In ventum fruſtra effuſos dedit ire labores.
Ipſe *honor* ingenuo vultum inflammatus ab igne
Sævit inexpertum, flammâque potentius ardet:
Vix animum obſequiis ſatiat, vix laudibus aurum:
Creſcit inexhauſtum, gliſcitque per intima fervens
Altius in venas, exardeſcitque fruendo.
Sedibus excelſis huic aſſedere propinquæ
Virtutes regale genus; ſuper altior omnes
Sublimi ſed honore minor, quæ præſidet armis,
Diva tenet dextram, propriis aſſueta ruinis
Vivere, fortunamque avidis tentare periclis,
Quam ſolet æquali ſemper victoria paſſu
Ponè ſequi, ſparſiſque vias inſternere palmis:

Fortitudo bellica comes gloriæ.

Nesciat hanc si quis bello, telisque potentem,
Sufficiet vidisse manum; manus unica nomen
Prodiderit, tanta est armatæ gloria dextræ:
Et nì templa vetent, præsentiaque obstet honoris,
Illa quiescentes indignabunda lacertos
Exerat, armorumque moras atque otia damnet:
Cernis anhelantem sibi vix ut temperet ensis
Flammeus extinxisse sitim, & gustasse cruorem,
Quem clausum hostili videt effervescere vena?
Sic Dea præcipites in prælia concipit iras,
Concepisse parum est, juvat accendisse furores
Igne suo, & scenas circum explicuisse cruentas.
Dispellunt tenebras rutilantis fulgura ferri,
Dum Reges populique ruunt; hic clade suorum
Dux fractas revocat vires, & vindice telo
Opprobrium excusans probat ipso in funere robur.
Parte aliâ fato non segnior alter aperto
Provocat hostiles cuneos, Martisque decoro
Pulvere magnanimam gaudet sordescere dextram:
Undique mors regnat victrix, atque ardua calcat
Colla, gravis spoliis, quàque in certamina fertur
Dira triumphales terris Libitina cupressos
Inserit: occumbunt digni melioribus annis,
Quos famulis referunt dextris virtusque, decusque,
Famaque purpureis super astra curulibus infert:
Cærulea ceu quando manu desæviit udus
Juppiter, hortorumque altos decussit honores
Imbre frequens, donec cœlum lux alma serenet.
Parte alia famosa comes stipabat honorem
Altera comes gloriæ. *Nobilitas*, quæ clara suo se lumine prodit,
Si fortes in bello animos & facta probavit
Verus honos; sed si leges temerasse Gradivi,
Degeneresque armasse dolis in prælia dextras
Constiterit, templo exturbat; nec fama pudendis
Longius ignavos patitur superesse ruinis,
Hos

Hos procul obſcuro condit mors atra ſepultas
In tumulo, & caſſæ tenet alta oblivio laudis.
Aſt age, quæ medio rerum gratiſſima templo
Offert ſe ſpecies, vivoque coruſcat in ære?
Hic fœcunda ſeges virtutum, & culmen honoris,
Theſaurique graves laudum, quos nobilis ordo
Militiæ præfert, meritorum inſignia, torques.
Lojolidem interea per tot ſpectacula rerum
Suſpenſum blanditus *honos* his provocat ultrò:
Dic, ubi dextra olim clypeum geſtare perita
Et gladium? quid iners animi, quid laudis avitæ
Contemptor, proavorum inter ſublimia facta
Deficis acceptaſque ſinis marceſcere lauros?
Aſpice majorum decora, effigieſque ſuperbas,
Spirantes martem, quæ languida pectora damnent,
Tardantemque manum accuſent, & inertia corda:
Quid patriis ætas tibi proderit acta ſub armis,
Si virtus obſcura placet, ſi Marte relicto
Jam loca ſola petis, vanas & inutilis oti
Delicias, pigroque placet ductore mereri?
Mene fugis? nam quid merui, aut quò denique noſtri
Pulſus amor? quid me tantum ſperare jubebas?
Aſpicis Ogmadem proavum? Viden ut vigor olli,
Luminaque ultorem ſpirant ardentia Martem?
Hic vir hic eſt, qui ſæpe manu furialia Thracum
Agmina, Biſtoniæque infregit cornua lunæ;
Per gladios acieſque Boryſthenidumque ſecures
Ferro aditum rumpens: qualis cava dividit Ignis
Nubila, & horrenti percurrit lumine nimbos
Jupiter, aut fracto violentior obice torrens:
Urbs erat & vallo, & vaſta defenſa palude;
Is primus, dum cuncta ſilent & opaca favet nox,
Improviſus adeſt, aditumque per invia nactus
Stagna, (fide majus) portas infringit, & urbem
Occupat: hæc te, quid facias, exempla docebunt.

Oratio vanæ gloria ad Ignatium

Avus maternus Ignatii dux inſignis armis.

Sic ait, occurrunt querulæ ad lamenta sorores
Nobilitas & vis animi, cognataque vota
Adjiciunt; quo te Patriæ spes altera gentis,
Adversam rapis, & nostros frustraris amores?
I, propera, Ignati, si dura atque aspera belli
Semita, quid magnis heroibus ante sublactam
Ire viam fugis, & noto tibi calle remenso
Prima redordiri clari certamina Martis?
I, fruere igne tuo, & magni vim nominis implens
Sparge faces, quas nota manu Bellona ministrat;
Gressibus his poteris vastos æquare Gigantes,
Ipsa tibi partem in templo sedemque reservo.
His super incensus sopiti exsuscitat ignis
Semina Lojolides, desuetaque tela requirit:
Verum ubi, (sensit enim fraudem insidiantis Averni
Collegit turbatum animum, & lux reddita menti est,
Quæ me monstra, inquit, quæ me spectacula terrent?
An mihi Tartarei nequicquam illuserit hostis?
Non ita: moxque crucem, collo quam forte gerebat
Pendentem, fraudi objecit, larvasque fugavit:
Vanescunt monstra ex oculis, longeque per auras
Acta volant, celeres velut orto sole pruinæ.
Ex illo humanæ ludibria splendida pompæ
Damnavit, quæ dulci oculos perstringere norunt
Illecebrâ, fictaque boni splendere sub umbra.
Præstat, ait, coluisse Deum, & tellure relicta
Exuere infernæ contagia noxia labis,
Calcatas per opes, & per fastidia terræ
Sydera rimari, & patrio contendere cælo:
Omnis eò labe infernâ curisque solutum
Vis animi tollit, mundi transvecta quod usquam est,
Plausus ubi æternumque decus: nam limine primo
Verus honos gratæ rutilans in postibus aulæ
Supplicibus dextram, & laurum victoribus offert;
Altera signa sequor, viresque à clade resumo

Altior

Altiorà casu, melioraque dico supremo
Sacramenta Duci stygias qui voce catervas
Dejicit, & totum vel nomine terret Avernum,
Et certos devicta parat super astra triumphos:
Hinc vani templum decoris ter quinque per annos
Clausum adamante riget, duroque in vecte laborat.
Cum sociis festinat iter, quò numinis urget
Gloria, Lojolides: verùm heu qui prisca beatæ
Secula telluris, qui fertilitatis honores
Mente revolvebant, lactisque & nectaris imbres,
Heu nil tale vident, & spe frustrantur inani.
Quæ facies igitur regni, qua tempora rerum,
Quisque Palestinæ fuerit status, advena postquam
Huc subiit Lojola, brevi sermone retexam:
Infœlix Judæa jacet, licet illa feracis
Monstret adhuc genus acre soli, si gnava colentum
Dextra foret constansque labor, jacet inclyta monstris,
Petre, tuis Joppe, & redivivæ Dorcadis ædes,
Quæ dum membra rigent tristi composta feretro,
Defleturque suis, te sic mandante, revixit,
Et stupuit superesse sibi, mortisque reclusas
Evasisse fores, & ineluctabile fatum:
Bina super steterant urbis munimina turres
Rupibus impositæ celsis, quas fornice quino
Fœtentes habitant Judæi, Arabumque catervæ,
Maurorumque informe genus: dominatur in omnes
Turca ferox, sævaque potens ditione coercet:
Fessa viatores hìc corpora nocte reponunt,
Ultima quos tectis aliis excludit egestas:
Duratus pridem ærumnis, similique cubili
Lojolides fausto carpebat somnia cornu:
Ecce oculis mærens madidis, Judæa sedebat,
Arboris acclinis trunco, & religata catenis
Sole sub ardenti, (veteris nam brachia palmæ
Dilapsis viduata comis umbracula subter

Per quindecim annos non est tentatus ab inani gloria.

Somnium Ignatii de statu infœlici Iudeæ id temporis.

 Nulla

Nulla dabant) Mauris os concolor, obsita rugis
Fronsque genæque, pili laceri vel vertice sparsi,
Et male defensum ricini velamine corpus,
Lumina bal'ameo tantum incorrupta liquore
Durabant, flenti assiduè cœlumque tuenti
Candebant oculorum orbes, simulachra decoris
Antiqui, & tales animabant voce querelas:
Non mihi regnorum prisci repetuntur honores,
Non urbes, populique, aut, quas Romanus ademit
Victor, opes; equidem merui tot dotibus olim
Usa male, occisique Dei mihi conscia, rerum
Damno pati, & longo duci captiva triumpho;
Sed Christi mihi libertas, quæ munere venit,
Constantine, tuo, tristis solatia damni
Attulerat, quamvis propriis confusa ruinis
Rudera restarent tantum, casusque superbi
Reliquiæ, & magni viscenda cadaveris umbra:
Tunc tamen illæsus, quâ solâ sydera adibam,
Religionis honos, florebat; & extera regna
Sedibus huc excita suis, affusa videbam
Lambere communis domini vestigia, meque
Aram orbis mediâ positam tellure ferebant;
Ante pedes jacuere meos diademata regum,
Sceptraque, purpureumq; decus; cum barbarus hostis
Ingruit, armatæ pelago venere, soloque
Suppetias gentes, diverso ab sole profectæ:
Cosroën egregius Persam fugat Heraclius:
Gloria Christiadum vindex Bolonius hostes
Fudit Agarenos, & eodem fulmine Martis
Regna meâ quæsivit humo; sic inclyta belli
Materies fuimus, sacrosque habitura triumphos
Arma geri pro me placuit; nunc præda latronum
Cerno truces vultus, habitataque tecta scelestis
Gentibus, immiti quibus est jus vivere ferro:
Nil circum fusis prodest quòd honoribus aucta

Passim

Passim *sancta* vocor *tellus*, quòd cardine ab omni
Invisat me fuscus Arabs, pinguesque Sabæi,
Quosque videt Phœbus surgens, mediusque cadensque
Namque loci situs ipse nocet; cum mercibus intrat
Hunc venale scelus, Tyrioque latescit in ostro:
Ex quo Asiæ terror Saladinus, & altera Turcæ
Tempestas, nostros fines populata, sinusque,
Omnia diluvio fœdavit sacra profano;
Tum sedes exosa meas concessit in astra
Religio: quid enim ulterius tot probra videret?
Quis revocet terris, visu ut soletur amico?
Dixerat, & mœstam custodia fida locorum
Adstantes melius genii sperare jubebant,
Advenisse virum antiquæ pietatis amantem,
Quem non illa suo fraudaret amica vicissim
Conspectu; talem optavit, qualem audiit ardens
Lojolides sese, firmavitque omine mentem.
Compulit orta dies studiis accensa videndi
Ferre gradum Solymam, properant per squallida rura
Fragranti saturata thymo, calcantur odores;
Herbarumque animosa seges fœlicia monstrat
Jugera, si cultu niteant: tenet omnia late
Barbaries, & pingue solum deformat Idumes.
Dux præit indigena, &, noto quam limite signat,
Facundo levat ore viam, ac de colle propinquo
Prospectare jubet faciem prædivitis agri,
Vestitos oleâ campos, lætissima frugum
Arva, per impensos hominumque boumque labores;
Flexipedes passim pepones, fraternaque turgent
Germina, & exiguæ paucorum obnoxia curæ
Semina cultores non parvo fœnore ditant;
Christiadæ, gens serva colunt; vestigia Lyddæ
Indicat ad lævam, disjectas undique moles,
Saxaque mota jugis, urbis lachrimabile bustum;
Hic Petrus Æneam donavit munere vitæ:

Orta die dat se in viam cum sociis.

Iter Hierosolymam usque describitur ex Villamontio & Adricomio.

Sepulchrũ S. Gregorii.

Conditur hic generoſus eques, quem ſacra coruſcis
Exultantem armis referunt altaria, & armos
Bellatoris equi ferratâ calce domantem,
Guttura dum ſævi transfigit hiantia monſtri:
Namque cavo, ut perhibent, ſtabat reſupinus in atro
Cæde virûm paſtus, pecudumque cadavere ſerpens,
Quo non erravit Libycis truculentior agris,
Ungue vel afflatu perimit, caudamque remulcent
Attollit furiale caput, ſquammoſaque terga:
Sæpè adeo fruſtra forti clypeata juventus
Marte laceſſivit monſtrum, validiſque lacertis:
Sæpe virûm ſcutata phalanx, equitumque volantum
Turma ferox vanas ſquammis intorſerat haſtas;
Quin etiam virgo, quæ Regi innupta parenti
Una erat, & regni ſuperans ſpes ſola cadentis,
Objicitur monſtro (ſi divûm oracula mandant)
Dum trepido pallore riget jam morte propinquâ,
Expectatque udos humano ſanguine dentes,
Aliger hinnit equus, ceu flexilis ære canoro
Cum tuba compoſitas accendit in arma cohortes,
Erigitur Virgo, & tremitu reſpirat equino,
Errantemque labris vocat in penetralia vitam:
Quippe altum, clypeoque videt galeâque coruſcum
Stare equitem contra, & mortem intentare draconi,
Dentibus infrendet, maculoſaque terga reflectens
Longa voluminibus circumplicat agmina ſerpens,
Inſidiis & equum capturus, equique magiſtrum
Excuſſurus humi, & præda fruiturus utrâque;
Miles at inſurgit, preſſumque in guttura telum
Injicit, & calido verſatum in vulnere torquet:
Volvitur ille ſolo, prætexit pondere campum
Semianimis, ſpiriſque inflectit corpora pigris:
Vulnere jam tardans per compita ducitur urbis.
Inque forum, juvenum atque ſenum plaudente caterva
Victrici quæ mille haſtæ, mille oſcula dextræ

Præbuit,

Præbuit, & meritos aræ ſacravit honores:
Hæc ſeu vera canit, dubiis ſeu miſcuit umbris
Fama vetus, noſtris, tali te, Dive, colore
Fingimus in templis, munitum caſſide fulvâ,
Fulmineo cinctum gladio, teloque micanti,
Bellatoris equi dorſum fido ære prementem.
Nec procul hinc ſub monte Sophim Ramathæa crepido *Ramatha patria Samuelis.*
Apparet, tribuum limes, notiſſimus ortu
Helcanidæ Samuëlis, ubi poſt fercula menſæ
Veſtigantem aſinas Ciſſæum tinxit olivo:
Et nunc major honos montique urbique ſuperſtes
Pollinctoris origo pii, qui funere Chriſtum *Et Ioſephi ab Arimathia.*
Extulit, huic merito decus immortale rependit
Fama memor, ſerumque domus ſervata ſub ævum,
Obruta ne ſæclis aboleſcat gratia facti.
Non procul aſſurgit Nobe ſtagnata nefandâ
Cæde ſacerdotum, pecudumque hominumque refuſo
Sanguine; ſic rabidi deſæviit ira Saulis:
Abſtulit hoc ætas, ſed nullis pagina ſervat
Temporibus peritura, memor dum vivet Olympi
Gens hominum, divumque aris pia thura calebunt:
Inde Nebo, Lebnaque legunt, Azecaque nimbo
Cœlitus opreſſam, duræ cum grandinis imber *Azecha nobilis victoria Ioſue.*
Stravit Amorrhæos, & quinque fugacia regum
Agmina Nuniades ſaxorum impegit acervis:
Nomina erant olim, nunc ſunt ſine nomine regna.
Te quoque perluſtrant oculis Therebinthica vallis, *Vallis therebinti.*
Jeſſæi pueri memores, namque æquore in illo
Primitias pugnæ inſignes imbellibus armis
Edidit accinctus fundâ, vaſtaque gigantem
Audax mole ſtetit contra, nihil hoſte ſuperbo *Memoria Davidis inſignis.*
Territus, aut verbis, quæ fanda infanda vomebat;
Ter quater adducit repetito verbere fundam
Enitens, magnoque rotat libramine ſaxum,

Quod ruit horrendum ſtridens, & fronte ſub alta
Dum ferit, impulſu ſolidæ munimina rumpit
Caſſidis, & ſparſo late rigat arva cerebro:
Cum ſonitu collapſa ruunt immania membra:
Qualiter annoſam ſummis in collibus ornum
Cum ferro agricolæ, crebriſque ſecuribus ictam
Eruere inter ſe certant: it ſtridor, & alte
Concutitur moto tremebunda cacumine, donec
Vulneribus crebris, & pondere ſaucia ſummùm
Ingemit, & magnam trahit hinc avulſa ruinam
Cum ſonitu; late cedunt arbuſta, gravique
Stipite convulſo tellus illiſa fatiſcit:
Tum ſuper incumbens gladio, quo fata parabat,
Nudavit latus, & pereunti fervidus inſtat:
Nunc morere, inviſus ſuperis, nec te tua moles
Nec Deus ille tuus poterit ſubducere letho:
Dixit, & ærato ſubducens caſſida collo
Abſtulit enſe caput, truncumque reliquit arena:
Victori duxere choros, nec amica Saülī
Carmina panxerunt feſto modulamine Nymphæ.
Intereà poſt arva Sochot, Bethoronque Salemque
Et poſt aëriæ ſuperata cacumina Maſphæ,
Primus Hieroſolymæ aſpectus. Apparent nova tecta procul; quæ rara pateſcunt
Et ruptis disjecta jugis: ſtat triſte cadaver
Urbis adoratæ, & dejecti rudera templi.
Dumque iter abſolvunt, ſonat omnibus edita Vatis
Nœnia, & alterno lugubria carmina cantu:
Heu quia nam populoſa prius, nunc orba colonis
Urbs jacet, elato veluti matrona marito?
Threnos Hieremiæ canunt. Quodque iter ad celſæ ducebat templa Sionis,
Ante hominum pedibus tritum, dum ſacra quotannis
Judæi patrio facerent de more frequentes,
Sentibus obductum paſſim ſylveſtribus horret.
Haud aliter quàm cum calcatis ſordidus uvis
Vinitor exercet prælum; ſic numen ab ira
Succen-

Succensum pressis vindex cervicibus instat:
Arcum lunavit, dextraque volatile telum
Contorquens, inopem auxilio frustratus amico est,
Decrevitque solo muros æquare Sionis,
Extento certam metatus fune ruinam;
Te quibus, assimilem, quibus aut te mole dolorum
Æquabo miseram? vasti quantum æquora ponti
Exuperant cunctos, quos tellus sustinet amnes,
Tantùm alias urbes tua sors gravitate malorum
Excedit, non ulla super medicina dolori est:
Heu quia nam splendor viciati decolor auri
Deficit, & fulvi species pretiosa metalli?
Quos aurata chlamys, quos coccina lana tegebat,
Heu gentile probrum! immundo jacuere voluti
Pulvere; non aliter cives quàm fictile testum
Calcantur, figulique rotá formata suppellex.
Quid Deus ulterius poscis? ceu struthio pullos
Abjicis in nudâ mater crudelis arenâ,
Nec justæ indomitus desævijt impetus iræ.
Aula Dei, Regumque domus, simulataque cœlo
Machina, tot quondam procerum hospita, totque redundans
Civibus, unde gemens diro fert æra tyranno?
Quodque ante exegit, pendit nunc serva tributum?
Sola sedes exhausta viris; en lappa, rubique
Obsedere tuos aditus, quos viderat ætas
Prisca, pedum tritu & radiis fervere rotarum,
Integra dum stares: hinc flebilis ille viarum
Squallor, & exercent venientum corpora sentes.
Heus ubi mense novo festi solennia Paschæ
Vocali celebrata tubâ, quo densa fluebant
Agmina currentum, dum sacro vescier agno
Ritus erat? (quamquam ô! non hæc modò causa dolendi
Christiadis, melior quibus hostia contigit agnus.)

Solâ

Sola extant culpæ veſtigia: numen ab alto
Impulitin caſum muros, & clauſtra revulſit
Portarum; pœnas ſaturatis ſanguine telis
Funere natorum, ſcelerata noverca, dediſti.
Hæc memorant, ſubeuntque urbi ſub luce maligna
Noctis, & obſcuris caligine rebus, honeſto
Clam ſe ſe immiſcent furto: tunc nuntia cladis
Carmina venturæ repetunt, ô ſi aurea cœli
Munera cognoſces, intra tua mœnia numen
Infuſum, pacemque datam mortalibus ægris,
Nunc illæ ſtarent arces, quas ſtragis acervo
Obruit hoſtilis late inclementia ferri.

Sub noctem Hieroſolymam ingrediuntur.

Procubuere repente omnes, genibuſque voluti
Oſcula defixere ſolo, & dudum arida corda
Invenere pios fletus, quibus arva rigarent.
Exemplum tu, Chriſte, dabas, quem moverat olim
Ad lachrimas miſeræ ſpecies vertenda Sionis.
Qua petis ingreſſum? qua ſe via pandit eunti
Lojolide? nondum vaſto per mœnia tractu
Procubuere minæ? nondum depreſſa caduco
Vertice ſacra Sion, feſſis ſua culmina plantis
Suppoſuit? ſed ego cur hæc? loca celſa Sionis
Lojolides petit, & noſtros prævertit amores.
Hic pietas cornu geſtans in divite flammas,
Adſtitit, & purâ corpus circumtulit aurâ
Luſtravitque virum, roſeoque hæc edidit ore:
Illa ego ſum, quæ te rebus ſervire caducis
Pertæſum, excepique ulnis, atque ubere pavi:
Veniſti noſtro præcordia concitus æſtu:
Ipſa manu, veſteſque tuas, enſemque recinxi,
Altera bella movere dedi, noſtriſque mereri
Auſpiciis; at ſacra licet furor impius arva
Vaſtarit, non ulla tamen diſpendia viſûs
Experiere, viden' quæ me ſpectacula rerum
Circum-

Circumſtant? hæc fata, manûs ſimulachra peritæ
Exhibet, atque laboratas ex arte figuras:
Protinus ante oculos cænacula ſtrata pateſcunt
Tergeminam in faciem; dapibus perfunctus avitis
Corpora biſſenûm procerum compoſta ſedili
Luſtrat aquâ Chriſtus ſuperûm pater atque hominum rex:
Atque ubi prenſabat duri veſtigia Judæ,
Immiſcebat aquæ lacrimas, præcordia ſi qua
Emollire queat, cordiſque inhibere furorem:
Nullis ille tamen lachrimis, nulloque movetur
Officio, immotæ ceu ſtant in gurgite rupes.
Veſte dehinc tectus, menſæ pretioſa ſecundæ
Fercula, ſe ſe ipſum partitus adorea liba
Apponit ſociis epulandum, & pinguibus eſcis
Inſerit, ac pateram dum porrigit, altera præbet
Munera convivis; ſi qua tamen altera, dum ſe
Conditus in donis, hominemque Deumque miniſtrat.
Miratur Lojola lares, ubi prima litatis
Libamenta ſacris, ſe ſe ultrò detulit agnus
Mitior, ut ſævos præcederet hoſtia ritus,
Ore ſacerdotum penus hæc patet omnibus aris:
Qua tamen orta loco, ceu fons in origine prima
Gratior, invitat refici genialibus eſcis.
Hæret Lojolides, dum ſe ſpectacula produnt
Altera: nam ſociis dedit hic dubitantibus artus
Palpandos Deus, ut ſolido ſtent robore nervi:
Dona maris, melliſque favos, atque humida menſæ
Pabula libavit, juſſitque agnoſcere tactu
Vulnera, quæ clavi, quæ mucro impactus adegit,
Dum ſuper aſtantem cœcum ruat arduus æther
In pluviam, nimbo involvens tectumque viroſque:
Jamque patens auſter quatiebat ab æthere nubem
Fulmine fœlici gravidam; pro fulgure linguæ
Vibrabant tremulas ſimulata cuſpide flammas:

Monſtrantur quæ quondam ibi geſta ſunt à Chriſto.

Fundere viſus apex aut paſcere crinibus ignem,
Ardebantque ſedentum oculi; at flagrantior intus
Corda coquebat amor: qualis fornacibus Æthnæ
Æſtuat, & ferrum mollit vapor, extaque montis
Egerit in cælum urenti liquefacta favillâ.
O mihi ſcintillæ exiguæ ſi copia fiat,
Lojolides ait, & tenuis penetralia libet

Excitat in ſe Ignatius deſiderium igniculi Sancti ſpiritus.

Igniculus, non pigra gelu durataque corda
Solvere, vel caſtis deſperem exurere flammis.
Cui dea: vive memor, dixit, votique locique,
Paulatimque oculis cœlo ſubducta receſſit,
Et quantum potuere oculi ſervare ſequentes,
Conceſſum eſt pietate frui; ſimul abdita nube eſt,
Sentit humi poſitus ſalientia viſcera motu
Inſolito, fluit ex oculis jam largior imber,
Ex quo ignis melior liquefacta par oſſa cucurrit.
Nondum luna vices, noctiſque peregerat horas,
Unanimes cuſtosque Viri, geniuſque locorum
Inſomnem ſopire parant; liquentibus ille

Ad extremum in ſomnium delabitur.

Aëris irrorat guttis, hic ventilat alis
Igne novo accenſum, longas quem noverat ipsâ
Æquantem cum nocte preces, patriique fruentem
Numinis aſpectu, donec lux prima ſoporem
Excutit, & rerum amiſſi rediere colores.
Interea peregrina cohors, quæ pauca ſuperſunt,
Dum luſtrat monimenta, ſacram commiſtus obivit
Lojolides urbem, Chriſtum per ſtrata viarum
Mente gerens: recolit furtumque, moraſque, puelli,
Cum latuit templo fruſtratus utrumque parentem,
At damno majore tuo ſenſuque doloris,
Deſolata parens; ſe ſe namque aureus illi
Implicuit dextræ puer, & jam rite litatis
Ipſe domum ſacris, magnâ cum matre redibat,
Jamque labore viæ feſſis lux prima peracta eſt,
Succedit nox atra polo, & denſiſſimus horror;

Defuit

Defuit hic puer, & matrem patremque fefellit,
Tum consanguineos frustra scitata propinquosque,
Unam se incusans flebat pulcherrima mater,
Terque quaterque viam relegens clamore replevit
Nequicquam: quarto demùm dum sole repertus
Afflictæ retulit solatia debita matri;
Et mox lætitiam sensumque in prole receptâ
Lojolides animo putat, atque audire videtur
Egregium fandi juvenem, res æthere clausas
Et priscæ arcanâ fidei caligine tectas
Promentem, cum narrantis penderet ab ore
Densum humeris vulgus, studiisque ad sydera ferret.
Dein turpi depasta lue & corrupta veneno
Membra levat Christus, morborum & nomina mille
Voce potens abigit, tumulisque fatentibus artus,
Exuvias fati revocat; cum deforet esca,
Nutriit esuriens auctæ dapis ubere vulgus:
Denique nulla acies morborum Acherontica primo
Non fugit aspectu, testis lux indita cæco
Ad Siloën, testis lati piscina grabati,
Porticibus sonuit cum quinque audita potentis
Fama viri, laxis nervos intendere membris
Non ope sydereâ, non munere mobilis undæ.
Vestibulum ante ipsum facies irata recurrit
Templo exturbantis furum genus, utque flagello
Increpitans, ovium fœtus, armenta, volucres,
Æraque, corporaque, & mensas confudit acervo:
Omnia quæ relegens pius advena, nosse laborat
Acrius, astrorum quam qui scrutator Iberas
Eoasque domos Phœbi, diversaque discit
Hospitia, & cursus in se revolubilis anni;
Sedibus his quia partà salus, quam nulla ministrant
Sydera, per puros mundi labentia tractus.
Hac Annæ (dux inquit) erant in parte penates, *Domus Annæ.*
Hac Christum nocturna cohors duxere revinctum
Languen-

Languentes poſt terga manus, alapamque ſatelles
Impius inflixit, ſenſit ſe quiſque feriri;
Lojolides tamen ante alios dedit oſcula terræ.

Domus Caipha.

Mox iter ad Caipham legitur, domus alta Sionis
Monte ſuper ſtetit: hic ſciſſo execratus amictu
Devovet Antiſtes, pravo damnante ſenatu
Immeritum, natumque Deo ſe patre ferentem.
Sputa recenſentur; colaphique, obductaque velo
Ora, novis turpata modis, & ferrea circum
Tempora tempeſtas pugnorum, adjectaque ſannis
Opprobria, & cœlo infeſtum ſuper omnia crimen,
Petre, tuum, quod ſaxa etiam & disjecta loquuntur
Atria, ſed lachrimas eadem teſtantur obortas,
Ipſaque flere docent, quos noxia culpa remordet.
Pergit ad Herodis palatia, Chriſtus ubi aulæ
Principis infames, populares ut hiſtrio, ludos
Flente dedit cœlo: hîc magno ſuperacta theatro eſt,
Quæ terram ad lacrymas, ſuperoſque tragœdia movit.
O jus faſque tuis verſum, Romane, miniſtris:
Præſidis imperio plagis crudelibus inſons
Vapulat heu ſcenam horrendam! ſaturare jubetur
Pectus inexpletum, & crudos laſſare Cyclopas:
Lojolide, hic animis opus eſt, fortique lacerto
Arma move, meritas proprio de ſanguine pœnas,
Quas luit innocuus, Chriſtoque refunde cruorem:
Talibus incenſus furtim nudata flagello
Terga quatit pulſans: ſocii doluere cruentum
In famulo dominum, planctuque ad pectora crebro
Impegere manus, ſua quiſque ut facta piarent:
Hîc miſere lacerum, & compoſtum membra ſedili
Perque jocum ſcelerata cohors vexabat, honorem
Submiſſo mentita genu: pars carice textam
Hirſutoque rubo fronti infixiſſe coronam
Gaudebat, partem vacua oblectabat arundo
Nunc inſerta manu, ſceptri vice; nuncque recuſſa

In

In caput, inque genas, fœdo livore tumentes.
Haud aliter pueri cum ludo ex omnibus unum
Delegere ducem, reliquis qui ſponte ſubactis
Imperitet, læto cuncti ſtant agmine circum
Denſati, aſſurguntque omnes, regiſque ſuperbi
Imperio parent, & ludicra juſſa capeſſunt;
Sic miles Chriſto illudit, tumidoque ſalutat
Ore procax, auſus veluti ſe figere regem
Aſpiret ſceptris, primoſque affectet honores;
Nec tantum jocus eſt, pugnis & arundine pulſat
Regnatorem orbis, non verbo indigno querentem.
Haud procul aſſurgunt prætoria, nota Pilati *Prætoriũ*
Nomine, quo ſacri ſitientes ſanguinis, agnum *Pilati.*
Funerei rapuere popæ, immeritamque profanas
Ante fores mortem diro petiere ululatu.
Hic cæcas ſine ſole domos, ubi carcere longo *Carcer*
Membra Petrus ferro, ſomnoque gravata levabat, *Petri.*
Aliger ingreditur, vincit ſplendore tenebras,
Mutanturque alium nocturna ſilentia ſolem;
Nuntius ut Petro latus impulit, ille repente
Sopitos revocat languenti in corpore ſenſus
Miratus comitem; ſequitur per ſepta domorum,
Perque impreſſa movet trepidos veſtigia greſſus,
Vana putans pigros deludere ſomnia ſenſus;
Sed clauſæ patuere fores, objectaque ſidunt
Cauſa Petro, cui fas Stygias evincere valvas,
Et clauſos reſerare aditus bipatentis Olympi.
Exin progreſſis ſinuatur deſuper arcus,
Pontis opus ſuper impoſiti: fert fama furenti *Ecce Ho-*
Oſtenſum hic populo regem, vibicibus altis *mo.*
Purpureum, irriſum, atq; hominis vix inſtar habentem,
Flecteret ut pœnis animos; ſed corda ferarum
Induerant, quæ, cæde madens dum fervet arena,
Inſanas acuunt iras, cornuque, feriſque
Anguibus humanos artus lacerantque rotantque,

Atque pilæ ritu, ventorum ut pabula, volvunt;
Scripta notis trucibus rabiem vel marmora monstrant
Accusantque manus tortorum: cætera dudum
Expunxit caprificus, edax aut abstulit ætas.
Quisque dedit lachrimas oculis, atque ore querelas:
Quid fuit, exclamant, crudeli ut funere tolli
Expeteres vitæ authorem? non faucibus hæsit
Vox ea, quæ mortem immerito conscivit acerbam,
Inque tuum sobolisque caput revoluta reposcit
Sanguinis optati pœnas? quid Cæsar amicus
Profuit, urbs miseris unum si tota sepulchrum est?
Ah saltem si mersa malis fecisse doleres
Natio, purgaresque scelus, dolor ille salutifer orbi
Te simul & populos communi clade levaret;
Sed saxis loquimur: dum dux; procedit Olympo
Vesper, ait, clauditque diem, intra tecta recepti
Securos revocate gradus; sub tempora noctis
Non magis est ovibus rabies metuenda luporum,
Quam nostro generi infesti, gens barbara, Turcæ.

Turcarum metu sub vesperam ad hospitium redeunt.

Ut primum tenuis libarunt fercula mensæ,
Et primos oculis somnos, mox Golgotha clamant,
Spes montis tenet insomnes, sed luce renatâ
Distulit hoc votum ductor, jussitque Cedronem
Carpere iter versùs, qui mox volventibus undis
Occurrit, planctuque gemit per saxa canoro,
Donec agens fractos Solymæa ad mœnia fluctus
Reliquias regum illustres cineresque superbos
Pacifico appulsu jam mollior unda salutat;
Utque avidas primum turbæ venientis ad aures
Undæ murmur iit, quà pons amplectitur arcu
Obnixo, torrentis aquas, jactisque retardat
Molibus, extemplo subiit terroris imago,
Cum scelerum infremuit torrens & sordida terræ
Proluvies fluctu intumuit, mersura profundo
Gurgite pro multis unum caput; heu quibus ibat

Petunt montem Olivarum per torrentem Cedron.

Jacta-

Jactatus curis: quo mentem turbidus æstu!
Hoc ipsum sectatus iter molimina nati
Jessæus fugit, sed quamquam regia luctu
Lumina rorarent venerando & vertice canos
Intectus, nudusque pedes miserabile contra
Præsidium secum traheret, tamen ipse figura
Parva fuit Christi, & magni levis umbra doloris.

Recolunt iter Davidis fugientis Absalonem.

Hic se Gethesmani sublimior area clivo
Altius attollit, steterant ubi rara domorum
Tecta, virent oleæ: nec decessura Taburno
Culmina, vestitu sylvæ fœlicis inumbrant,
Unde loco nomen; sed & sic stabulantur Amurca
Fexque hominum Turcæ, prætentaq; claustra tuentur.
Viderat è specula custos succedere colli
Christiadas, raptisque ruens horrendus in armis
Stigmate signato faciem turpissimus, ultrò
Infrendet, cohibete gradum, quo tenditis, urbem
Inspectura cohors, nostræque accincta ruinæ?
Ductor ad hæc sociis: hæc ferrea verba, crumenis
Æra soluta domant, ob septaque claustra refringunt.
Nec mora collectâ penetrant stipe; scanditur amplo
Limite, sublimem quæ se via flectit ad hortum,

Nonnihil moræ à custode Turca objicitur.

Pecunia superatur.

Hic ubi Lojolidem subitus circumstetit horror:
Prima mali facies, & vis immensa laborum
Et plenis mœrore calix, quem dextra propinat
Ipsa Patris vindex, oculis se se obvius offert:
Opprobrium, mors una soles vexare nocentum
Corpora suppliciis: quo jure & fronte fatigas
Numinis immortale caput? sed fallimur, inquit,
Nil ausa est mors, nec potuit; nos prima nocentes
Causa mali, nostrasque luunt ea funera noxas.
Dum fatur, Zephyris spirat benevolentibus hortus,
Ruris odor mirus (nam cultæ gratia terræ
Nulla nitet; glabræ macies informis arenæ
Jejunumque solum, & nudus tenet omnia collis)

Non tamen aut melius Jerichunte rosaria fragrant,
Aut fortunatis spirant opobalsama virgis;
Quippe supervolitans Zephirus dissеminat alis
Nectareis auram, quam Christi fuderat olim
Dilutus sudore cruor, cum laxa resolvit
Spiramenta latex, venis proruptus in herbas
Corpore ab Ambrosio, & cœlo jactavit odorem:
Cedite, primitiæ, fisso quas cortice trudit
Myrrha, vel enati perfuso cespite flores,
Quos creat, extremis ubi cornibus incubat, iris.
   Stat muris viduata suis, visendaque solâ
Religione loci, facies super ardua clivi;
Horti nomen habet, nusquam decus omne vetustas
Obruit, & Romana jugo bacchata procella.
Una super monimentum ingens stat vertice rupes
Immoto, longoque specu deducta recedit;
Ter circum conatus erat clamore parentem
Flectere progenies summi Rectoris, & antro
Ter quoque vocis erat revoluta precantis imago,
Ærea nubila erant, & inexorabile cœlum:
Non fuit è sociis quem non dolor ille moveret,
Clamorem attollunt, nos fecimus ærea patri
Viscera, non sævis infecimus atra venenis
Pocula, quæ siccanda Dei dabat ira, novercam
Hìc simulans; simul acer iit per pectora planctus,
Perque genas jugis lachrimarum depluit imber.
   Dein ubi prospectu facili subjecta patescit
Ælia, respiciunt, qua parte insederit hostis
Obsidione premens Solymam, qua prima locarit
Castra Titus, longo quàm duxerit orbe coronam,
Et quibus incisos rivorum averterit alveos
Aggeribus, vel quo ruerit molimine muros:
Nec sinit interpres nescire, quot hauserit æther
Peste gravis, diuturna fames quot millia vulgi
Straverit, & crucibus fixi quot mœnia circum

Efflarint triftes animas ante ora fuorum.
Obfidet intereà rupem gemituque fatigat
Lojolides, fed non furdæ canit omnia Chriftus;
Refpondet votis, augetque precantis amorem.
Cernitur, ut ftetit ante patrem fudore cruento
Invidiam facturus, & in luctamine lethi
Obnixus Iudam, & reliquos lenire fodales;
Ac veluti fi quem ferpens hæmorrhois ictu
Mordeat in mediis Libyæ fitientis arenis,
Protinus exundans venis prorumpit in artus
Qua data rima, cruor, fcatebrifque rubentibus undant
Spiramenta, rigat penetrabilis omnia rivus
Oftia, fanguineus toto fit corpore fudor;
Talis erat noftræ percuffus vulnere noxæ.
Totus ad hæc Lojola ftupet, captifque ligatur
Senfibus, indicio fixis obtutibus hærens
Vultus erat folem contrà lacrimæque cadentes:
Languida pendebant geftu deprenfa precantis
Brachia, vix tenuis fuperabat anhelitus ori
Suftentans caffis lapfantes viribus artus,
Ambibatque caput radiantis circulus auri:
Qualiter arguto dum fydera circinat Iris
Lumine, & oppofitum nubes impervia folem,
Cujus inardefcit radiis, adverfa remittit:
Explorant, ftimulantque virum, nihil ille moveri,
Refpondere nihil, nec corpore prodere fenfum,
Tum magis atque magis taciti mirantur, ut olli
Stent oculi rigeantque comæ, permixtaque fletu
Gaudia; fufpenfi frontemque genafque pererrant.
Hic aliquis famæ exemplum memorabat avitæ
Clarum equitem, cui faufta pios mors folverat artus
Colle fub hoc, dederatque fequi fuper ardua Chriftum,
Haud alio periiffe loco fatoque merentem;
Quippe impar virtute Deo congreffus agenti

Deficit exanimis, veluti Titania proles
In ſobolem mutanda venit, cum tarda ſenilij
Oſſa gelu exactis ſentit langueſcere ſeclis;
Illa ſatur lucis, parat incunabula formæ
Mox reduci, fauſtiſque legit de collibus herbas,
Et tumulum pretio texit; tum ſupplice cantu
Allatura novas vires incendia poſcit:
Mox te tota enitens Phœbus virtute laborat,
Æternam ne perdat avem, flammaſque fideles
Admovet, & radiis totus propioribus inſtat:
In cineres decor omnis abit, reſoluta calore
Vita fluit, mox ſparſa vigor per membra volutus
Æſtuat, & venas ſanguis redivivus inundat:
Sic pater & ſoboles natali exire ſepulchro
Ipſa ſolet, proprioque redux pubeſcere fœtu;
Sic Lejola ſui redivivus funere ſurgit,
Abſentemque à ſe ſe animam dimiſit inertes
In ſenſus, juſſitque opera ad conſueta reverti;
Ac reduci ſpectantum aliquis; ſociiſne relictis
Inque ſalutatis, ſperas te reddere cœlo,
Atque ſequi per viſa pedum veſtigia Chriſtum
Orbe relegato procul, & tellure remota?
Non hæc furta placent: riſit comes optimus olli
Et pulchrè erubuit, faſſuſque rubore pudorem eſt:
Intereà vallem inferius ſubſidere cernunt
(Nomen habet, Joſaphate, tuum;) magni illa capacem
Conſilii pandit ſcenam, quo mortua paſſim
Corpora convenient, tumulis hinc inde refoſſis,
Seu quæ flamma vorax, ſeu quæ mare fluctibus hauſit.
Judicii meminiſſe fuit, quod proferet olim
Gentibus excitis veniens quæſitor olympo;
Quo ſigno concuſſi animi, perque agmina murmur
Perque oculos lacrymæ, queſtuſque per ora volabunt
Advena

Advena, vive memor, rigidis ut quæque recurrent
Pensenda arbitriis superûm, cum luce supremâ
Cæperit altisonans dare signa novissima clangor,
Nec levis inde animos meditantum perculit horror.
Non procul augustæ genitricis operta patescunt, *Tumulus B. Virg.*
Lecto ubi compositam fœlici vulnere fixit
Se toto connixus amor, cœloque remisit;
Illa polo superûm pennis famulantibus artus
Conceptos sine labe tulit, sine tabe sepultos:
Virgineæ tamen haud tumulum virtutis inanem
Diva sinit, dociles morbos & monstra malorum
Obsequiosa suo cogit parere sepulchro: *Ad tumulum B Virginis miracula & odor.*
Fœlix urna patet raptam testata triumpho,
Non furto, triduique morâ contenta beatæ
Hospitis, ambrosio se se solatur odore.
Venit ab afflatu jam dudum viribus ægris
Lojolidæ vigor, & Matris, mora nulla benignam
Sensit opem, vegetusque animi sic ora resolvit:
Virgo parens, toto cui lumina subdita cœlo
Irradiant; magnumque premunt vestigia solem:
Ecce draco patulis ardens è faucibus orci
Attollit furiale caput, terrasque fatigat;
Respice nos, quo, Diva, polum terramque serenas,
Quo Scyticas hiemes frangis, quo nubila vultu
Pellis, & horrenti fœtas aquilone procellas.
Hæc ubi dicta dedit, celeres per proxima gressus
Oppida festivat: terram pubescere credas
Floribus, & rigidas tactu mollescere cautes,
Et fluere ambrosios pressis è nubibus imbres:
Sed quid ego hæc frustra comprehendere versib. optem
Omnia, quæ circumductus loca, quæque secutus
Lojolides adiit? nec enim te, parvula Bethle,
Haud procul urbe sitam Judææ in finibus oræ
Præteritam volvit, quamvis cunabula Christi
Speluncæ super impositus turparit Adonis,

Heu pro Virgineo, veneris puer, & tua quamvis
Præsepe. Divite Roma ſinu præſepia condita claudat.
Eſt ſedes culmo horrenti, calamoque paluſtri
Tecta ſuper, ſtatio agricolis graviſſima, ſi quos
Sede procul patria nox deprendiſſet in arvis;
Namque aliis longe à tectis ſummota recedit:
Hic Deus indignos non ſolum volvere caſus,
Quin etiam voluit tecto ſub paupere, eundem
Naſci, humilique domo miſerabilem, & egenum;
Cernere erat ſtabulis ſueta ad præſepia pandum
Quadrupedem, auxiliumque viarum onerumque levamen;
Bos erat à læva tepidum flans ore vaporem,
Quem juxtà in ſtipulis ſe ſe locat inclyta virgo;
Quippe haud ſplendidior domus ulla parte vacabat,
Paſtores dum dona parant, ſuper æthera ſignant
Cœlicolæ curſus, aptantque in carmina voces:
Tuque adeo, Pax alma, domûs ſtellantis ab aula
Deſcendis: quid enim officii tibi nubila ſupra?
Sydera nil illic turbant commota procellis;
Hic bellis & lite vacant, nil pacis egentes
Cœlicolæ, ſtudiiſque trahunt concordibus ævum,
Gloria fœlices ſuperos ſatis una tuetur:
Litibus inferior domus impacata laborat,
Triſtibus igneſcunt furiis in prælia Reges
Et populi, nutant imis prope ſedibus urbes
Convulſæ, dum ſeditio per mobile vulgus
Perque animos furit, & pluſquam civilibus ardent
Tecta odiis, natoque parens, proleſque parenti
Bella cient; tantos agedum compone tumultus:
En jacet æterni ſoboles æquæva parentis
Teque vocat querulis vagitibus, aſpice flentem;
Conſiliiſque hominum magis æqua, reviſe quietis
Expertes, fratreſque Dei, & pia fœdera firma.
Talia commemorant, imis quæ vallibus Echo

In

Ingeminat, pacemque suâ pro parte precatur:
Mox erit, ut subeant hæc parva mapalia Reges
Poplite submisso, atque aureâ venerentur acerrâ;
Ac licet attulerint magnis imposta camelis
Munera regifico laxu, jam numine viso
Munere ditati multo majore redibunt.
Sic Christi natale solum dulcedine tangit
Lojolidem, veneratus humum est, quæ matre cadentem:
Prima tulit, quæque infantis vagitibus antra
Personuêre Dei, & fontis se proluit undâ,
Cautibus è duris magni quam tempore partus
Exiliisse ferunt in balnea sacra ministram,
Si qua ministra tamen membris fuit unda rigandis:
Salve, inquit, spreto Christus quam quærit olympo,
Paupertas, mihi fida comes, Betlehmis in antro
Cœlicolum regi nupsisti, & conscius æther
Connubii, rutilis accendit nubila flammis:
Nocte super mediâ celebrem dixere hymenæum
Compositæ in turmas, superûm de gente phalanges;
Accepere sonum vigiles sub paupere tecto
Custodes ovium, & studiis ardentibus acti
Agnovere unum pecudumque, Deique cubile:
Ultro ego vobiscum servus sociusve fuissem:
Non me somnus iners, nec acerbæ flamina brumæ
Æquales vestris prohiberent ponere gressus,
Venissem prior, & cunis natalibus hærens,
Quæ male quadrupedum flatu recreata calerent
Membra, refovissem; quas flarem pectore, flammas
Subjecisset amor divus, studiumque juvandi;
Nec me servitii fastidia longa tenerent,
Contentus præsente Deo, mea regna putarem
Quæ te tecta, puer, quamvis angusta coërcent,
Et famulus tecum dulci consumerer ævo;
Namque aliâ quid spe, aut voto ulteriore laborem?

Quod supereſt, ibo, & qua regione maritam
Ducere dignatus Deus eſt, propriamque dicavit,
Paupertas, te ſponſa, colam nuduſque Tonantem
Rite ſequar nudum: atque aliò ſic fatus abivit,
Jamque iter occurrit, Pharias quo Chriſtus in oras
Nocte ſilente fugit, ſævo ſubjecta tyranno
Victima, namque furor timet improbus omnia, ut omnes.
Territat, inque ſuos eſt ingenioſa pavores,
Innumeras ſibi quæ fingit ſuſpicio clades:
Barbarus inſontes, ſtanteſque ſub ubere matris
Sanguineo fodit enſe, cruor non manat ab ictu,
Lactis at exundant fluvii: vix corpore in illo
Vulneribus locus aptus erat: vix membra patebant
Exceptura enſes, & erant matura triumphis:
Hic jugulum mucrone fodit, latus ille ſagittâ
Tranſadigit, trahit hic multâ ſpirantia tabe
Viſcera, materni violantur ſanguine vultus,
Compitaque inſonti fumant undantia tabo,
Purpureoque fluunt rivo; vix orba parentum
Agmina relliquias dulces, & inertia tollunt
Corpora, ſanguineoque ſinu complexa reponunt.
Dum puteo, Samaria, tuo Lojola ſederet
Spectavit, quos jugis aquæ depoſceret hauſtus
Fæmina, donorum magnique ignara datoris:
Rerum in fonte ſuas ubi vidit ſordida noxas,
Eluit, & vanum dimiſit inutilis urnæ
Officium: Chriſto populorum convocat undas
Hortatrix fidei, & rivos ſparſura ſalubres
Vicinam inſolitis clamoribus excitat urbem,
Nec te præteriens, Samſon, patriamque relinquit
Indictam novus hic miles, tu maxime gentis
Dux idem, mileſque tuæ, tu exercitus ingens
Unus eras; Sociis ſpes nulla manebat in armis.
Nec ferrum torquere tuum dignatus in hoſtem,

Meminit itineris quo Chriſtùs fugit in Ægyptum.

Mille

Mille Philiſtæos cogis dare terga, rudentis
Ad pecudis malam, certo vel funere mergi:
Octava Herculeo non deceſſura labori,
Si telum minus eſt, à telo gloria creſcit.
Non longe locus eſt noto conterminus Hebro,
Tempora flectit ubi gravibus curvata ſub annis
Cum baculo rectore ſenex, cui curtior alter
Pes pede, inæquali corpus molimine librat:
Sedibus his veſtes, mentitaque funera nati
Accepit, taleſque Jacob dedit ore querelas:
Heu, miſerande pater, quid diſſimulare dolores
Niteris infœlix, incorruptamque tuorum
Judice te tentas oculorum in rebus apertis
Infirmare fidem? cur incomitatus abivit
Sola per arva puer? cur noſtro brachia collo
Pendula diduxit? cur à cervice tenaces
Diſtraxi retinente manus? invitus abibat,
Mittebam invitus natum pater, ire jubebam,
Paruit, & petiit; rabiem incuſare ferarum
Deſine, dure ſenex; ego te, Joſephe, peremi,
Objicite, nate, feris: ah nonne viator
Ullus erat, qui ferret opem? ſed ferre vetabam,
Quem pater abjecit, quiſnam erigat? oſcula ſaltem
Si ſuprema darem: nobis fera peſſima triſtes
Sanguinis has guttas, quaſi faſtidita reliquit
Fercula, & inſigni quærens ex crimine lucrum,
Hæc lachrymis redimenda meis mihi dona remiſit:
Quid, reliqui nati, vigili mea paſcua curâ
Servaſtis numeroſa cohors? cuſtodia fratri
Hæc impenſa foret melius; ſua cornua tauros
Defendunt, infirma canes armenta tuentur,
Joſephus ſolis pugnabat quæſtibus; ô vos,
O nimium ad tantæ vocem pietatis inertes:
Fælix ſorte tuâ matrum pulcherrima mater,
Joſephi genitrix, Rachel, quam præcoce raptam
Interitu

Occurrit locus, in quo Iacob falſo acceptam mortem filii dolet.

Interitu, tantis mors officiosa relictam
Noluit esse malis, neque nati funera luges:
Quæ natum junxere tibi, rapuere parenti:
Hæc Jacob; quamvis Josephus & ipse figura
Parva fuit Christi, est magni levis umbra doloris.





LIBER SEXTUS. IGNATIADOS.

ARGUMENTUM.



Ies Exaltationi sanctæ crucis sacra, à monte Olivarum & agro Bethlemitico Hierosolymam Ignatium revocat, ut viam Christi ad Calvariam & Sepulchrum exequatur, sibique præcipua religionis nostræ monimenta oculis usurpata altiùs animo infigat: hic amor divinus crucifixi imaginem animo Ignatii imprimit: & majorem in his locis hærendi cupiditatem accendit: non licet Ignatio per sacros locorum præsides in Terra-Sancta morari diutius, parere ducit necesse: ante tamen discessum in recursu ad Christi vestigia, in monte Olivarum iterum atque iterum visenda, moræ aliquantulum traxit: Quamobrem ab Armenio misso, ut vi hominem retraheret, dure increpatur primùm, mitius deinde habetur per viam, quâ Christus ipse aspectabilis præibat usque ad ipsa Hiero-

Hierosolymæ mœnia: hoc commoti spectaculo custodes Angeli Sionem in luctu dormientem excitant; illa per ultimam, quam Ignatius in urbe egit, noctem, suas apud eum querelas & spes exponit, sibique amorem ejus acceptâ etiam fide reditûs adjungit: revertitur ergo cum sociis Archangelo ei ad custodiam addito; postea divertit in Ægyptum, ubi Moyses apparet, lucentem ei columnam, & baculum præbet ad Israelitas alios deducendos sub nomine Iehova, id est Jesu.



Liber

Liber Sextus

IGNATIADOS.



Nſtat feſta dies, quâ Crux auguſta profanos
Vicit Achemenidas, & ſe captiva redemit:
Ergo crucis vexilla ſequor, queis Muſa ſecundis.
Sentiet afflari vires, & in ardua montis,
Proclives aditus facili molleſcere clivo.

Ad feſtum diem exaltationis ſanctæ crucis redit Hieroſolymam.

Jamque iter emenſum relegit, quo rite parentet
Lojolides Chriſti exequiis qui nocte profundâ
Hoſpitio pecudum, pagique ignobilis antro
Texerat illuſtres ortus, obituſque probroſi
Optarat genus ad Solymam, mediâque videndum
Luce palam dederat ſublimi è vertice montis.
Non ita, qui claris ſe ſe natalibus ortos
Oſtentant, & probra tegunt; ſic ſorte ſiniſtrâ,
Purpureis ubi mane diem ſol promit ab Indis,
Spectatore caret; ſi fors ſubtexat opaco
Corpore luna jubar, radioſque obtundat inertes,
In ſpeculis pendent cives, mirantur in agris
Ruricolæ, aſtrorum movet omnes publicus error.
Lux aderat ſacrata Cruci, pars optima terræ,
Ductor ait, nobis hodie luſtranda, ſodales;
Inſtauratæ pios animos, ſignata legemus
Sanguine & ærumnis domini loca: dixit, & agmen
Protinus Auſonii ducit prætoris ad ædes:
Inde trabem geſtantem humeris, & pondere preſſum

Viam crucis illo die obit.

Servato-

Servatorem hominum, mediam præcone per urbem
Vociferante reum, & densi ludibria vulgi
Carnificumque truces timulos properare jubentum
Ceu videant, repetunt animo, tractimque sequuntur
Sera cohors, lachrimisque gradum manantibus æquant:
Quippe præire dolent sub iniquo fasce laborum
Regnatorem orbis, mitis cervicibus agni
Omne nefas hominum, mundique incumbere pondus:
Quin etiam se se recolunt accedere anhelo
Haud partem crucis exiguam: miseranda vocantur
Portaque, mœniaque, extruso quæ numine stabant.

Pius horror subit ad primum Calvariæ aspectum.

Cum spectata oculis primum Calvaria rupes
Obtulit horrendum cœlo, terræque theatrum,
Procubuere omnes: Deus, hic Deus, edidit orbi
Luce palam, scenam horrendam quâ sidera visâ
Turbarunt, tremuitque solum, ferrugine Titan
Damnavit vultus, pavefactaque luna recurrit
Fratris in auxilium, gressus & devia flexit:
Mota quoque insolito coierunt saxa fragore
Nudaque disruptis patuerunt ossa sepulchris:
Scilicet affigunt trunco, manibusque trabales
Transadigunt cuneos, & dura cuspide plantas
Trajiciunt; jamque alta solo defigitur arbor;
Heu qualis sterili fœtus de robore pendet!
Tum Christus tollens oculos jam morte gravatos,
Exiguum sitiens laticem, suprema poposcit
Munera; corrupti præbent sed munera Bachi,
Ingratosque haustu succos, inamabile virus,
Quo simul extremo libans tenus attigit ore.
Respuit, & labris unus permansit amaror.
Ecce aliud cælo signum præsentius alto
Dat pater; in partes velum se dividit ambas,
Et fractæ templi crepuere immane columnæ:
Nec mirum, moriente Deo, quo machina mundi
Constat,

Conſtat, & æternum ſervant elementa tenorem:
Gens ſola Iſacidum tali de morte triumphans
Ferro aperit latus, ut, ſacri quæ ſtilla cruoris
Reſtat adhuc, bibat; omni ſanguine nempe litandum eſt:
Quis, niſi Judææ crudelia viſcera gentis
Induerit pectuſque Tygris, mea dicta refutans
Adſtiterit contra? vertex non ſanctior ullus,
Ardentem ſive ille rubum, flammâque fideli
Jactet inoffenſum, aut fumantia culmina legem
Iſacidis ſcribente Deo; non ipſe coruſcus
Nocturno ſplendore Thamor, colliſque Sionis
Aut Moriæ, tanto laudis ſe nomine tollunt:
Illic præluſit, ſummo hic ſe prodidit actu
Divus amor, quo totum Erebum ſua ſub juga miſit,
Perque triumphatum ſtatuit ſua regna Tonantem.
Lojolidem dum vidit *Amor* per ſcrupea ſurſum
Inter ſcandentes niti ſola; protinus, inquit,
Inveni, quem dextra mihi configat amantem,
Quæque feram ſpolia, & prædam venator opimam:
Fert habilem de more arcum, caſtamque pharetram
Subnectit lateri, niveum teſtata pudorem:
Defluit ex humeris veſtis; perque alba volutas
Colla comas dat commotis diffundere ventis:
Jam volat, & ſuperas ſcandit ſublimior ædes,
Hic ubi Seraphidæ ſolium ſublime coronant
Ardentes animæ, & ſenas vibrantia pennas
Agmina, quo fidens ex ordine ſevocat unum
In partem ſociumque operis, dein talia mandat:
Ars tua nota mihi dudum, quà ſtipite ab alto
Pendentem ſimulare vales in imagine Chriſtum,
Namque ſub Alverni orantem faſtigia montis
Franciſcum ſignare notis aggreſſus inuſtis,
Sic habitum mentitus eras morientis & ora
Numinis, ut, niſi pennarum juga terna negarent,

Amor divinus Crucifixi imaginem animo Ignatii altius imprimere meditata.

Ipſe videreris properanti in funere Chriſtus:
Porrige rurſus opem; namque huc, ubi maxima cæſa eſt
Victima parque Deo, properat novus advena greſſum,
Spargere quo flammas longè lateque per orbem
Incenſo meditor; confer, quem poſco, laborem,
Et ſtudiis accede meis; fac cernere Chriſtum
Se putet, & roſeo manantia vulnera ſucco:
Atque ea dum lachrimis ſupplex implere parabit
Ore legens, immulge ignes, & fervida labris
Pocula, quæ tanti quandoque parentis alumnis
Sufficiant, igneſque orbem per utrumque refundant.
Sit ait, & propero delapſus uterque volatu,
Et circumfuſâ nebulæ caligine tecti
Impendere jugo; tum raptus ab agmine furtim
Lojolides, comitum ad tempus conſortia fallit:
Muſæ, Golgothides Muſæ, quæ ſacra tenetis
Culmina, Parnaſſi melioris in ardua vatem
Tollite, & afflatu veſtra inſpirate camœnam,
Ne fors more meo per inſoſpita devius errem.
Aërio in campo, & tenebroſæ nubis amictu
Seraphis igne ſuo lucens, in funera Chriſti
Compoſuit ſe ſe; clavis trabś horrida corpus
Geſtabat flagris lacerum, ſertoque cruento
Verticis hirſuti cervix reſoluta jacebat;
In mortem defecti oculi, contuſaque fœdis
Ora notis, tortique, pili, detractaque barba,
Vulnere pectus hians, ruptis compagibus oſſa
Adductam extendere cutem, numerabile textum;
Binaque transfoſſis manarunt flumina plantis,
Cætera vulnus erant, tabum, livorque, tumorque.
Horruit aſpectu Lojola, & fixus inhæſit
Acriùs exemplo: ſubito tamen impete plantas
(Audacem faciebat amor) complectibus arctis
Occupat,

Occupat, unde sui medicinam quærit amoris,
Unde bibat flammas, & pectoris aggerat æstus,
Magdali, fonte tuo, quo tanta incendia quondam
Potabas; adeoque sitis cum major hianti
Gliseeret, aspirans lateri se tollit aperto:
Conantem provexit amor, dextramque refixit
Seraphis occurrens, trepidumque ad pectora pressit:
Quas ô delicias illic, quæ pocula duxit.
Ebrius, affixus fonti, fluit unde voluptas?
Vos, superi, stillam tanti indulgete liquoris.
Sed quid ago? potius nostra ob commissa, vereri
Iratum, ultoremque Deum succurrat, amantum
Quam sperare vices, & amœni nectaris haustus,
Quod puro (licet hoc paucis) petit ore sitiri:
Non ea vis animi: satis at communia sunto
Munera, quosque ultrò miseris Deus impluit imbres:
Mox *Amor* opposito connitens poplite nervum
Erigit, & geminis adducit cornibus arcum;
Jamque adeo pharetrâ depromit amabile telum
Aerè micans, validaque manu, nervoque sonante
Impellens, nostris totus flagret ignibus, inquit:
Finierat, reditumque alacer super astra parabat,
Quando fraude pia divinum Ignatius arcum
Arripit, atque fugam tali sermone moratur:
Quo, tortor divine, fugis, solusne relinquar
Hostiles acies inter, Stygiosque furores
Inscius armorum, linguæque, virûmque, locorum?
His ego per flammas, &, quo spoliare, per arcum,
Per quidquid tibi dulce polo est, ne desere solum
Obtestor: vultu subridens ille sereno,
Non ego te, dixit, vivum, nec funere in ipso
Destituam; sed ne nimiis fulgoribus icti
Deficiant oculi, tua me in penetralia condam
Sufficiens ingentem animum & sublimia corda:
Tantum effatus *Amor*, magno se pectore miscet,

Divinus amor vulnerat Ignatium.

Parque ſibi hoſpitium nactus, dignoſque receptus,
Inſinuat ſe ſe, plenoſque illabitur artus:
Inde ubi Lojolides terram ſocioſque reviſit,
Senſit non ſolitis præcordia fervere tædis;
Agnovitque Deum flammis, jaculiſque potentem,
Scrutantemque fibras, & tota in præcordia lapſum.
Totus & ille dies, reliquique ex ordine ſoles
Poſſeſſum videre Deo, lætique fruentem
Reliquiis animi; famuli ſuſpiria venti
Ad ſuperos mentis curas teſtata vehebant:
Tot voces, quot membra ſonant; nec pervia verbis
Ora tamen; ſilet, ac loquitur; ſic vexat amantem
Suavis amor, flammaſque ciet, dum nullus in auras
Æthereas cæco facilis patet exitus igni:
Erumpit tandem, preſſoque ita pectore fatur:
Huc, anima, & totos operata recollige ſenſus;
Quid peto? quid metuo? quid amo? quid ſpero? quid opto?
O ſi quid poſt hac ſupereſt committere votis,
Pugnate affectus, & in unum occurrite numen;
Seu mœſtum ſolvat dolor, aut amor urat amantem:
Si cunctos mortale genus ſe impendat in uſus
Impar ſemper erit: nec te tamen exulis Evæ,
Exul progenies, inſiſtere calle pigebit:
Sic ait, & languens tardantia fata precatur;
Mors illi votum eſt, ſola eſt in morte voluptas;
Haud aliter, quàm cum vivax ſua funera Phœnix
Nobiliore rogo, reducíſque exordia flammæ
Præparat, & tumulum foliis, & thure ſabæo
Componit, lætâ ſenium poſiturus in herba:
At ſimul acceſſit Titan, fæcundaque præbet
Flamma faces, radiis proprior nihil ille moratus,
Parturiente rogo, Phœbæos concipit ignes,
Ut pereat, gaudetque mori feſtinus in ortum;
Sic & Lojolides blanditur imagine mortis,

Totus inardescit, nec frustra nomen ab ipso
Igne trahit, rapidis flagrant præcordia flammis:
Æternas cœlo memorant rapuisse Prometheum
Arte faces, furtumque homines docuisse priorem:
Lojolides majora audet, non tollere cœlo
Exiguam, & curvo ferulæ concludere ligno
Flammeculam tentat; sed rapta incendia cœli
Orbe ferit toto, & laxis immittit habenis:
Utque unus Siculis exercitus Archimedes
Igne potens pugnat, speculo cum forte recurvo
Collegit solis radios, atque obice facto
Lux rediens, magnis accessibus aucta remittit
Semina flammarum, rapidæque exordia pestis;
Sic, ubi Lojolides sacrum penetralibus ignem
Concepit spirare rogos, emittere flammas,
Evibrare faces, ignitaque verba profari:
Non ita Phlegræis exæstuat Æthna caminis,
Cum fremit horribili sonitu, vastoque sub auras
Flammarum vomit ore globos, liquefacta volutans
Saxa procul, piceique eructans viscera montis;
Et jam nulla capax fluctus prohibere ruentes,
Nulla novos sedes includere sufficit æstus;
Qualis in angusto murorum fornice pressa
Quærit iter, vinclisque erumpit flamma solutis:
Aut velut obicibus fractis cum sævior amnis
Volvitur, objectasque evincens gurgite moles
Saxa lacessitam, metasque superjicit undam:
Sive cadi clauso qualis spiramine Bacchus
Exagitat spumas, interclusosque recenter
Contra æstus, nondum decocto irascitur igne:
Ingemit & gaudet, speratque, timetque vicissim
Et mœstum non unus agit dolor, at nova semper
Intus tempestas surgit, quæ turbine cæco
Attollit modò sublimem, modò in ima retorquet.
Vidit ab antiquo scissæ telluris hiatum

Ad manes demissum imos, quem fama sequuta est
Infælicem animam miseri sorpsisse latronis,
Cum socio promissa poli jam regna paterent;
Vidit, & ingemuit tanto discrimine sortis
Abjunctos, quos vita reos scelerata, necisque
Triste genus Christo socios adjunxerat: alter
Leto, inquit, subeat melioris limina vitæ,
Alter at æternæ ruat in dispendia mortis,
Cum medius vitam pareret Deus; anne erit unquam,
Ut via claudatur lethi? si corpore possim
Obstruere, & tua, nunc, si fert ita, Christe, voluntas,
Me capiat specus hæc, mittatque sub ostia ditis,
At non una patent; nec sat rationis in ausu:
Quod reliquum est, equidem obsistam, ne quisquis adibit
Hæc loca, neu Christi vanus cassusque salutis
Intereat: tales agitabat pectore motus:
Qualis ubi rapidus nimboso flumine torrens
Aggeribus furit abruptis, & gurgite montes
Oppositos simul evincit properantibus undis
Præcipitans, cumulos, cumulis & flumine flumen
Impellit, lateque agros & semina vastat,
Dum sopor agricolas, & habet sua semina pastor.
Da, Deus, exiguam partem rescire nepotes,
Præcipue quos ille suis accendere flammis
Optavit socios, conjuratasque cohortes
Nomen adorandum latè victricibus armis
Per populos proferre, & iter reserare salutis;
Ut recolant, quibus ille viam affectarit Olympi
Passibus, & studiis tendant æquare parentem,
Igneus unde illis vigor, & sublimis origo:
Ast ea non memori fugiunt spectacula mente,
Ut fugere oculis: ex illo semen amoris
Sensit, flagrantesque in pectore fervere flammas,
Quas semel accensas æternum eventilat aura
Cœlestis,

Cœlestis, crescetque annis crescentibus ardor:
Unum, inquit, te Christe, precor, proque omnibus unum;
Pone ictus; terrere sat est, nostrique cruoris
Parcus, in ignotas exerce fulmina syrtes:
Si vindicta placet, pœnas reus hactenus orbis
Et pelago flammisque dedit; modo fulmina pone:
Singula vindicibus plectas si crimina telis,
Jam tua consumptis torperet dextra sagittis,
In meritas angusta forent jam tartara pœnas:
Sic ait, obtutuque hæret defixus olympi;
Dixeris extinctum, nisi quod vitam oris honestas
Arguat, atque rubor candorque reciprocus errent.
Miratur peregrina cohors, studioque videndi
Circumfusa ruit; vultus stupet ille precanti
Persimiles, stupet hic digitos per mutua nexos,
Sublatasque manus cœlo, seu vita maneret:
Scilicet in gelidis virtutis imago lacertis
Spirat adhuc: & mox aliquis; quid funere terras
Deseris, & medio comites in calle relinquis?
Si fugis, actutùm Stygius stimulante furore
Incustoditum leo depopulabit ovile:
Ergo age, vel comites sursum super æthera tecum
Tolle, vel incœptos unâ decurre labores:
Hæc inter, sociorum alter, cui cognita virtus,
Relligioque viri, vanis quid questibus auras
Frangitis incassum? vivit Lojola superstes
Parte sui meliore; vel augur inanis haberi
Nil renuam, dictis nisi consona facta sequantur:
Hæc fatus, docto pertentans pollice venas
Explorat; levis agnoscit sub corde micanti
Reliquias animæ, servataque semina lucis:
Ad se Lojolides & pensa ad sueta reversus;
Vosne pedes cœlum premere, & vaga sydera sueti
Aurataque domos superûm, & sublimia tecta

Hanc terram, has fuso ſparſiſtis ſanguine cautes,
Saxea nec trepidat mens indurata timore?
Aſpicite ut pronum curvat caput, & pia laxat
Brachia, & ingratas invitat ad oſcula gentes,
Dum capitis ſubſidit onus, cervixque remiſſa
Annuit, & prono nobis fert baſia vultu,
Ceu propior laturus opem; quin brachia ſignum
Amplexantis habent, & amoris viſcera pandunt·
Intereà dudum occluſas avertitis aures,
Stirps inviſa Deo, genus infœlicis Adami,
Præda Stygis certa, & crudelis victima fati.
Tempus erit, quando exactæ male tædia vitæ
Vos capient cœli expertes, & ſera recurrent
Crimina ſuppliciis purganda, ſed ibit in ignes
Turba nocens, ſonteſque exſolvet corpore pœnas;
Tunc animum monitis non intendiſſe pigebit:
Tempus erit, cum Chriſtum altâ de nube ſedentem
Mulctantemque reos, veſtra & commiſſa notantem
Cernetis, timidus nec quiſquam extendere vultum
Audebit contrà, vel contra robore ferri.
Faucibus orcus hiat patulis; inhibete rapinas
Quas vorat, & patrio mentes convertite cœlo.
Ignati! fruar igne tuo, gelidoſque per artus
Innatas tibi ſparge faces, te nomen ab igni
Sortitum experiar ſi me totum occupet ignis.
Te quocumque vilis, alacres, præeunte, ſequemur;
Nos eadem, quæ te totos divina perurit
Gloria, nos magnis igitur dignare periclis:
Sic ubi bella fremunt, Martemque ſonora vocavit
Buccina, magnanimum geſtit ſtipare parentum
Turba minor, charumque latus comes anxia cingit,
Fulgentem inſertat gladium, galeaſque comantes,
Imbellemque manum clypeis rutilantibus aptat;
Et nos mille tubis audendi animoſa voluntas
Uſque vocat, gremiumque orbis prætundit anhelum
Langui-

Languidus, & meſſes campis albentibus offert.
Interea, quæcumque crucem, quæcumque ſepulchrū
Circumſtant, Lojola videt, neſcitque tuendo
Expleri, lachrimaſque inter jam gaudia miſcens,
Ad tumuli primos aſpectus, talia fatur.
Quidquid corporeæ Chriſtus gravitatis habebat,
Succedens abigit levitas, & in æthera tollit;
Nil jam ferratos ſtridenti cardine poſtes
Oppoſuiſſe juvat; cum turribus ardua celſis
Mœnia, & obducto valvas adamante revinctas
Jam ſubeat facilis, mediuſque per obvia rendat
Corpora, & inſano metuendas pondere moles;
Quin etiam globus hoſtilis ruat omnis in unum,
Et jaculis, gladiiſque petat, ſine vulnere ſurget
Incolumis, nulloque ibit penetrabilis ictu:
Denique ſi trepidis ingens ab ſedibus orbis
Convulſus pereat; juncto ſi funere cœlum,
Communemque everſa trahant elementa ruinam,
Ille triumphata per tot diſcrimina ſorte
Congeſtos celſum attollens caput inter acervos
Stabit ovans; qualis poſtquam ſub nubibus atris
Formoſum caput obſcurâ caligine merſus
Erumpit Titan, terraſque ſolumque, ſerenat.

Sacri tumuli aſpectus.

Mille manet nodis mors huic religata ſepulchro,
Languida quæ ſerpit, detractaque cornua lugens
Demittit criſtas humiles, diademate fracto:
Ventris hiat pro ventre locus; pro pectore ſedes
Pectoris; exeſi, pro naſo, rudera naſi:
Spicula trunca jacent, & falcis inutile ferrum;
Dic ubi, *mors*, ſtimulus? tua quò victoria ceſſit?
Hac liceat, Lojola inquit, mihi ſede morari,
Atque Sionæas peragrare frequentius ædes,
Amiſſumque diu, ceu Magdala, quærere ſponſum,
Scrutarique vias, & omni plangere colle:
Sic ait: At quonam tellus quæſita ſub orbo

Aut tam præsentem dederit cognoscere Christum,
Aut qua sede suam malit componere vitam?
Templa quidem, viduamque crucem, vacuumque se pulchrum
Ostentant oculis, sed enim indulgentia cœli
Numquam inconsultos, indonatosque remittit
Quotquot amant fixas cum Christo ibi ponere sedes;
Sin mutare solum, aut statione exire liberet,
Sese ad felicis ripas Iordanidis undæ,
Et purgata Deo mortali flumina ferret:
Exuit hoc olim princeps in gurgite Cyrus
Probrosam lotus scabiem, melioribus amnem
Passus aquis fluere, & tactus præstare salubres:
Qui totam tincto Christi de vertice traxit
Munditiem fluvius. blandita voce susurrat,
Merge caput lachrymis, & pectoris elue sordes,
Christus erit fluvius potior Iordanidis undæ:
Stagna Tiberiaci nunc & calcata profundi
Viseret, & dociles domino se sternere fluctus,
Squammigerosque greges compellere ad humida lina,
Bis mirante Petro præda prope cimbia mergi.
Vosque Capharnææ turres, si qua tamen undis
Exstatis, si non insertas nubibus olim
Ad stygia contempti dejecerit ira Tonantis;
Te quoque Nazaræa domus, præque omnibus unam
Lustraret; tu virgineam labentis in alvum
Conscia prima Dei, primique exinde laboris,
Digna oculis, cultum exciperes: Galilæa juvaret
Rura remetiri toties peragrata magistro
Dispersarum ovium, quas septa in Olympica legit:
O Tabor, ô cœli quondam fulgoribus æqua
Culmina per noctem, solique incessa corusco
Et nivibus, Christo innatum prodente decorem
Clarius in tenebris: qualis cum mane sereno
Exit ab Eo pulcherrimus æquore Titan;
O quàm

O quàm vestra libens prompto fastigia gressu
Exuperaret amans! quæ figeret oscula terris!
Ast age, Lojolides, non uno limite gaudet
Ignea vis animi, velut arbor adhæret inerti
Fixa solo; sed rerum alius tibi vertitur ordo:
Fluctibus oceanus quamquam tonet, ignibus orcus,
Æolus & ventis; quamvis compagibus orbis
Emotus, totoque ferox ruat impete fatum,
Tecum relligio, tecum pietatis avitæ
Primus amor, tecum vastis incognita regnis
Cana fides ibunt properis invecta quadrigis.
Dicta dies, qua se socium redeuntibus addat
Lojolides, urget lectis abscedere vasis,
Si qua legenda tamen, nil quidquam in rebus habenti,
Montis Oliviferi cum se rediviva cupido
Implicuit menti, tuaque ad vestigia raptim,
Christe, regustanda extremas adjungere curas
Instituit; sed eò quonam ductore feretur?
Quis tutum præstabit iter? nam barbarus obstat
Miles, & objecto tantum placabilis auro:
Dux erit, inquit, amor; quid enim non cedat amori?
Ac, si muneribus vis est superanda profusis,
Prodigus in sumptu est, & prodigus optat haberi,
Et dabit ære suo studium saturare videndi:
Theca fuit calybem loculis complexa, nitentes
Arte laboratum in lemmas; dedit illa tueri
Ultima terrarum Christo calcata, columnis
Designanda magis, quam quæ postrema notavit
Amphitrioniades sub sera cubilia solis:
Terque quaterque solum fœlix veneratus, ad astra
Luminibus versis fertur sic voce loquutus:
Æterni vigiles, hominum qui vota sequestri
Auditis, si digna precor, quò ferre negatum est
Mortali, deferte meas super æthera voces

Antequam discedat, montem Olivarum adit.

Emit aditum graphiotheca de prompto.

Ejus oratio ad loci custodes Angelos.

Illius

Illius ad ſolium, veſtigia cujus adoro:
Heſperio longè veniens à cardine mundi
Adfueram, & tua per veſtigia trita libebat
Errores deflere meos, cum ſaxa viderem,
Cum montes, valleſque cavas, ſaltuſque profundos,
Omnia quæ pergrata tibi, dum paſtor abactam
Quæris ovem, tingiſque ſacro dumeta cruore;
Non me barbaries aut vis inimica vetaret
His hærere locis, & de me ſumere pœnas:
Ad legerem ſocios cœpti,& vel amare docerem
Barbara corda Deum, vel munere mortis adirem
Cæſus ad authorem vitæ; ſin parceret hoſtis,
Hic mihi tum ſcopulis mandare liberet amores,
Et veſtris, oleæ, libris: reſonare docerem
Illum, cujus amor tantùm mihi pectore creſcit,
Quantùm vere ſolent veſtri pubeſcere fœtus:
Talibus invidit ſtudiis lex dura; neceſſe eſt
Hoſpitiis migrare piis, miſereque relegor
In mundi commune ſolum, pelagique procellas:
Ergo ego poſtremùm te, rupes, alloquor; & vos,
Signa pedum, quæ nulla dies viſenda reducet:
Stat cœlo via ſanguinea, æratique petuntur
Per cædes & fata poli; non ſcandit inertis
Militiæ genus; ignavos hæc caſtra recuſant:
Mira loci hæc faciens, cœlum quæ ſemper apertum
Cernere amat, renuitque tegi: nec marmore ſterni
Terra tulit, luxus hominum indignata, manuſque
Artificum; ſed nuda placet cum ſimplici cultu:
Quin datur in veſtris mandare amplexibus actam
Hanc animam! quaſcumque ferar degreſſus in oras,
Figite vos menti, trita ut veſtigia Chriſto
Æmulus inſiſtam, curſuſque pateſcat Olympi:
Teque, ô, qui noſtro ſubductus ab orbe, polorum
Summa tenes, nulla obtentâ caligine nubes
Eripiant, donec, duce te, tua limina ſcandam,
Et

Et mihi jam nullæ concreto corpore moles
Cernantur rerum, at Deus undique & undiq; Christus.
  Tempore ab hoc terris evexit ad æthera mentem
Rimantem divina, absentem & pectore toto:
Corpore nam quantò tardanti longius illa
Exierit, tantò volat altius ardua terras
Supra omnes, victrix & sensus sub juga mittit:
Illa Deo propior vera in statione locatur
Se supra sortisque vices; tum tota penetrat
Se totam, ingens ingentem, & defixa recedit
In se se, fœcundum exercens pectore numen,
Orbe procul nostro, mundi provecta quod usquam
est.
Tum potitur proprio hospitio, seque ipsa fatigat
Acriùs, & vires intra se colligit omnes:
Da, mea magna salus, mentem tellure relicta
Exuere infernæ tandem contagia labis,
Calcatas per opes, & per fastidia terræ,
Sydera rimari, tecumque assurgere cœlo.
Hæc ubi dicta dedit, celeri pede Betphage tendit
Montis ad ima; subit rursum stimulata cupido
Ascensum renovare omnem, penitusque notando
Discere, quem cœli ad tractum vestigia vergant;
Surgentem ad solem conversus inverit auras
Christus, an ad Zephirum prono loca subdita
Phœbo:
Nam neque vos, gelidi tantum sperare, Triones,
Nec madidi plaga læva noti; rursusque revertens,
Quo faciles emat accessus custode benigno,
Quidquid opum superest, tales depromit in usus:
Obvius occurrit lictor succinctus, & ore
Armeniam frangens vocem, tun' verbero solus
Hic agitas impune? manus, fustisque loquuntur
Cætera, terribilesque oculi, plagæque frequentes
Nec modus irarum est, sed & his graviora minatur

Redit eodem & forficulis reditum exorat.

Revertentem male habet Armenius.

Inten-

Intentansque ensem, dextrâque oculisque notabat
Lojolidem ad mortem, in celeres jam pendulus ictus.
Constiti ille timens, pavidos nam vincere sensus
Non opis est nostræ, dubioque impellitur æstu:
Ut si quando suis lupus inter ceperit agnum
Sejunctum à sociis, quamvis illum impete facto
Tempestiva canum levitas, fidusque sequentum
Clamor ab inviti decusserit ore latronis,
Semper adire locum memor exhorrescit eundem.
Hoc ægre videre nefas, sedisque virique
Custodes, cœleste genus; quin protinus ardent
Carnificis mactare caput, ni tela retardet,
Solamenque ferat Christus, qui luce præibat,
Et radiis signabat iter; mœstumque levabat:
Tum tremere omne solum, cœloque immissa sereno
Visa oculis cecidisse palam per nubila flamma,
Unde stupent dubii, seu quem jam fata coronent
Orbis in auxilium, seu quid portendere dirum
Flamma velit, cunctorum oculos stupor urget inertes:
Quin etiam prehenso violentiùs ante lacerto
Obriguisse ferunt dextram lictoris iniqui:
Tum licuit spectare, sacri quæ gratia vultus,
Quæ vestis, gressusque Deo, ac desigere menti,
Quæ motis per inane tulit vestigia plantis:

Placatior deinde factus Ignatio est quem Christus antecedere visus est.

Sed neque inalbescens lucis via, formaque magni
Numinis, ætherea latuit de plebe ministros,
Quotquot in excubiis Solymæ stant mœnia circum:
Nec mora sopitam media de nocte Sionem
Evigilare jubent, & lapsos desuper ignes
Divinumque videre jubar; stetit illa suumque
Aspexit decus antiquum, & suspiria traxit;
At non illa diu miseram solata voluptas,
Namque ea nocturnâ species se credidit umbra,
Urbis ut ad muros ventum est; tamen ora notavit
Hospi-

Ad præeuntem Christum conspiciendum per custodes Angelos Sion excitatur.

Hoſpitiumque viri, quem gloria tanta præibat.
Ergo ubi res hominum nox intempeſta quietas
Fecerat, ille vigil tuguri ſub paupere tecto
Mente revolvebat, quæ ſenſibus hauſerat imis:
Haud ſecus ac terris Arabum vel divitis Indi
Exceſſurus, opes mercator nave paratas
Colligit, inque onera imponit, varioſque lapillos,
Et maris Eoj baccas, aurique talenta,
Thura, Ebenum, coſtumque, domum, portanda per æquor.
In patriam: ecce ſubit ſpinis implexa cruentam
Cæſariem, planctu nigros exuſta lacertos
Sancta Sion, mœſto tales ciet ore loquelas,
O mihi ſpectandum longo pòſt tempore Chriſtum
Qui revocas, lucemque, meis quæ plurima quondam
Mœnibus affulſit, cives factura beatos,
Obliquus ſi non glomeraret nubila livor,
Saxeaque obſtarent præcordia; tunc trahendi
Arte potens cœlum in terras, dabis hoſpite longùm
Te fruar infœlix? an, quod reor, ibis onuſtus
Ereptis iſtinc ſpoliis, noſtrâque repoſtos
Ditabis gaza populos? nam ſi qua refulſit
Spes rebus blandita meis, contracta maligno
Sydere, præſidii nihil hactenus attulit ægræ:
Reſtituere olim regnique & pacis honores
Arma ducum Regumque manus; ſed viribus iſtis
Fidere me pridem vetat inconſtantia rerum;
Et tota documenta dedi jactata per orbem,
Nil firmum ſub ſole diu, nil ſtare beatum,
Si læſi premat ira Dei: non bellica caſtra,
Non validas expecto manus, queis barbarus hoſtis
Concitat, unica me pietas præſtare malorum
Immunem poterat, cœloque arceſſere robur;
Hæc quoque deſtituit; nam qui caluêre recenti
Numinis afflatu, poſtquam deferbuit ardor

Sion ad Ignatium oratio in ſomnis.

Ignavo ſubeunte gelu, ſprevere cruorem,
Quo reparata ſalus, gravioraque crimina Sancti
Contemptu fecere loco: potes obvia contra
Arma ciere; ſed heu forſan jam finibus ipſis
Emigrare paras: ſic illa abeuntis amicam
Implorabat opem, cui talia reddidit hoſpes;
Ignatii, reſponſum.
O Vitâ mihi cara magis, ſi degere vitam
Hic liceat; patrios fines & dulcia liqui
Arva tuo mutanda ſolo; nec me altera vertunt
Conſilia, hæret amor, penituſque infixa medullis
Cura tui; teſtes lachrimæ, quas ſortis acerbæ
Occaſúſque tui memorans, circum omnia fudi
Dilectæ monimenta plagæ, juga pervia circum
Convalleſque ſacras, aut ſicubi ſtrata jaceret
Planities calcata Deo, ſanctive receſſus:
  At ſuperûm interpres, cui me parere neceſſe eſt,
Vix bene luſtratis cogit diſcedere terris;
Moxque redux Aurora tuæ divellet iturum
Urbis ab amplexu in portus, pontumque vocantem;
Non tamen avellet curam, memor uſque recurret
Illa Sionæum in montem, quo vertice primum
Advena cœleſti conditum nectare rorem
Mellaque collegi: dum ſpiritus ætheris alti
Me reget, Ambroſio Chriſti dum corpore veſcar,
Ad tua me toties faſtigia, dona reducent
Illo nata loco: nec ſpes præciſa ſubinde
Tentandi reditus, ſi quid pia vota valebunt:
Fortunet modo cœpta Deus, cum fœnore reddar
Agmen agens, lectoſque pari pietate ſodales.
  Hæc ubi dicta dedit, protentæ in fœdera dextræ
Implicuit dextram: ſi nuſquam forte revertit,
Non eſt læſa fides; votorum huc ſumma redire
Sæpè fuit, ſociiſque eadem jurata voluntas;
Obſtitit ipſa fides, alioque ea vota retorſit:
Hinc ſe ſe æternùm & caſus conjunxit in omnes
Lojolidi

Lojolidi sociam *fiducia* Numinis, & spes
Nixa Deo, nebulam passis quæ sustinet alis
Rore gravem multo, & pretioso nectare divûm;
Illa sinus dites aperit, unde aurea messis,
Auriferique fluunt copiosis imbribus amnes,
Auxilium terræ, rebusque levamen in arctis:
Tali veste Deam mortalia vota supernè
Tollentem jubet ire Deus: lapsa illa deorsum
Evolvit funes, quibus anchora firma ligatur
Numinis ad solium, morsuque immota suo stat;
Hinc funem relegens, dextráque amplexa tenaci
Solatur tristes hyemes, hominemque laborem.
Præbet adoratum paterá spumante liquorem
Solamen miseris, durâ qui sorte premuntur:
Tum manibus pia thura legens, lachrimasque decoras,
Ad primas revolat, sua per vestigia, sedes,
Et molitur iter revoluto fune, Tonantis
Ad solium, quo vota refert, lachrimasque gementum.
Hoc se Virgo ferens habitu comitatur euntem
Lojolidem; lux interea sociosque renascens
In promptum stimulabat iter: collecta refertur
Ex omni sacra præda solo: pars septa sepulchri,
Golgotha vel circum ferro scutata, rubentes,
Gratum onus, exportat glebas; pars fragmina gestat
Montis Olivarum; hic lectos Jordane lapillos
Aut Siloe; cineres alius de Virginis urnâ
Eruit, aut tinctas Jacobi sanguine testas,
Cum ruit è templo præceps: & quidquid ab æde
Pontificum Soceri Generique, domoque Pilati
Fas fuit avulsisse, ferunt, vel munera amicis
Vel monimenta sibi; sed ditior omnibus ibat
Lojolides, Christum cui pectoris arca ferebat:
Ante tamen vicina omnes ex arbore frondes
Decerpunt, palmasque manu plaudente reportant.
Haud procul à Solymis vitreas argenteus undas

Spes Ignatii comes.

Spei descriptio.

Discedit cum peregrinis qui variis onusti reliquiis abeunt.

Amnis agens, lætam crispanti murmure sylvam
Excitat; hæc passim querulo respondet amanti,
Demissisque sacro dat frondibus oscula fonti:
Dum Titus Isacidum sævo quatit agmine campo,
Huc acies, huc miles, ovans ruit impete facto,
Cincturus cæsis victricia tempora palmis:
Fit sonitus, violata gravi sub acumine ferri
Sylva gemit, raptosque sibi lacrymatur honores:
Dumque omnes, ut fama refert, abiesque cedrusque,
Fraxinus, & quid quid frondentes porrigit umbras,
Cæde ruunt, truncumque armis & brachia mutant,
Una tamen superest, Solymæ quà proxima vallis
Panditur, auricoma diffusa cacumine Palma,
Cædere quæ nescit, ferrumque illæsa triumphat:
Inde olim ramos subeunti ad mœnia Christo
Infregit denso palmatum examine vulgus,
Bethsaida. Testati studium, & Regem clamore ferentes.
Non longe est regio, quæ circumvolvitur alto
Flumine (Bethsaidam dicunt) patet ampla deorsum
Planities, tenet urbs medium, pars cætera collis:
Huc sociis Lojola gradum comitantibus infert,
Et secum recolit, quinque ut succrescere panes
Mandentum in manibus, piscesque augescere visi:
Jam sol devexo depressior ibat Olympo,
Cum Christus celso spectans de vertice montis,
Ingentem numerum videt affluxisse sequentum,
Matres atque viros, quos per loca devia secum
Traxerat, oblitosque sui, oblitosque domorum:
Substitit hic: etenim lux altera & altera plebi
Fluxerat impransæ, nec erat spes ulla legendi
Arborei fœtus, quem non decoxerat æstas;
Namque Ceres populis quæ sit satis ampla cibandis?
Vix puer inventus multa inter millia panes
Quinque ferens, piscesque duos, quos provida mater
Vimineo inclusos calatho, famis inde levamen,
Inde

Inde viæ auxilium dederat: sed in agmine tanto
Hæc quid enim? quid id annonæ! pars quantula victus?
Jam diffisa cohors querulis mussare susurris
Inclinante die, cum Christus talibus infit:
Cernitis annonæ passim secura parandæ
Agmina pennatarum avium volitare per auras,
Æthere nec solo vesci? Deus ipse minores
Sustinet has animas, & hiantum guttura pascit
Ubere inexhausto: qui sufficit omnibus unus,
Spero equidem vobis aderit: spes tollite in altum,
Et nemo impastus, nemo non lætus abibit:
Dixit, & ad Patrem conversus talia fatur;
Summe opifex, pratis tu qui sitientibus imbres
Sufficis, & brutis præbes in pabula fœnum hoc,
Quod plebs falsa premit: genitali voce creasti,
Quodcumque est, alioque tibi non semine constat:
Tu, charum genus, Isacidas, loca sola tenentes
Pavisti ambrosiâ, & cœlesti munere divûm;
Adsis, ô tandem, impastisque alimenta ministra:
Tota penus parvo Cereris, piscisque minore
Stat numero, mors certa ruit, nisi dextra moretur,
Dextra potens rerum, mundique æterni potestas;
Nec plura his: mox gramineis discumbere campis
Edicit plebem effusam, dapibusque parari
Millia quinque hominum (tanto nam deme puellas
Ex numero, pueros pariter, matresque nurusque)
Moxque minutatim Cerealia dona secari
Imperat in frusta, & populos excurrere in omnes,
Ecce (quod auditu, quodque est mirabile visu)
Plebs lætata, stupensque videt succrescere pisces
In manibus, geminati augescere tenuis panis
Frustula, convivasque epulari largiùs omnes
Munera fælici, atque in deficientibus escis;
Plurima quin etiam mensis superare relictis
Fragmina, bis senis non excipienda canistris,

Poſtquam expleta fames, & edendi longa Cupido.
Inde revertenti celebres meminiſſe hymenæos
Cana. Cana dedit, verſam mirata rubeſcere lympham,
Attonitis, quam mox tulerant è fonte, miniſtris;
Namque omnes circumpoſitis diſcumbere menſis
Atque alacres epulari, & vina repoſcere læti:
Nec dum finis erat dapibus, cum triſte per ædes
Exoritur murmur, vacuis liquentia vina
Defeciſſe cadis, turbarique omnia viſu:
Tum res alma Parens miſerans, gnatum ore precatur,
Ferret opem: nec plura; preces & vota rogantis
Excipit, & rebus Chriſtus ſuccurrit egenis:
Sex, ut erant ibi tot numero, carcheſia lymphis
Impleri jubet, & nigreſcere cernitur humor,
Atque laboratum per pocula currere nectar
Conviva peragente Deo, menſiſque reponi.
Jam Tytium voti compos navale relinquit
Lojolides, ſi quis locupletes inter egeno
Conſcenſurus navigium nummos abjicit. Angulus, aut quicunque locus vectore vacaret:
Huic labor eſt ſuadere, cibos mercetur ut ære
Providus, & ſe ſe formicæ accingat ad artes,
Quæ memor effœtæ poſt mitia tempora brumæ,
In cava ſub terras vehit horrea, farris acervos:
Ille famem tamen annonâ prævertere tentans,
Nautica liba parat, durataſque ignibus eſcas:
Jamque vale hoſpitibus dicto, congeſta piorum
Ibat dona ferens, & primam paſſibus actam
Attigerat, cum pauperiem ceu forte videret
Læſam, indignantem, quod fervida dicta retractans
Nunc avidas aleret curas, ſe ſe increpat ultrò:
Quid tibi cum nummis ſupereſt, viliſſime panis
Mercator? jam larga penus tibi ſtructa, quid ultra
Æris opus? Naulum pietas inopina remiſit,
An majora rogas? venerari ficta putaſſes
Numina, ſi nummi, ſi te penes æra fuiſſent;

Qui

Quò Christi tibi pulsus amor, mensque ausa caducas
Temnere opes, & digna Deo jam facta, recessit?
Dixit, & excussos, trepidans quos dextra tenebat,
Fudit humi nummos, pondusque ignobile calcat.
Ingentes velarum alas & suppara facto
Jam pede tendebant Zephyri, solque alta tenebat,
Dum nimis hærentes cará in cervice suorum
Tertia postremo divellit buccina signo
Increpitans: primis legitur piger uncus arenis:
Accipit angusto subeuntes ponte magister
Stans celsa in puppi, & lacrimis non æquus amantum,
Præcipitare moras jubet, & considere transtris:
Sortitur sibi quisque locum de plebe per alveum,
Te latebra, Ignati, sentinæ proxima condit:
Et vix innocuum pulmonibus aera ducis:
At velut arcanis positum inter viscera fibris
Cor latet, inde tamen rigat omnes spiritus artus,
Venarumque meat per texta salubria sanguis,
Inde vigent oculi, ridet frons, membra cientur,
Succus alit vires, & parvum sustinet orbem;
Sic quoque navigii detrusus ad infima vector
Alter erat Tiphys, tacitus dum pendet ab astris.
Nomen diva suum dederat tutela carinæ
Magdalis: illa altæ signata in vertice puppis,
Quos oculis gemino ceu fonte, emiserat imbres
In Domini plantas, & tacto numine sacros
Crinibus abstergit; palmasque, oculosque capillosque
Instrumenta mali, meliores vertit in usus:
Canduit in dextrâ perfecta nitens alabastro
Pixis, odorati vas commemorabile nardi:
Quippe salutifero inferias & dona sepulchro
Prima tulit pretiosum unguen, vinumque liquenti
Macere perduxit corpus: non nautica pixis
Plus sperare dedit, ventis licet illa ministret:
Illa gubernatrix venturum, docta potentem

Solvit è portu in infimo navis loco conditus.

Navis tutela & nomen Magdalena.

Flectere, fidentes animos ſolventibus affert:
Illius auſpicio curſu ratis acta citato
Avolat; alta oculis decreſcunt tecta domorum:
Haud aliter quàm cum nervis excuſſa ſagitta
Aufugit, aptatiſque volans ſecat aëra pennis
Protinus, & nuſquam, niſi jam defixa, quieſcit.
Rupis ab aërio ſpeculatus vertice pupim
Religione ſacer ſenior, decurrere vidit
Ingenti ſulco ſumma ad carcheſia flammas,
Et ſignare ratem: Quo percitus ominis œſtro:
Nam quid id eſt, inquit, ſuperi? ſi navis in alveo
Inviſum vobis veheret caput, haud ita mali
Ignitus ſplenderet apex, ſed turbida circum
Nubila ſpectarem, triſtes & Orionis iras;
Nunc lætùm pia flamma micat: temerare procellis
Parcite, præcipites, hæc cæli inſignia, venti,
Donec in Ægypti fines ratis acta quieſcat.
Hic dum forte ſagax piſcator turgida ponto
Retia ſubducit, Tritonum apparet in udis
Intercepta cohors maculis; pueri atque puellæ,
Matres atque viri paſſim: ratis alta tremiſcunt
Tranſtra ſuper, reddique optent natalibus undis:
Obſtupuere omnes. hominum tantum inſtar ineſſe
Piſcibus, humanæque pares per ſingula formæ
Æquoreis errare plagis, mirantur & ora,
Plantas, atque manus pendentemque ad brachia barbam; *Ægyptus.*
Omine quo læti ſubeunt prima oſtia Nili.
Inſula ſtat medio in fluvio, cultuque Canopi
Inclyta, & auguſtis celebrata Serapidis aris;
Hic ubi mira ſilex, frugis præſaga futuræ,
Quæ certis deſcripta notis, variiſque columnis
Sculpta, ſtato frugis menſuram tempore monſtrat,
Copia ſeu fœlix, ſeu magna penuria frugum eſt
Illa gradus varios notat excreſcentibus undis,
Quas

Quas aut eluvies latè ſpatiata refundat,
Parcior aut renuat fons rareſcentibus undis:
Sit quamvis vitreis tantum ſpes vitrea lymphis,
Unda fidem ſervat; præſes obſervat haruſpex
Mente oculiſque, imo procul incrementa canali,
Et reſponſa refert; magnæ frugiſve minoris
Spemque metumque facit; quæ gens Pygmæa volucri
Agmine ſuſpenſis populis per compita vulgat
Jam bis octonos cubitos ſi ſcandere lympham
Nuntia fama ferat, rerum tibi, maxime rector,
Vota coronati, & templis donaria reddunt;
Indignata gradu ſi deſide lympha gravatum
Attoliat caput, & veluti defeſſa reſidat,
Languida tum Nilus dejectus cornua, ſertis
Abſtinet, & ſolitæ pondus vix ſuſtinet urnæ
Decolor exhauſtis venis; ſed vulnere foſſum
[illegible] hiat, vitamque color Titanius haurit:
Aſſiſtant fruſtra pueri, madidoſque capillos
Mollibus attingunt digitis, non ore renidet
More ſuo, cornu non munera divite fundit,
Nec liquido in regno crocodilo vectus oberrat.
Hic Pharao maribus quondam prævertere merſis
Fata ratus, flumen puerili ſanguine tinxit,
Sed cœli leges immotæ, & ferreus ordo eſt:
Hauſit ubi Moſes primum jubar, aureus infans
Blanditur matri afflictæ; non ille ſolutus
In lachrimas, vitam impatiens mœrente ſalutat
Carmine, & ingratas vagitu perſonat auras;
Non matrem accuſat, teſtatur & aſtra querelis
Invitus naſci, nec detrectat corporis artus;
Sed ſpem Judæis faciens læto ore renidet:
Tertia jam cunas ſpectarat Cynthia, cum ſe
Ploratu majore puer, furtumque parentis
Prodidit; inſtantes ſubito Jacobetha ſequentis
Militis inſidias, gladioſque elapſa feſellit,

 Atque

Atque inter carecta latens juncosque paluſtres,
Compoſuit calami cunas, ceraque tenaci,
Et mulcens lachrimis fluvium manantibus auget;
Ter puerum complexa ſinu, terque ubere paſtum
Committit vitreis undis, cunaſque natantes
Submovet è portu dextrà trepidante, ſecundos
Exorat precibus ſuperos, Zephyroſque faventes:
Vade, inquit, quo fata vocant: committitur Euris
Incertiſque undæ patriæ fortuna periclis;
Sic ait, & cunas oculis geſtuque ſequuta eſt,
Nuſquam undis tantum, ventoque nocere licebit,
Et tantum patrare ſcelus; non quando frequentes
Cecropidæ, cum plebe duces, cum paupere dites,
Et tota in fragilifluitabit Græcia pinu;
Intereà blandum ridet puer, undivagi ceu
Deſpiciat fluvii, ſortiſque interritus iras:
Solis ad occaſum ſolitis comitata puellis
Errabat Merris fluviumque & littora circum,
Quando puer, ceu gemma nitens in ſimplice conchâ
Vagitu ſibi poſcit opem; regina citato
Cum ſociis greſſu properat,; quo forte gementis
Clareſcunt ſonitus; mihi, dixit, ſedula nutrix
Acceleret; prope mater erat, cui neſcia fraudis
Terque quaterque ſuos partus & viſcera mandat.
Creſce, puer, cœlo magna in miracula natus.
Hic Regi Phario divinæ nuntius iræ
Intentat bellum Moſes, turbarique omnia ranis
Imperat,irrident haſtata paluſtribus armis
Agmina, & accinctas calamis prodire phalanges,
Promittuntque Magi non inferiora, frequentes
Ranarum nimbos, & mox vocalibus imber
Irrorat ranis, nubeſque ſonora coaxat:
Deficit at greſſu in primo, atque ignava trahit ſe
Viribus attritis, moriturque in limine vitæ:
Sed ſimul erexit virgam, atque erumpere ranas
Manda-

Mandavit Moiſes, conferta examina juſſis
Erumpunt ſtagnis, camposque urbeſque pererrant:
Invadunt, qua porta patet; qua clauditur, inſtant
Mœnibus, atque domos facta teſtudine complent:
Inſonuere tubis, & claſſica rauca rebellis
Audiit Ægyptus; tremefactæ Memphcos arces
Demittunt caput, & motato vertice nutant:
Quin etiam audaci celſa ad Prætoria rictu
Importuna ferunt pavido convitia Regi,
Exturbantque foco, & menſa: conviviaque inter
Illapſas cyatis ranas, & lancibus horret
Attonitus, patinas caliceſque hac peſte madentes
Rex refugit, mundosque petit; ſed & altera ſaltu
Rana ruit, lancesque novas & pocula fœdat:
Divinæ taceo miracula cætera dextræ.
Interea damnis nemorum reparare neceſſe eſt
Damna ratis, dulcique ſitim reſtinguere potu;
Vectores ex longo avidi, oblitique dolorum
Potibus indulgent lætis, ut forte viator,
Quem radiis premit alta dies, ſpiracula fontis
Ramoſamque ulmum nactus, ſe te explicat umbræ
Largius, & toto ſe proluit obvius amne.
Hic gemino Moſes radiatus tempora cornu
Aſtitit ante oculos: dextrâ ille gerebat amicâ
Paſtorale pedum, colubriſque magisque ruinam,
Præſidium Iſacidis: hunc circum infraque ſupraque
Advolitant animæ comites, quas hoſte redemit
Voce manuque potens: illæ gratantur, & omni
Officio certant memores: poſtrema coërcet
Denſa cohors Juvenum: tum Moſes talia fatur.
Quam, Lojola, vides (dextra tum forte tenebat)
Hanc profugus, ſceptro falſæ genitricis eburno
Anteculi virgam, quæ quondam imitata colubrum
Tortilibus ſpiris, ſinuoſa volumina duxit;
Stabant flammâ oculi, diris criſpata tumebant

Moiſes apparet Ignatio.

Colla jubis, maculisque interlita terga rigebant;
Dirigui visu refugus, gressumque repressi
Nutantem, donec se se in sua terga plicantem
Tollere humo jubeor; mox, ante volubilis: anguis
In primam rediit, posito serpente, figuram.
Hoc fretus. Baculo Isacidas sub nomine *Iesu*
Incolumes deserta diu, per & avia duxi:
Hæc rubrum aperuit littus, populoque fideli
Iehova. Tutum stravit iter: firmis velut æquora muris
Perstabant longè, & super incumbentis aquæ mons
Pendulus hinc illinc: turbæque repente sequaci,
Desiliente freto, abjunctis maria alta stetere
Fluctibus, & circum gravis unda pependi euntes:

Moyses dat Ignatio virgam suam & columnam Igneam.

Hanc habilem dextræ, & cœptis sublimibus aptam
Quæ ponto terraque tibi dabit esse potentem,
Accipe, donum ingens, & sacri pignus amoris:
Quin etiam fœtam prægnanti luce Columnam,
Prævia quæ monstravit iter, tibi Lampada trado:
Lojolides hac luce potens, baculoque, repressit
Serpentem Stygium, cœptis palmaribus ausum
Oblectare moras, alter ne surgeret ordo
Isacidum superum auspiciis, & tutus *Iesu*
Nomine, quem præsaga Erebi jam castra ponebant,



ARGV-



ARGUMENTUM

Libri Septimi,

IGNATII IN PALÆSTINAM PEREGRINI.

EX quo lustravit Ignatius Calvariæ montem, totus est in pœnitentiæ amore & cogitatione: itaque hîc narratur pœnitentia, quam in itinere, & occasione, quam tota vita exercuit Ignatius: describitur Regia Metanœæ, in qua diu habitavit Ignatius, variique eorum labores, qui voluntaria se pœnitudine cruciaverunt: hinc timet Dæmon, & conflat tempestatem, quæ, invocatâ Magdalenâ navis præside sedatur.

Ad Majorem DEI gloriam.

LIBER

Liber Septimus IGNATIADOS.

Ab aspectu montis Calvariæ remansit Ignatio amor pœnitentiæ.



Visa semel, tamen assiduæ Calvaria menti
Usq; recursabat, rigidoque peracta (theatro,
Quæ superos ad luctum, hominesque tragœdia movit,
Donec in incultâ navis statione resedit,
Hic ubi rara virûm signant vestigia plantæ,
Est locus orbe situs medio, vix notus in orbe,
Cui faciles nec terra aditus, nec marmora præbent:
Hic rigidæ sedes gentis, pulchrumque *Severæ*
Imperium *Divæ*, cui ferro fusile sceptrum est,
Ærea cui riget immota cervice corona.

Palatium Metanœæ.

Scilicet hic *Metanœa* regit ditione volentes
Austera populos, & dura lege coërcet:
Quos inter Lojola omnes ardentior unus
Emicuit; reliquisque diu virtute præivit:
Mille plagam cingunt discrimina, mille morantur
Monstra viam, multæ salebræ, ambagesque locorum,
Queis nostro *Metanœa* domum divellit ab orbe:

Regia Metanœæ in monte arduo & difficili.

Non hæc magnifici cultus, moresque prophani
Mœnia transiliere; nefas bellique tumultus
Cis remanent montes: & quamvis fortibus alis
Transvolitet turres & castra, arcesque sub ipsis
Nubibus extructas, tamen hanc fortuna veretur,
Et nequit infestare plagam, frangitque volatum
Obice in ingenti: scopuli stant vertice ab alto
Nubibus hærentes & saxa minantia casum:

Defuit

Defuit haud multis audendi extrema voluntas;
Ast ubi suspensas rupes, longosque labores
Inspexêre, stupent defixi animosque repente
Abjiciunt ultro, frustrataque vota queruntur:
Ast alii pauci numero, quos mascula virtus
Nondum destituit, saxis adrepere certant
Molirique viam; ast medios in calle relinquit
Impetus, hærentesque gradu, ignavisque tuentes,
Quod superest oculis, ascensus montis iniquos
Accusant, ceduntque retro, gressuve labante
Devolvuntur humum, è saxis per saxa deorsùm
Præcipites; risumque dedere procacibus Euris.
Verùm alii, quos non fregêre pericula, pauci
Rupibus adnixi, montis sub vertice pendent.
Horum Lojolides casum prævertit, & altùm
Ingemit, & vanis trepidos hortatibus urget,
Exemploque præit: non hunc prærupta retardant
Culmina; sed secum virtutis ad ardua ducit
Magnanimos juvenes, & nescia cedere corda.
Non tamen exhausti hic casus, finisque laborum,
Monstra alia ex altis surgunt, salebræque viarum.
Monte super, silva aspicitur, nigra, horrida silva,
Quam nemo intrepidus subiit: spectacula luctum *Silva ante Regiam Metanææ.*
Cuncta ferunt, facilemque oculos liquescere in imbrem
Luctificâ invitant scenâ; dolet arbore in omni
Natura, atque opere in toto gemebunda laborat:
Taxus crebra comis feralibus, atque Cupressi
Nigrantesque Ebeni, lacrimosaque Populus; omnes
Exsuccæ languent, dejecto vertice, plantæ,
Has licet adlambat quæribundi lacryma fontis.
Nulla sui signum gemitus non indicat arbor:
Hæc laceris pendet ramis, hæc cortice scisso
Mœret hians; docet has natura abscindere vestes
Aut laniare comas; udo gemit altera trunco.

Et mœstum exudat rorem; fluit usque perennis
Lachryma, subjectasque urens interficit herbas:
Ast alia arentes lacrymando exhausta medullas,
Nudatum ostendit truncum, atque emortua latè
Brachia, jam levis umbra sui, & deforme cadaver:
Hæc summo findit se à caudice, viscera credas
Disrumpi gemitu: retinet vix illa cadentis
Relliquias animæ; foliorum orbatus honore
Languet apex, raràque sui jam parte virescit.
Hæc decussatos inflectit pendula ramos,
Efformatque crucem; quo se vestigia flectunt,
Quoque oculi, crux est; crux passim frondea surgit
Omne genus, crucibus circum riget aspera tellus:
Nec desunt spinæ crucibus, feralis ubique
Objicitur facies, signatque in calle dolorem:
At dum fortè manu ramos, & frondea carpit
Brachia Lojolides, oculis tum tristius omen
Horrificat; sed enim remis dum certa parabat
Inseruisse manu, dextris errantibus atràs
Miratur struxisse cruces quem tentat in arcum
Flectere, nodoso consurgit stipite truncus
Transversis altè stans cornibus; inque figuram
It crucis arboreæ, crux undique, & undique surgit.
Terret opus triste artificem, & feralis imago
Ora gravat, pudor est fecisse, operàque retexta
Non semel incœptum juvat instaurare laborem
Acrius, inque cruces iterum labor exiit omnis;
Invitusque licet, nisusque obsistere contra,
Usque crucem fingit; trabibus sylva horrida diris
Surgit, & auguriis animos fatalibus implet.
Horrorem queruli cumulant in vertice venti;
Nam quidquid spirat, gemit, aut gemuisse videtur:
Dum levis inserpit ramis frondentibus aura,
Suspirare putes nemora, imbellique susurro
Mœrentumque animam, & tacitum exhalare dolorem:
Dum

Dum ſonat, & rauco frondes ſtridore flagellat,
Reſponſant querulæ frondes, ſuccuſſaque ſilva
Ingemit, & triſtes plangit circum undique ramos,
Quid loquar undarum gemitum, æternaſque querelas
Luctantum ripâ, & vix ſe per ſaxa trahentum?
Nec minus alituum reſponſant agmina, frangunt
Pro modulis ſuſpiria, ſingultuſque frequentant.
Exeſum carie turtur ramum inſidet, auriſque
Ac rivis repetens lamenta perennia ducit.
Mille vagi hic errant gemitus, gens triſtibus umbris
Aſſimilis formâ, & vanis cruciata membris:
Corpora fumus habet, tenuis vapor aſtruit alas;
Aſt vapor in modicos imbres ſe ſe uſque reſolvit
Humidus, & corpus ſtillanti fluctuat amne.
Hi gelidas habitant rupes, multo-ve ſepulchra
Senta ſitu, denſiſque umbroſa cubilia ſylvis,
Quippe incerta dies furtim ramalibus errans,
Blanditur curis mœrentum, & pectore in imo
Vulnus alit, vox una ſonat miſerabilis, Eheu,
Cætera ſunt fletus. tota hinc ululatibus usque
Sylva gemit, circumque ululatibus aggemit Echo.
Hos ubi luctiſonos tractus, ſylvaſque gementes
Lojolides ſubiit (fletum natura docebat)
Liquitur in gemitum, & ſuſpiria pectore vibrat,
O quoties rivos lachrymis & murmur aquarum
Murmure lugubri, & longis ſingultibus auxit?
Verùm non triſtes aditus modò, diraque eunti
Occurrunt nemora, & lacrymabilis undique callis;
Multa quoque horrendis volitant ſimulacra figuris,
Infeſtantque viam, ſeu ſint hæc vera, vel error
Fingat, & inſano illudit formido vapore.
Sæpe per umbroſos ſaltus, lucemque malignam
Crudelis furia, & nomen mentita decorum,
Obvia fit, vaniſque aditum terroribus implet.

Falſa Metanœa.

Ecce

Ecce ego ſum, *Metanœa*, inquit, tentatque videri
Qualem ſe loquitur: nemoris folia omnia ſtrident
Hujus ad aſpectum, dominamque inflexa verentur.
Olli majeſtas toto feralis in ore
Fronsque ferox viſu, rugisque obducta minatur,
Nec pœnis eſt dira minus, fronte; flagella
Intentat dextrâ, & venientum corpora mactat;
Perſvepreta trahit, ſanguis fluit undique rivis,
Aſpergitque ſolum & ſentes, pallamque colorat
Immanis monſtri (nam affuſo ſanguine verus
Obtegitur veſtis calor) inter lora gementes
Interea exululant, & amaris queſtibus auras
Omniaque horrificant latè loca: talis in umbra
Occurrit furia, & venientem avertere tentat.
Aſt ille obfirmans animum, callemque ſecutus
Impavidè, ſimul ut pergit, ſe ſe illa fatetur,
Et magno tenues riſu vaneſcit in auras.
Quid reliqua ex nigro corpus mentita colore
Monſtra loquar, fuſco vultum obſcurantia peplo,
Spectràque deformi macie, populumque ſilentum!
Mille virum portenta, & fabula plurima terret.

Vera Metanœa.

Aſt ubi Lojolidæ ſentes, aditusque malignos
Exoluiſſe datum eſt, *Metanœæ* regia tandem
Se procul oſtentat: nil regnis omnibus orbis
Pulchrius omnis habet, nihil ars naturaque majus
Edidit, in pulchros habilis ſeu cernitur uſus
Materies, ſive artificis ſolertia fabri.

Quomodo fuerit fabricata Metanœæ Regia

Divus *Amor* legiſſe locum, tacitoque receſſu
Creditur extremâ ſpatium ſignaſſe ſagitta,
Et formam poſuiſſe domûs, dein turba gementum
Aligera hoc fabro duxit ſub principe muros,
Et tecta impoſuit. Quæ non palatia fingant
Artifices tani? fecit vicinia circum

Ex rore cœli & lacrimis hominum.

Materiam; nam quot rores mœrentibus aſtris,
Quot guttæ cecidêre oculis, quot ſilva liquores

Sudavit

Sudavit lachrymosa, hos invexêre gementes
Aligeri, tristis pubes; tum flamine pennæ
In vitrum indurant, templisque nitentibus astant. *induratis constant parietes pellucidi & Christallini.*
Talis fusa ruit pretiosi innoxia roris
Prædatrix apis, aggestosque in mella liquores
Stipat, opusque suum in palatia cerea fingit.
Ergo ubi concrevit, pennarum flatibus, humor,
Et fluxa in solidam chrystalli lacryma formam
Exiit, incumbunt alacres, aptantque superbam
In fabricam: unus amor præses operumque magister
Emicat, & trepidis circumvolat omnia pennis,
Partiturque operas; hic vitrea fragmina rumpit,
Et formis animat, dum bajulus ille per auras
Vectat onus volitans, aut muro pensilis alto
Apponit pulchrè, & lacrymoso glutine stringit.
Ergo digna suis surgunt palatia fabris:
Mille attolluntur radiata cacumina cœlo,
Mille abit in species chrystallus, mille figuras
Induit, & variis confudit turribus auras.
Non secus ac medio densantes splendida cœlo
Nubila, multiplici ludunt in imagine venti,
Et nulli informant simulachra imitanda magistro;
Haud secus innumeros apices chrystallina moles
Attollit, terrisquè novum dat fulgure sidus.
Quippe ubi perspicuos hausêre palatia soles,
Omnibus ut variè lux partibus incubat, atque
Contigua tenui radios discriminat umbra,
Inde diem variè glacies bibit, inde colores
Mille refert, solemque æquali luce lacessit:
Celestes credas tractus, aulamque patere
Sideriam, tantis radiat fulgoribus æther.
Hæc ubi Lojolides longè videt: ô domus, inquit,
O stellata domus, magnæ sacra limina divæ:
An tellus invecta polo est, an lapsus in ima
Ipse polus, se nunc oculis mortalibus infert?

Hæc mihi ſit longæva domus: dum talia fatur
Accelerat greſſum aſpirans, tectisque propinquat.
Veſtibulum ante ipſum, primoque in limine pendent

Trophæa ante veſtibulum.

Auratæ chlamides, detractaque purpura Regum,
Quotquot in has venêre plagas, hic inde videntur
Bellatorum enſes & multo penſilis auro
Baltheus; hîc etiam tuus & ſuſpenditur enſis,
Ignati, pulchraque volantes caſſide criſtæ,
Atque implet multas exuta ſuperbia valvas.
Nam non ante datur pulchris ſuccedere tectis,
Quam veterem abſtulerint cultum, veſteſque profanas
Luctifici exuerint, pennata examina, cives.
Stat Templum in medio auguſtum, multâque verendum
Relligione; loci hic præſes *Metanœa*, ſuorum
Supplicibus colitur votis; altare miniſtri
Mœrentes cingunt, ſacriſque operantur amaris.
Hos inter primuſque gradus, ſummuſque ſacerdos
Divus *Amor*, cui pennigeris calet ara miniſtris:
Deficiant manibus phialæ, thus deſit acerris;
Igne calent animæ ſacro, gratoque vaporant
Thure polos; abit in cineres pars terrea molis
Corporeæ, dum celſa levis mens fertur ad aſtra,
Mortales nec enim ſenſus ſuſpiria tardant.

Parietes Templi conſtant ex ſpeculis quæ hominem ingredientem referunt.

Mira cano, nec noſtrum audiri aſſueta per orbem;
Non tamen eſt incerta fides, ſtat pariete templum
Lævibus ex ſpeculis, totumque à vertice ad ima
Admittit ſubeuntem hominem, totumque remittit,
Oſtenditque ſibi: non hæc mendacia fingit
Aut tectis glácies blanditur adultera nævis:
Qualis adeſt, talis ſpectatur, cuncta ſeverus
Accuſat cenſor paries; neque corpora tantùm
Subdita judicio ſpeculi, mens ſe quoque fingit
Aſpectuque ſui fruitur, nec ſe ſibi mendax

Iudice diſſimulat chryſtallo, tota videtur,
Cunctaque ſe vero pingunt ſecreta colore
Huc ubi Lojolides ſubiit, deformia mentis
Spectra videns, oculos retro & fœda ora reflectit,
Et ſe ſe ſpectare fugit, crimenque rubore
Confeſſus, non ante Deûm ſe ſe audeat aris
Siſtere, quàm ſe reſtituat deformis imago.
Fons primo templi eſt aditu, quem prodiga fecit
Lacryma continuatque; ſui non immemor ortûs
Singultante fluit rivo, perque exit amara
Gramina, luctiſonam fœcundans undique ripam:
Namque herbæ creſcunt medicæ ſub margine fontis
Omne genus, Lapathumque & Nardus, Mandragoræque
Hyſſopuſque, Aloë, & Mirthus, roreſque marini:
Nec tamen hinc medico totas de ceſpite vires
Lympha trahit, virtutem aſtris ſudantibus haurit
Ingentem: quoties ortus aurora ſerenos
Explicat, ac primæ riſére crepuſcula lucis,
Tum tenui rores, indeprenſoque ſuſurro
Æthere decidui fontis labuntur in undas,
Inſueti rores, quales nec cætera rura
Mane bibunt; liquidum credas ſtillare pyropum,
Sanguineaſque novo ſpumare è vulnere guttas;
Poſtquam autem ros tinxit aquas, dat lympha ſalubre
Balneum, & extremis fit præſentiſſima morbis,
Rite ergo purgati undâ, illuviem que malignam
Deterſi, ſe tunc inferre altaribus audent,
Conſpectumque ſubire Deæ, vultumque tueri:
Inter opus formamque loci mirabilis una
Emicat, una ſui pretiumque & gloria regni,
Ipſa ſibi decus eſt *Metanœa*, nec ullus honeſtat
Cervicem vultus, furtiviſque artibus aucta
Majeſtas, oti nullos affundit amores:
Qualis ſepta ſuis roſa vepribus exerit ora,

Nocturnasque inter tenebras Luna aurea fulget;
Sub nigro serpunt peplo per colla capilli,
Credideris solis radios, aut fusilis auri
Stamina, vicinis accrescit spendor ab umbris;
Mille oculis castæ veneres; affusa labellis
Gratia subridet: Dea quem blandita tuetur,
Ille amat, & formidat amans, clementia vultûs
Sic gravis est, blandéque ferox; & mixtus amori
Incubat ore timor, nimios & temperat ausus.
Talis forma Deæ, talis *Metanœa* clientum
Conspectum subit, & fausti pars maxima Regni
Delicias facit una omnes, facit una dolores,
Immitis; nam cui proprium aspiravit amorem,
Hostem illum facit esse sui; carnemque perosus
Fomentum scelerum, mille hanc conscindere pœnis
Ardet amans, turpisque extinguere semina flammæ
Tali *Diva* suos tenet imperiosa clientes
Hospitio: longè ante alios crudelior ibat
Lojolides, & se pulchro impendebat amori:
Nam quoties timidusque sui, scelerumque superbus
Exosor chrystallo animam censore requirit?
Quasque videt maculas, aut quas vidisse putavit
Suspiciosus, aquis abstergit, ritéque solvit
Vota Deæ madidus? quoties lacerata natarunt
Sanguine membra suo? proprio sic nempe dolore
Luxuriatur amor, formæque in funere ludit.
Mane ubi prima dies humentes expulit umbras,
Multus agît populus se matutinus ad aras,
Austeræque litat *Divæ*: non quælibet apta est
Victima, *blanditiæ* molles: *risusque* protervi
Scurrilesque *joci* mactantur, servit ad aras
Et sacris operatur *Amor*, non ambit amictus
Aureus, aut manibus gemmantia tela coruscat,
Membra tegit rigidis sine lege subucula setis
Subnigra, quam sparsus totam cinis usque colorat.

Hanc super est veli species, & tempora circum
Textilis it fumus: ventis intextus amictus
Pictilibus nitet, & subsuta vapore thiara
Taliter insueto facit ore, habituque sacerdos,
Ostentans dextrâ stillantes sanguine funes:
Tum magno pueri numero, Respublica tristis,
A tergum pressis ritè & recubantibus alis
Triste ministerium pullis in vestibus implent:
Aræ incumbentes, pateris suspiria libant,
Et gemitus, questusque graves, & jurgia tristi
Mixta sono, quæ tacta rogis, benevolentia complent
Atria odorato fumo, templumque vaporant.
Quin etiam ludos largè Charitesque, Jocosque
Promittet; & lacrimis *Risus*, gravibusque parentat
Fletibus indulgens, atque humidus imbre madescit:
Utrimque inter diductique oris hiatus
Lachrima guttatim, pleno velut imbrice, manat.
Dania cohors latere ex omni, unâ voce sequuti
Circumstant aram, tristi quæ maxima luco
Æternum servat foculis constantibus Ignem,
Unde sacer consurgit odor flagrantibus herbis,
Quas Charites, Spesque alma metunt cœlestibus hortis;
Galbanaque atque onichem, & stactem, libamina grata
Projiciunt puris manibus, junctoque precatu
Iratos superos, & odoro munere mulcent.
Nec nulli interdum lachrimoso in gurgite cives
Egregias posuere animas, quas rite piatas
Clauserunt loca pura, & formosissimus æther:
Dum castæ interea vitreis Nereides antris,
Quæ lachrimis præsunt, atq; humida flumina servant,
Collegere artus functorum, ambraque liquenti
Oblita mirrathis servarunt corpora conchis,
Multus ubi juncti viror & fluvialis arundo,

Multi obeunt præ nimia pœnitentia.

Corraliumque viret, ponti pretiosa supellex:
Justaque dum solvunt, & præfica voce paratas
Accinit exequias, vocali littore Triton
Rauca sonans, mœstis cornu pulmonibus inflat.
Monte sub umbroso ad lævam jejunia Moses
Rursus init, denis quater instauranda diebus,
Et panem miscens lachrimis sic ingemit ore:
Conflavere deos atque horrida monstra rebelles
Isacidæ, neque velamen prætendere culpæ
Fas fuerit: nihil excusat sæpè inscia fraudis
Simplicitas; sed consilio rexisse fatentur
Turpe scelus, dignumque æterno adamante notari.
Si repetis pœnas vindex ad singula censor,
Pendere nec nullas optent: jam plena cruore
Castra natant, meritam expectat gens cætera mortem,
Quæ levior foret ipsa metu: sed parce relictis,
Pro quibus hoc unum caput hostia certa rependo:
Exime spirantum è tabulis, numerumque cadentum
Auge cæde meâ, & reliquis mea funera miscens
Ductorem & populum simul una vulnere perde:
Ut quid enim lachrimis solus, luctuque superstes
Æternos foveam extinctâ pro gente dolores?
Me tibi de facie jactas, & nomine notum,
Gestarique oculis, penitùsque in pectore condi:
Quin igitur vultus expulsa nube serenos
Exhilaras, teque in populum spectabilis infers?
Aut, si charus ego sperem quid posse mereri,
Cernere da faciemque tuam sine nube sine umbris,
Divinosque frui posito velamine vultus.
Quo nos usque tenent umbracula? me quoque vanis
Fallis imaginibus, specieque illudis inani
Umbras palpantem, & mendacia pulchra sequutum.
Quando erit aspectum ut dicam vultumque, lepo remque

In Metanœa regia Moses pro populo pœnitens.

Primævi

Primævi decoris, ſummamque in origine formam?
Cur oculos refugis? ſolâne agnoſceris aure?
An vocem nil præter habes, nebulæque ſonantis
Fallacem ſtrepitum? ut taceas, te facta loquuntur,
Et natura ſui vultus auctoris adumbrat
Luce ſub obſcura: quamquam ô quando omnia junxit
Signa tui collecta, nihil ſubluſtribus umbris
Exhibet; uſque adeo major tranſcendere gaudes
Conatus hominum, noſtroſque evadere ſenſus:
Te melius novit qui te non noſſe fatetur.
Cui Deus: haud, inquit, valeant durare tuendo
Mortales, neque fas perituro in corpore cuiquam
Vivere, divinoſque oculis libare decores,
Subductos donec radios caligo recondat.
A tergo tantum aſpicies, & ponè figuram
Ex humeris, neque enim faciem jubar ore vomentem
Immenſum, & radios averſâ à fronte vibratos
Aut oculis, aut mente feres: Mox talia vates:
Heu, ſi qua eſt pietas terræ, & clementia cœlo;
Me miſerum! quin ipſe luo! nihil iſte nec auſus
Nec potuit populus: torquetur verbere duro,
Nec fas ingemere, aut lachrimis vulgare dolorem:
Nil moror, aſpiciam, & moriar, neceſſe eſt
Ante mori, peream: vitæ mihi ſumma peracta eſt,
Votorum & cumulus, fruar ut te, linquere vitam,
Quam dolor exhaurit, luctus gravat, atterit ætas.
Hic Aaron terræ medius cœlique ſequeſter
Subligar inducit, candente per ilia velo,
Ne qua ſacrum leviter feriant intecta pudorem. *Hoſtia pro peccato.*
Tum tunicam byſſo geminâ tortâque micantem
Induitur; non illa tumet, vel follibus undat;
Sed veluti campeſtre ſagum, quo miles in armis
Contegitur, membris hæret concinna movendis,
Atque habilis ſolitos vitæ mortalis in uſus,

Cincta licet duplices redeant in pectora nexus:
Quid nodi funesque notant? nil deinde solutum
Corpore permittit, fluxum nihil, inque ligatum
Præcinctus membris pudor, & captiva libido.
Mox tunicam auro fulgentem, nec non hyacintho
Imponit latis humeris, quà scissa supernè
Vestis hiat; ponè assuitur cervice cucullus
Textilis; alterno dependent aurea textu
Symbola, purpureis renes cingentia pomis;
Fimbria vocales tactu ferit ultima talos.
Tum thoraca gravi quadrilicem, auroque superbum
Inducit dorso, & loricâ pectus obarmat.
Sardoniches fulgent dorso, celataque Patrum
Nomina, sex humero dextro, totidemque sinistro.
Mox templi ante fores votum procedere Taurum
Imperat, & nuti manibus, patrisque necari:
Ante tamen capiti gemina inter cornua palmas
Imponi, veluti crimen si forte redundet
Contactu in pecudes, & noxia victima fiat.
Tum jugulo cultrum immittit, latisque cruorem
Exceptum pateris lata inter cornua fundit:
Mox renes, calidumque jecur vitalibus extis
Exemptum cremat, & cœlo libamina mittit.
Dein aries, alterque Aries, devota piandis
Victima criminibus; divosque habitura secundos
Tota abit in cineres latè; fumumque crematis
Artubus; & largè fusum bibit ara cruorem.
Flere omnes juvat, atque oculos, sic si licet, imbre
Perdere: nam veteris veniunt contagia culpæ
Singultu purganda novo, radendaque ad imum,
Si quæ hæsere diu, vitæ delicta prioris,
Dum suus authori placeat decor, & sua menti
Forma redux, niteatque novo splendore cicatrix:
Sed nec finis erit pœnis, nisi vindice dextrâ
Indecores ultrix Metanœa resarciat ausus.

Flebilis

Flebilis hic David dejectus lumina terris
Cum planctu lachrimas, citharâ cum voce maritans
Errabunda trahit tardans vestigia, & infit.
Dum læsam instigant sævus dolor, itaque mentem,
Parce tuos, meritum in caput, exerce furores
O scelerum vindex, rigidusque ad singula judex!
Ah refugos averte oculos, meque eripe letho,
Quod dolor accersit, crimenque domesticus hostis.
Quonam usque absistes? superest vix halitus ori,
Vix linguæ sonitus restat, vix ossibus ignis:
Anne tui memor ullus erit, quem lumine cassum
Lethei mors sæva lacûs immiserit undis?
Anne tuas referet laudes locus ille silentum,
Insuetoque loquax turbabit carmine manes?
Nocte cubile madet fletu, membrisque caducis
Ingruit hostili celerata timore senectus
Ergo rebellantum funesta facesse caterva
Longius, audaces subeat timor & pudor hostes.
Heu mem[illegible] turpasse thoros nil tale merentis
Et vitam rapuisse manu hac: sed flumina mittam,
Flumina larga, quibus thorus emundetur & ensis.

In Metanœa regia varii pœnitentes. Davidis Domine ne in furore tuo & Miserere mei Domine &c.

Patre gemens aliâ lamentis astra lacessit
Magdalis: illa genas & crines pulvere turpans,
Fulgentes lacerat tunicas, auroque crepantem
Rumpit amara sinum, & cultu nudata superbo
Sternit humi lacrimis fœdatum & pulvere corpus,
Cumque quin totâ & saccis præcingit acerbis
Contusos artus, setis quos subter equinis
Aspera texta premunt, & tonsis retia capris.
Quin etiam modico solvens jejunia pane
Amovet à mensis epulas, & balnea thermis:
Aggemit his Echo, & valles clamore resultant,
Responsant saltus, & cætera turba dolentum,
Multis nulla quies: noctuque diuque fatigant
Et lacrimis & voce deum: vix ossibus ossa,

Magdalena in Regia Metanœa.

Vix carni cutis hæret, & omnis inaruit humor;
Iamque oculus nimiò madidus caligat ab imbre,
Et refugus nictat: ſed nec dum clauſa cicatrix
Usque recrudeſcit, renuitque cruenta medelam.

D. Guillelmus in regia Metanœa.

Guillelmus duris geſtans thoraca rigentem
Crinibus, & tortos nodoſo verbere funes.
Illacrimat: vix oſſa calor, vix halitus ora
Occupat, ac tenuis, nunc & morientis oberrat
Spiritus, & fauces hæc ægrè in verba reſolvit:
Si prece, ſumme Deus, miſerâ ſi ſorte moveris,

Miſerere mei Deus.

Pande ſinum: exundet totis miſeratio rivis.
Elue fluminibus ſordes, nam criminis umbra
Excubat ante oculos, atque irrequieta minatur.

Eſto mihi in Deum protectorē. Neque irrideant me inimici.

Eſto mihi dubiæ præſens tutela ſalutis,
Et pavidæ cuſtos & turris ahænea vitæ.
Nec vero illudant hoſtes: te quisvis ab uno
Poſcit opem pugnæ patiens, non caſſa per auras
Vota facit, nec ſpe vacuus fruſtratur inani.
Veſpere perfundor lachrimis; & mane reverſa
Lætitias aurora, novâ cum luce, reportat.

Ad veſperam commorabitur fletus.

Tales ingeminat queſtus, & pectora tundit
In ſe ſe ſcelerum vindex ultorque ſeverus.
Antro in vicino pendent mira arte tabellæ,
Horribiles viſu, & jugi ſudore madentes:

Pictæ tabellæ in quibus mors & ejus comitatus.

Sanguineo tantum pictæ nigrore colore:
Moxque introgreſſus lethi miſerabilis atram
Effigiem cernas, mortique accumbere ſuetum
Conciliū infœlix, gemitumq; metumque doloremq;
Exſuccasque genas, & abacti luminis orbes,
Frigenteſque manus, eluctantemque ſupremâ
Tandem animam pugnâ, formidandumque ſeveri
Cenſoris ſolium, dum lis operoſa ſupremo
Inſtruitur ſtatuenda foro, cum flebilis urget
Urna reos, & mortis ineluctabile fulmen:
Fata Dei ſtant æterna, atque immobilis ordo

Quemque

Quemque vocans, lex & nusquam violabilis ulli,
Quosque deos inter mendaci fabula tollit
Carmine, & humanæ ſupra faſtigia ſortis
Excivit ſeries fatorum, & ferreus ordo,
Cuique dies numerata, nec ultrà tendere fàs eſt.
Contemplator avos: hic claro ſanguine cretus,
Illuſtri quem ſtirpe tulit generoſa vetuſtas,
Debitor exſolvit, vili cum plebe, tributum:
Cerne quot ediderint labentia Martis alumnos
Secula, mors rigidâ victos huc cuſpide adegit,
Hactenus unde pedem revocare haud contigit ulli;
Victrices lauros funeſta cupreſſus inumbrat.
Urbes intuitor, ſparſam per compita mortem
Oſtentant, ſaxiſque timent, murisque ruinam:
Æternum moritura, vale, vale omnia dicunt.

Horrorem geminat vicini in vertice montis
Altera, quæ Stygiis exæſtuat, Ætna caminis,
Et fremit horribili ſonitu, vaſtoque ſub auras
Flammarum vomit ore globos, liquefacta volutans *Dolor ex aſpectu inferorum.*
Saxa procul, piceæque eructans viſcera rupis:
Tartareâ apparent ignito tramite valles,
Ollæ ſulphureæ, & ſtagna exundantia flammis,
Immaneſque rotæ, fluviique cruore rubentes,
Terribiles vultus, atque incumbentia fractis
Saxa humeris, diræque cruces, ululantiaque imis
Voce theatrali miſerorum examina clauſtris.
Quin etiam vindex Phlegeton & februa ſtagna *Purgatorium.*
Allambunt ſcopulos flammis, quas ſulphure vivo
Et pice farta palus ſcatebris flagrantibus efflat.
Monſtra Stygis manibus ferrum illætabile verſant,
Queis ſontes juſto curent purgamine manes.

Sed procul invitat cœlo certiſſima merces,
Atque ſinus lætos aperit ſpectabile numen; *Dolor ex contemplatione beatitudinis.*
Hic ubi purgatas animas, tectoque receptas
Interiore beat: fixis hi vultibus hærent

Mente

Mente oculisque deo similes: ceu forte polito
Incubuit ſpeculo facies clariſſima ſolis,
Adverſa nitet in glacie, duplicique recurrit
Primævam in lucem geminatus imagine Phœbus.
Ut templo, templique deæ perſolvit honorem
Lojolides, ſordes mundato è pectore cœpit
Egerere, & vivis oculorum immergere lymphis.
Principio rerum turbâ ſeductus ab omni.
Ac ſi ſumma dies necis immedicabile telum
Ingerat, & Chriſtum ſolio præſente ſedentem
Aſpiciat, juſto librantem examine vitam,
Perſtat acerba gemens, vultuque & corpore toto
Stratus humi, crebràque manu trepidantia tundens
Pectora, poſcit opem ſuperos fletuque fatigat.
Hinc animæ latebras omnes; imoſque receſſus
Luſtrat agens circum, & primis ſcrutatus ab annis
Anxius explorat, fibriſque affixus inhæret
Judex atque reus, dum ſingula & omnia ſe ſe
Ante oculos ultrò congeſta piacula ſiſtant.
Hinc amor, hinc odium, dolor inde, pudorque laceſſunt,
Diverſoſque cient in mutua prælia motus.
Tandem fit via vi: ſingultus ilia rumpunt:
Mene ergo immemorem vixiſſe Deique, meique,
Haſque polo retuliſſe vices? pepuliſſe parentem
Hoſpitio, blandiſque hoſtem foviſſe ſub ulnis,
O probrum! quoties crudeli vile Tyranno
Mancipium obſequeris, toties immanibus auſis
Empyreum demens diadema revellere tentas
Divino à capite, & terræ cœlique potentem
Exturbare paras ſolio: quid crimina mulces
Eloquio molli? vitam extorques, fundiſque cruorem,
Proteris effuſum, & vili pro ſanguine calcas.
Aſpicis infandâ ſuſpenſum ex arbore numen?
Quippe tuum ſcelus eſt: caput hoc, diriſſime tortor,

Ignatius in templo. Metanœe.

Sic

Sic terebras? ſic frontem, oculoſque, genaſque cruentas
Atque uno totum perducens vulnere corpus.
Supremam extundis perfoſſo e pectore guttam;
Proditor interea ludis? nec fulmina cœſo
Mille ruunt; ſontes non peſtis corripit artus,
Non ſorbet pelagus, monſtriſque natantibus eſcam
Objicit? inſolitis tellus non motibus acta
Caucaſeos ſcopulos, & iniquo pondere cautes
In caput ruit infandum? gremiumque recludit
Ut Stygiam prædam diducto abſumat hiatu?
Dum lachrimis oculos, ægris ſingultibus ora
Implet, anhelanti longùm pulmone fatiſcit.
Et ciet immites in languida pectora palmas.
Inde tamen rurſum ingeminans, vocemque maritans
Fletibus, ô pietas hoſtem miſerata nefandum,
Et patrio dignata ſinu; quid ſperet amicus,
Hoſti ſi gremium pater? at molimine quali
Jacturam vitæ & momenta priora retexam?
Sanguine quo ſaniem, quibus aut purgare licebit
Fluminibus? labor inventos dilapſus inanes
Omnis abit; tua, Chriſte, manus ni vulnera curet,
Quæ feci, & ſacro, quem fudi, ſanguine lavet.
Agnoſco quantas pariant fera crimina peſtes:
Me patriâ novi extorrem ſtygioſque merentem
Ferre rogos; verùm iſta levis mihi pœna veniret;
At ſtipulam, & fumum, fœdæque libidinis æſtus
Poſthabito coluiſſe Deo, ſcelus hoc ſcelus unum
Excruciat magis, & pœnis gravioribus urget.
Non alios ignes, aliamque horreſco gehennam:
Proh quot ſuppliciis, quæ facta, infecta manere
Nunc emerem; ſed vota leves rapiuntur in auras,
Quippe manum nemo injiciat fugientibus horis,
Nemo gradum revocet; quod nunc ſupereſtque daturque.

Mille

Mille prius certum eſt artus in fruſta ſecari,
Atque minutatim contundi funditùs oſſa,
Quam ſemel immani victum ſuccumbere monſtro,
Et tecum adſtrictos iterum diſſolvere nexus.
Lætior hinc animo, & graviori faſce levatus
E cœlo quantos venis ſitientibus imbres
Hauriat, aut avide divinum epotet amorem,
Nec ſcrutari ultra mihi fas, nec pangere verſu.
Hic poſuit vanæ mendacia ſplendida pompæ,
Eximiique notas generis: è ſtamine ſaccum
Induit horrentem, & nodis ſtringentibus aſprum,
Quem fune indocili, crudoque volumine cingit:
Omnibus intectum caput arduus objicit auris,
Seu medio incumbat ſuſpenſus ab æthere Titan;
Sive tegant nivibus, feriant ſeu grandine terram
Hinc torvus Boreas, illinc nimboſus Orion.
Et nudus pes alter erat (nam pondere ſaxi
Tardior alter adhuc, longique per aſpera motûs
Impatiens, ſoleâ tegitur) quacumque ſecandum
Vergat iter, quamvis lapidoſo inſiſtere campo
Debeat, aut dumis hirtos tranſcendere ſaltus,
Aut ſparſis fractos ſcopulis tranſcendere montes.
Sic tyrocinium tenera virtute probabat
Lojolides, macieque artus tenuebat, & oris
Egregiam formam fœdo pædore premebat,
Impexiſque comis, hirtâque propagine menti
Hiſpidus & juſſis excreſcere more ferarum
Unguibus in formis. Quin ſæpe in rupis hiatu
Propter aquam, ſcabro ſcopulorum murice corpus
Luce vigil, ſeraque cubans ſub nocte domabat
Quæſitor gravis in ſeſe, pœnæque miniſter.
Non ſic æſtivis lapidoſæ grandinis imber
Præcipitat tectis crepitans, latéque per agros
Proſternit ſegetes, madidus cum vomere ceſſit
Agricola, & tutas curſu confugit ad ædes.

In Metanœa Regiâ Ignatius variè exercetur.

Das

Dat castas lachrymis noctes, vigilataque planctu
Astra ferit, donec veniæ spes certa recurrat:
Dumque magis sævit, revomit conclusa medullis
Toxica, quæ paterâ illudens & Belidos auro
Hydra Stygis dextrâ, & vultu blandita propinat.
Hanc furiam regno ejectam Metanœa flagello
Increpitat, patriumque fugat generosa sub orcum,
Tune meos? dixit: Stygias fuge, dira, sub umbras
Et suetas tibi rode dapes tellure sub imâ,
Terra tibi fæcesque datæ: quid sydera tentas,
Lucentesque globos, non consona pabula poscis?
Vipereos frangent dentes: nec gutture primo,
Degustasse voles, sed te tetigisse pigebit.
Hæc virgo monstro insultans: cui gutture diro
Hidra vomens piceâ mixtam caligine flammam
Reddidit hæc: non ille feret sine Marte triumphum,
Nec nullam interea verremus ab æthere stellam,
Ut sua decrescant spoliato sidera cœlo:
Hæc ubi dicta, scelus magnis authoribus infert
In populos, veterum tenovans fera monstra deorum:
Muta quidem spælea tenet confusus Apollo,
Non tripodas cortina movet, Dodonia quercus
Ore silet: quid at illa juvant, si mente profanâ
Interiore tholo det thura libido sacerdos? *Ieroboam.*
Non jam Nabatides, unus vitulique, jovisque
Reliquias legit, & cordis suspendit ad aras,
Jam prætextatis redeunt floralia scenis,
Lascivique loci, fiunt Trieterica Baccho
Annua, quæ jejuna negant cineralia septis
Claudere, dum pullis lugent in vestibus aræ.
Heu quis erit finis? vix igneus ipse valeret
Thesbites ferro & flammâ, septemplicis hidræ
Sæpè renascentem capitum consumere sylvam.
At tuus est, Lojola, labor! nam bellua soli
Ista cadet, tibi materiam paritura triumphi.

Nec

Nec flevisse diu satis est, sed & hospitis hæret
Fama loco memor, & seros ea cura nepotes
Multa manet; namque æternum tibi, diva, trophæum,
Quæ lachrimis cœlum reseras, statuere columnam,
Hic ubi nixa genu & placando intenta Tonanti
Sparsa comam Metanœa gemit, saccoque reducto
Terga domat flagris: grandes per lumina guttæ
Præcipitant, totidemque putes concrescere gemmas:
Liquitur in lachrimas rupes, imitata dolentis
Germanos gemitus, & saxea pectora solvit.
Talis erat de se pœnas repetentis imago.
Sed satis hæc, aliò tecum, Lojola, vocamur.

Pande iterum, Neptune, sinus navale potenti,
Vosque volaturi remis per cærula nautæ,
Accipite hunc alno, sors & secura malorum est:

Iterum conscendis mare Ignatius.

Mox nautæ, dum somnus iners cum nocte recessit,
Expediunt naves; longis hic brachia malis
Explicat, in lenes hic mollia lintea ventos
Obliquat, festisque vocat clamoribus auras.
At Stygius rector mare qui vexarat eunti,
Nunc reduci turbare parat, dant arma latrones
Ars quibus est spoliare rates, & verrere præda
Spumosum pelagus, ceu non mortalibus æquor
Infestum satis esset aquis, aut parcius Euri
Sævirent, cœlique fides constaret aperti.
Cærula spumabant validis eversa lacertis

Navis tantùm non incenditur.

Velorumque pedes, antennarumque ceruchi
Obliquat omnes, quando (miserabile visu)
Ecce furens inter congesti sulphuris utres
Emicat, & totos depascitur ignis acervos
Cum tonitru, totum extemplo quo mugiit æquor,
Nutavere rates, & cœlo flamma reluxit:
At nautæ, veluti pontes irruperit hostis
Improvisus, & igne foros populetur & arces,

Armati

Armati coiere globo, fuligine donec
Discussa, Titan navemque diemque retexit.
Nec satis hæc; alia ex aliis toleranda recurrunt:
Quis furor exuvias aliorum ambire per artem
Non uni expositam letho? sed parcere gazis
Nescit avara fames, & ubique supervenit auro.
Ecce soporati vultum mentitus & ora
Rectoris, ductor Stygius: quid splendida, dixit,
Negligitis spolia? en validis subnixa lacertis
Sulcat aquas, & portat opes onerata triremis:
Hac monuisse tenus satis est, rapiuntque, ruuntque
Adversum pelagus, torquent vada spumea tonsæ:
Protinus insidias vectoribus augur acerbat;
Pessimus in dubiis pavor, & trepidantibus angit
Pectora: sollicitos merces habuere sub alveo
Congestæ, quascumque usus, luxusque paravit,
Et quibus incendit pretium mortalis egestas:
Incubuere omnes gazis, dum concita navim
Tempestas quatit, ac proram puppimque fatigat
Massa volans plumbi, & crebro latera impete pulsat.
Tum nautæ trepidare metu, ceu ponte parato
Prædo ferox invadat opes, & victor inundet.
Qui miseris gemitus? quis sudor & æstus anhelis?
Ejulat hic, quòd nave domum, sedesque quietas
Mutarit; merces alius male devovet orco:
Pœnitet hunc curæ, nimiæque cupidinis auri;
Alter vota facit, salvâ si nave periclum
Exierit, non divitias, cunctisque priorem
Divitiis vitam dubio confidere ponto;
Audacesque vocat nimium, qui tuta procellis
Sperarunt maria, & nullo metuenda latrone.
Votorum hoc Lojola genus miseretur, avaris
Postmodò frangendum, tenuis cum prima recurret
Spes lucri, gaudetque animo nil posse quieto,
A prædone rapi; sed ficto gaudia vultu

Certandum fuit cum pyratis.
Ex annal. societ.

Dissimulat trepidos inter, remisque ministrat,
Pertusæque ratis, stuppâ & pice, vulnera supplet:
Ac secum: movet ista mihi cercamina Dæmon
Improbus, & pelagi fessus jactare procellis
Hactenus illæsum, nunc tela inimica latronum
Opponit; qui dira Stygis molimina fregit,
Spero equidem fœlix aderit, navemque virosque
Proteget; haud alio didici discrimine rerum
Tendere in optatos portus, votisque potiri.
Non ea nequicquam spes incidit: omnibus hostes
Viribus exhausti tandem sensere triremem
Arcano fretam auxilio; nempè intùs agebat
Cura Dei Lojola; fugit tum rector Averni,
Sulphureosque inter fumos, & pulveris atri
Undantem per inane globum, belli improbus author
Proripuit se se, prædatricemque retorsit
In diversa ratem, dedit & sua signa recessûs.
Victores cecinere modis epinicia lætis:
Nî Deus ex alto vires animosque dedisset
Invalidis, nî dextra potens inimica prementum
Tela retardasset, captos non gurges aquarum,
Non scopuli horrentes, non monstra natantia ponti,
Lubrica non bibulis hausisset syrtis arenis;
Prædonum sed avara fames deducta trifauci
Gutture, gazarum cumulos animasque vorasset.
Dicite, sanguineo servati ex hoste sodales,
Sit Servatori sua laus, sit gloria facti:
Passer ut è pedicis se tandem extricat, & auras
Liber init, vanos auceps dum devovet astus;
Sic pelago salvi decurrimus: ite, latrones,
Et vanos damnate dolos, dextramque Tonantis
Discite, vox eadem vindex quocumque sequetur,
Sospita quæ nostris fuit inter prælia rebus:
Continuo celebrant epulas, & popula læti,

Fœlice prælii exitu defuncti vectores.

Deo grates agunt usurpato psalmo. Nisi quis Dominus &c.

Ut vocat orta salus, & pax secura pericli.
Tum memores tibi persolvunt pro munere grates,
Magdala, servatæ præsens tutela carinæ;
Et resolunt dites lachrymas, & splendida amantis
Præmia, quæ, vitâ quondam superante, recepit,
Quæ post fata tulit: narratur Carolus oræ
Rex Siculæ, clausâ quem Barcino turre tenebat
Trinacriæ exutum regno, sævique morantem
Funeris arbitria, & gladio dare colla paratum,
Victoris sic nulla fides feritasque jubebant.
O rerum faciem! ô sortis ludibria, reges!
Sceptra labant dextrâ &, nutant cervice coronæ:
Anxius hinc animi dubiis in rebus amicam
Magdalidis sibi poscit opem, si forte sub ictu
Fortunæ positum, notæ telluris in ora,
Corpore quam vivens, letho quam functa tenebat.
Eriperet fatis immitibus: arbitra voti
Nox erat, augebatque loci caligo pavorem:
Tum tenebras inter, radiis matrona refulsit,
Et divam testata habitu, vultuque, monebat
Pone sequi, quamvis captivum carcer, & alti
Vallarent murorum obices, vigilumque catervæ,
Ferratos extra postes, clusaque claustra.
Sicque ait: illa ego sum, quam supplex ante vocabas,
Magdala: tené putas fossis atque arce teneri?
Falleris, hic Narbo est, non Barcino, & arva videbis
Quæ ditione tenes, cum lux mox reddita rebus
Fulserit, & radiis aurora revexerit urbem:
Stat tibi decursum spatium, quod solibus actis
Vix tribus exigeres; Princeps sic ore reponit:
Quas referam grates, aut quæ tibi dona rependam?
Diva sub hæc, qua Massiliæ conterminus agro
Nubibus æquatur vertex, tellure sepultum,
Quod mortale tuli corpus, gens provida texit,
Suppositumque aliud prædam dedit esse furori

Invocant divam Magdal. cui navis dicatur. Historia unde colitur. D. Magdal.

Hoſtis Agareni, larvaque illuſit hiantem.
Namque ubi longævo juga palmite vitis oberrat,
Si penitus ſcrutere, caput radicis, ab ore
Invenies exire meo, nec cætera deerunt
Argumenta; cutis nudata in fronte ſuperſtes
Vitales digitos qua parte impreſſit in horto
Se tangi prohibens Chriſtus: quin illa comarum
Luxuries, Domini plantas quæ plurima terſit,
Nuſquam victa ſitu denſis radicibus hæret:
Adjacet infoſſo capiti venerabile pignus,
Urnula purpureum Chriſti complexa cruorem,
Quem cruce ſtillantem legi, glebâque receptum
Compoſui; tantum dives capit urnula munus,
Deliciaſque meas olim: ſquallere latentes
Ne patere exuvias, ſtructoque repone ſacello,
Atque pares mihi redde vices: liberta viciſſim
Sic fuero, cum tu libertus habebere noſter;
Vivere ſervatrix juſſit, longumque valere:
Ipſe revertentem ad ſuperos eſt mente ſecutus,
Luſtravitque locum, tumuloque latente refodit
Reliquias, quas nunc gens omnis, & accola Francus
Advenaque Heſperiis ſupplex veneratur ab arvis.
Talia dum memorant, vento ratis acta citato
Littore conſedit Cyprio, dedit inſula portum,
Spemque facit celeris reditus, pelagique ſecundi.




LIBER



LIBER OCTAVUS.

HIEROSOLIMITANÆ PEREGRINATIONIS.

IGNATII.



ARGUMENTUM.



Aviculæ ſe committit Ignatius quæ pereuntibus aliis duabus, ſola incolumis evadit: in itinere dum reficitur navis excurrit in montem Garganum Venerationis D. Michaeli exhibendæ cauſa in æde ejus Nomini conſecrata: deſcribitur ſpelunca & Templi hiſtoria.

(o)



IGNATIADOS
Liber Octavus.



ÆTA parant tres vela rates; par mole carina
Centauro, ridet pelagi quodcumque periclì est,
Et Venetos jam spe portus innoxia prendit;
At latus ordo triplex, robustaque brachia centum
Remigibus, reliquumque vagis munimen in undis;
Ipsa Cypris puppim extantem tutela tenebat,
Natali dominata freto; tabulataque supra
Ore minabantur belli tormenta, necemque,
Fulmineosque globos, si quis prædator oberret:
Et jam lina vocant Euros: huic quisque laborat
Admitti, pretio redimens discrimina cursûs:
Hanc pariter solo tentat Lojola precatu
Æris inops: primo sed ponte repellitur undis
Mergendus, nisi prompta celer vestigia flectat,
Prævertatque iram: nam quæ sit gratia panno
Vix miseros velati artus, laceroque galero?
Ipsam adeo credant, ratis penetralia nautæ
Accepisse hyemem: nec quidquid laudis amici
Commemorant, adhibentque precum, dum rite colendum
Ceu genus indigetum referunt, consortia navis
Exorare potest: dicto perstringit amaro
Virtutem navarhcus; & hæc si tanta potestas,

Excluditur Ignatius nave maxima venetâ quæ in Italiam cursum parabat.

Si pietas & tanta viri, ſuper æquoris undam
Quin pedes ingreditur? divorum ſteruere plantis
Terga ſolet pelagus, veniuntque ad pallia venti,
Et portant, quocumque velint, nil navis egentes
Dure Cyclops, gladio ſceleratam exſcindere linguam,
Aut merſiſſe ſcelus ponti luſtralibus undis
Præſtiterit, pronum quàm voce laceſſere fulmen
Numinis irati, & pendentem in verbera dextram;
Teque tuoſque brevi dabit in ludibria ponto,
Ludibrium queis Sanctus erat, queis fabula virtus.
Parte alia navis curſum factura paratur
Turcica, naſcentiſque refert inſignia Lunæ;
Talibus at ſociis communia texta ſubire
Religio vetat, & turpi conſueſcere genti.
Ergo unus ſupereſt, quis ei ſe credat inermis
Lembus, ab horrenda jam tempeſtate receptus,
Qui ſibi vix conſtans diſſutis undique tædis,
Naufragium, ſimul exierit ſtatione, minatur:
Nil movet Oniadem ſuperis confidere ſuetum
Examina ratis; ſi qui ſua corpora credant
Impavidi, generis cur pars viliſſima noſtri
Addubitem mandare caput? ſic dixit, & intus
Conditur: Ecce autem ſummo tuba concita pulſu
In mare dimittit Venetam; diſploſa per auras
Æra cient, ceu venturi præſaga, fragores.
Nec minus æra ſonant Turcorum immania feſto
Murmure, conſequitur lembus non curſibus æquis:
Verruntur remis vada ſalſa, animæque laborant
Eurorum, vireſque virûm: colludere credas,
Imparibuſqúe fugam ſimulare per æquora tonſis;
Mox alii venere vices: ſpectacula rerum
De cœlo graviora dedit Rex ætheris alti.
Aërias inter nubes regione ſuprema
Eſt locus immani dorſo ſinuatus in antrum,

Altera navis.

Lemboſe committit.

Solvunt tres naves ſimul.

Unde patri vindex Nemesis sua tela ministrat,
Fulminaque & mixtos graveolenti sulphure nimbos;
Erupere cavo ex illo Typhones anheli,
Qui profugum Jonam latratibus usque sequuti
Vectores egere, virum dare corpore in undas
Præcipitem, & prædam poscentis in ilia monstri:
Non aliâ reor Æolia, vel carceris antro
Orta ratem vexavit hyems, quá, Paule, subisti
Gurgitis Adriaci fauces, visurus in alto
Corpora mersorum comitum, nì prompta potestas
Adforet, ut læsi prohiberes tela Tonantis.
Quis Venetas Turcasque rates propiore levaret
Clade potens? suberant irarum in numine caussæ
Infandum ob scelus: ergo specu laxantur ab alto
Ætheris infrænes venti, glomerantque per auras
Undique collectam cumulata nube procellam;
Horruit excluso, cœli frons dira, sereno,
Et versum tumuit subito mare fluctibus atris.
Turcica se jungit classi, quæ plurima ponto.
Innatat, & Rhodio victrix de littore venit:
It pelago nemus arma ferens, rostrique lacessit
Impete pugnantem Boream; stupefactus eunti
Mole fatiscentes nimiâ, vix sufficit undas
Nereus, & raras negat indigus Æolus auras:
Occurrit classis Venetorum haud navibus impar,
Quam regit antiquâ procerum de gente Mocenus;
Dependet lateri fracturus cornua Lunæ
Threiciæ quondam gladius, quem divite nexu
Subligat intexto præsignis baltheus auro.
Concurrunt adversæ acies, tonat ænea longè
Machina, displosasque vomens per inania flammas
Aërium metatur iter, Martique futuro,
Fulmine præludit bruto; ferit aurea clamor
Sydera, responsant vocalia littora, & echo
Per diversa loquax suspensas dividit aures
Mul-

Murmura, quid primùm referat, quid deinde reponat
Anxia, & æquoreis sonat indiscreta sub antris
Qualiter hinc Boreas streperis super ingruit alis,
Illinc Auster agens fœtam multo imbre procellam,
Exacuunt iras; ingenti dissilit aër
Murmure, dum sonitum vocalia saxa remittunt:
Hos inter fremitus armorum, Turcica navis *Navis*
Exclusi rea Lojolidis sub gurgite pœnas *Turcica*
Prima dedit (dare debuerat) mox traduce flamma *perit.*
Mulciber hinc alimenta rapax propiora sequutus
In socias resilit flamma grassante carinas,
Estque vorax tabulata rogus, jam carbasa fumant
Ardua, disperguntque nefas: jam transtra, forosque
Sublimesque, noto vires geminante, ceruchos
Sulphure pasta cremat labes, jam naufraga sparsis
Busta vorat tabulis, funusque natatile mergit.
Stricta superfusis adsibilat unda favillis,
Atque repercussæ latitant sub flumine flammæ;
Neptunus liquidis formidat in ædibus ignem.
Dant longe gemitus, dantque intermortua verba
Sulphureas inter flammas, quibus haud suus aër
Obstruitur piceo fumi spirabilis haustu.
Decolor it pontus, spumanti sanguine fumant
Littora, inexpletis Mars fulgurat improbus armis.
Altera, quòd gremio Lojolam excluserit, alnus, *Et navis*
Conscia quæ culpæ, est, non dispare sorte peribit, *veneta*
Dum nautæ vitæ pro summâ & amore laborant *perit.*
Vim contra maris irati, cava lintea turbo
Cum fractis tulit antennis, nec stuppea malum
Vincla satis tenuere imâ radice revulsum:
Nunc proram, puppimque feris assultibus urget
Unda ruens, nunc & latus impacata fatigat.
Qui gemitus miserorum! intus quæ vota dolentûm!
Quod procul à patriâ, charæque à mœnibus urbis,

Dulcibus à tectis procul, aspectuque suorum
Oppeterent! gazas nequicquam prodigus ultrò
Institor ipse suas, prædam velut, objicit undis:
Nescit at iratus donis mitescere Nereus
Atque aliquis; cur te socium dimisimus, inquit,
Ignati; nusquam huc tecum sors læva subiret,
Aut ea si qua foret, cœli munimen ab irâ
Solamenque fores; furiis mox actus iniquis
Navarchus ferro mortem prævertere tentat;
Arma amens violenta rapit, cohibere furorem
Obnixis labor est nautis: nam morsibus artus
Appetit, & manibus diverberat ora tenentûm.
Hæc inter, jactatæ undis tabulata carinæ
Abripit in fluctus Boreas, torquetque citato
Turbine correpta in syrtim fallacis arenæ:
Fracta ratis brevibus crepuit, fluitare videres
Transtra, viros, merces, tabulisque illisa cruentis
Pectora pulsari morientum, & mergier æstu.
Quid juvat assiduo membra exercere natatu?
Quid tædis alios equitare? aut prendere mali
Fragmina, vel raucis ora exertare querelis?
Quotquot erant, sorbentur aquis: ô mortis imago;
Cum rate tot periisse animas, nec deinde solutis
Elysium superesse, aut spem portusque secundos!

Navarchus Venetus fracta nave dat pœnas falsi scommatis.

Atque ea dum pelago funesta clade geruntur;
Tarda ratis lentante gradu, secura malorum
Provehitur; Lojola tamen, ne staret acerbæ
Fortunæ speculator iners, contendere quantum
Evaluit, tantum studiis avertere pestem
Institit; urgebat pietas incessere Christum
Per lustrata recèns sanctæ loca conscia vitæ,
Quæ pedibus sacrare Deus mortalis amavit,
Perque tot exhaustos, hominum pro gente, labores,
Indignæque probrum mortis, ne chara sodales
Occiderent capita, aut consortia prava nocerent

Sola Ignatii evadit navicula.

Immeritis: fletus dictis addebat amaros,
Libabatque Deo secreta in parte phaseli;
Quem sic sollicitum cœlestibus aliger oris
Affatus; te propter, ait, mare ferbuit æstu
Indomito, & furiis ventorum exercita cessit
Vis hominum, cum te contemptor abire juberet
Nave procul, meritas acuit sibi Numinis iras,
Inde tumor pelago, conjuratique tumultum
Commovere noti: jam jam vindicta protervum
Excuteret caput in fluctus, & egere doceret
Naves præsidio superûm, cœlique favore;
Pœnituit facti supplex, & pace petitâ
Dicta retractavit; quoties in vota vocavit
Divorum genus irrisum! nisi tela stitisset
Jam vibrata, precum clypeo, nunc corpore pisces
Pasceret, aut mediis mergos inhumatus arenis:
Spirat adhuc, salvique simul, tua cura, sodales
Emersere mari, tempestatique supersunt
Tristes relliquiæ; vobis intacta phaselus
Continget portus Italos, habitura faventem
Cum ventis, pelagoque Deum: sic ore locutus
Abstersit fletusque genis, & pectore curas,
Tum se se obscuro nebulæ subduxit amictu.
Lojolides, vulgare licet rubur abnuat ingens,
Ingenuusque pudor, sociis spondere perennem *Confirmat exinde vectores Ignatius.*
Pergit opem, cœli offensi quibus ira pepercit
Instructas populata rates; mens omnibus inde est
Gratari superis, & spes attollere cœlo;
Quóque magis nudata armis, & fluctibus impar
Deficeret navis, tanto huic impensius omnes
Consulere, & sibi quemque manûs partire laborem?
Dum remo incumbunt pariter, transtrique ministrant,
Adjuvat instantes operi, & solatur anhelos
Nolanâ de gente Saphos, ut rebus acerbis

Auxilio veniat Deus, & munimine firmet,
Quos adversa premunt, & spes humana relinquit.
Annonam portabat, ait, messesque beatas
Littore Sardoo classis, Latiumque petebat:
Illam remigio triplici, velisque volantem
Non impunè ferens Boreas, per & aspera brumæ
Tempora, jura maris questus temerata, repulsam
Flatibus adversis in naufraga saxa retorsit;
Illisæ crepuere rates, frugesque, virosque
Sorbet in abruptum pelagus? stetit una procellam
Eluctata diu, dum morsibus anchora fundet:
Tandem ubi vim fluctûs contra, non pondera librant
Ulla satis, non vincla tenent; scapha suscipit alvo
Corpora nautarum; sed enim versatque, rotatque
Unda Pilæ ritu facilem in diversa moveri
Et sine mole ratem, donec sub gurgite mergat
Illisam ad scopulos, & amaro sorbeat haustu.
In rate quid faciat reliquis absentibus unus,
Sentinæ cui cura senex? emersus ab imo
Excessisse videt socios, arma omnia circum
Disturbata fugæ studio, se morte propinquâ
Afflari caput invalidum, lethoque sacratum:
Anchora nulla super, rarique ad vela rudentes:
Quis clavum moderator agat? quis cærula verrat?
Sex miserum tenuere dies fastidia vitæ,
Obnixum dapibus (quamquam penus ampla pateret)
Non sedare famem, at certæ compendia mortis
Usque sequi: nam quò vires recreare, parato
Præcipitare animam, finemque imponere curis?
Nec modus interea lachrymis, te, Christe, precari,
Ne sineres lustralis aquæ & vitalis egentem
Nondum fonte sacro tinctum, bis funere mergi.
Ecce sub hæc (res mira) polum qui numine torquet,
Ipse gubernaclum non dedignatus inermis

Quos inter Nolanus quidam narrat Valgii Vectoris postea dicti mirum naufragium ex D. Paulini Epis.

Navigii,

Navigii, puppim insedit, clavumque magister
Arripuit, jussoque seni sperare salutem,
Mandavit, rectâ stantem citus arbore malum
Dejiceret: jussisse Deum & juvisse laborem
Constitit? haud possent bis sex adnixa lacertis,
Qualia Nautarum sunt corpora, cædere tantum
Robur, & expertem casûs præstare carinam:
Attamen invalidæ vix sentit vulnera dextræ,
Vixque pedem mali afflavit bis adacta securis,
Cum ruit excisum longè, pelagoque sonanti
Stipitis incubuit pondus; saliisse fugaci
Impete, vel ventis volitasse rapacibus actum
Credidit attonitus senior: mox orta laborum
Densa seges vario distentum exercuit æstu,
Ingeminante Deo vires, animosque senectæ:
Unicus absentum partes se major obibat,
Dictus ob id Christo Victor (nam Valgius Oscum
Nomen erat) tardis vox auribus illa sonabat
Crebrior: heus agedum, Victor, contende rudentem,
Et solve, deple sentinam, artemona tolle,
Quid cessas? (urgebat enim qui robur agendi
Præbebat): quoties parcum, resdemque morarum
Increpuit? quoties contra sub tempora somni
Excepit fotum gremio? videre jacentem
Non semel amplexu in sacro, pennata juventus
Ætheris, admirata pium genitoris amorem,
Quin etiam aligeri nautas supplere parati
Insedere foros; tacitis pars remigat alis,
Undarum cohibet raucum pars murmur, & ora
Ventorum, mollem abrumpant ne flamine somnum.
Atque ubi sat longam captarant membra quietem,
Sponte pigrum ne forte senem blandita teneret
Segnities, sole alternum referente laborem,
Molliter ipse manu palpans, qui veste cubantem
Fove-

Foverat & genibus, ſolitas revocabat ad artes
Aurora ſurgente, piger ſi quando ſoporem
Pelleret ex oculis, & deſide membra grabato.
Quin etiam curaſque leves fecere juvando
Siderei volucres, viſi fulgente caterva
Sæpius admiſcere manus operamque labori.
Ut ſemel in pigram demiſerat hauſtra lacunam,
Arebat ſiccata palus; & nautea fundo
Protinus egeſta immundam purgabat aquæ vim;
Extulerat contum, jam ſuppara ſtare videbat,
Aptaque tranſverſis ſe pandere lintea malis,
Intendique pedem : ſpecies ea proxima ludo,
Si non ſollicitum res plena timoris haberet
Tempeſtas, quæ ne nimiâ formidine mentem
Concuteret, tunc ore nitens & veſte coruſcus
Puppis honos Chriſtus, nutu recreabat amico:
Atque ubi ſopito dederat pulvinar odorum
Per noctem, ſub luce potens præbebat aſylum:
Præcipuè cum ſæva truces in prælia venti,
Inter & emotos fluctus in mania cete,
Non ſecùs ac liquido ſi fluctuet inſula ponto,
Exercere ratem, & jam jam ſorbere pararent
Faucibus exertis, nec ſe mors una referret.
Quid victor trepidas? ajebat, & effera ponti
Exterret mentem rabies, formæque natantum?
Mene tuis tardum poſt tot diſcrimina rebus
Indormire putas? at qui, dum nocte gravaris,
Pervigil excubias agito, vireſque ſenectæ
Sufficio: quidquid dextrâ moliris & arte,
Hoc opis eſt noſtræ, Chriſtum vehis: excitus ille
Vocibus his, animum abjecto terrore levabat.
Non operum tamen immunem tulit eſſe magiſter,
Ire jubens ſolem interea bis dena dierum
Per ſpatia, atq; brevem Lunæ prope volviet annum,
Dum deformis Hyems Aquilonibus aſperat undas
Ex-

Exercetque ſenem procul omni littoris orâ.
Iam conſpecta Pharos, Campanaq; littora & arces
Trinacriæ; atque infame fretum reſonare Charybdī
Syllææque canes auditæ ululare profundo:
Quàque ſolent regnum claſſes molimine grandi
Remigiiſque virûm inſtructæ, trepidare periclo
Præſenti, & medios dubiæ pendere per æſtus;
Hac facilem tenuit curſum, fauſtiſque peregit
Artis inops iter auſpiciis, Fœlice magiſtro
Alternas ſubeunte vices, cum Chriſtus abiret
Inde per Ionios fluctus trabs acta petivit
Littus arenoſum Libyæ, rurſumque recurrens
In Siculos tractus, revoluto turbine tandem
Lucanos tetigit fines, ubi feſſa quievit.
Nec ſine præſidio ſuperûm videre propinquam
Par piſcatorum, & lembos egere retrorſum;
Sed timidos audita ſenis vox fracta retraxit
Ad lugentis opem; vix admovere vocati
Navigium, cum vana ſui ſimulachra pavoris
Deprendunt, vacuoſque foros, disjectaque quaſſæ
Armamenta ratis, nautam ſine viribus unum,
Et circum aggeſtos cumulatæ meſſis acervos:
Inſuper hoſpitio, dapibuſque ante ora paratis
Invitat ſenior vultu ſuper omnia læto,
Indulgentque cibis, quantùm per marmora longo
Piſcatu collectus amor ſtimulabat edendi.
Quin etiam ciathis ad purum pocula verſis
Æquavere virûm numerum, quos gurgite ſorpſit
Unda vorax, vetuitque mero indulgere relicto
Fluctibus epotos ſalſis; atque inde refecti
Viribus, ad littus navium traxere remulco
Et ſalvum vexere ſenem: contingere palmis
Gaudet indigenæ, quos fama excivit ad actam.
Non puppim nautamque aliis à morte receptum
Spectavere oculis, quàm ſi ſtagnata per arva

Diluvio

Diluvio allabi clauſo pontone Noëmum
Aſpicerent, hominum mundique ſub imbre ſepulti
Reliquias ſe ſe iſpe ſtupet ſuperare malorum
Victorem, cœlumque oculis manibuſque ſalutat.
Haud ſecùs incolumem Chriſtus, quæ feſſa fatiſcit,
Præſtabit cymbam; tali ſperate magiſtro
Auſonios iterùm portus: ſic voce monebat
Inſtantes operi Fœlix, nec parva ſecuta eſt
Gratia narrantem, cuncti plauſere faventes:
Tunſarum juvat ad numerum vada ſalſa ferire,
Lætitiæque vocare Deum, vitæque datorem
Carmine quo delubra ſonant, cum læta reviſit
Pax populos, & læta parit victoria plauſum,
Extremis vel ſentit opem gens anxia rebus:
Nec veſtrum invalidæ per tot diſcrimina puppi
Abfuit auxilium, Superi? vos flamine ſupra,
Vos ſubtus torquente manu portaſtis euntem,
Donec Iapygia curſum componeret ora.

Canitur à Vectoribus? Te Deum.

Non prius audaci pulſantem vertice nubes
Garganum Lojola videt, quàm nave relictâ
Exſcendat, genium que loci proſtratus adoret.
Illum autem ſocii, quamvis toga ſciſſilis artus
Et brevior tegeret, teneatque ut naufragus actam,
Qua licet officiis omnes venerantur amicis,
Seque ſui ſalvos comitis virtute fatentur.
Ipſe autem magnos recolit Michaëlis honores,
Qui ſuperum princeps caſtrorum, effulguret armis,
Et loca Chriſtiadum clypei ſeptemplicis umbrâ
Protegat, & pavidum telis exterreat Orcum.
Dum ratis extremum ad curſum reparanda moratur,
Carpit iter brumâ aſperius, gelidóque Decembri.

Portum apuliæ tenet ad Garganum, quo acceſſit Ignatius S. Michaelis Templum Veneraturus.

Namque per æſtatem ſub eodem culmine montis
Inde nemus frondet, pubeſcit vinea fœtu,
Fluctuat alta ſeges campis, & rupibus ùdi
Rumpuntur fontes, ſcatebriſque fugacibus errant
Hinc

Hinc montem glacialis hyems confuderat albo
Vellere, concretæque nivis velamine denſo. *Tempore æſtivo erat nix.*
Hærebant vincto fluvii pede: ſemita tantum
Trita viatori templum ad ſublime ferebat.
Intus habet ſimulachrum ingens elata crepido
In formam juvenis, cui caſſidis ignibus ardet,
Et cruce fulget apex, pennarum argenteus ordo
Lenibus ex humeris ſe ſubjicit, ægide pectus
Protegitur, nivei circumdant crura cothurni:
Sub pedibus varios draco nocticoloribus alis
Dat tortus, vibratque orbes, unguesque recurvos,
Armaque, cornuaque, & fumos Acherontis anhelat
Nequicquam; preſſo inſiſtens pede deſuper angit
Guttura nitentis, pilumque immane coruſcat
Victor in os, trifida vallatum cuſpide linguæ.
Quantum non ſitiens canis Appula, non, jacit anguis
Ad ſolem Calaber; neve eructata laceſſant
Sulphura ſydereos vultus, manus altera cetram
Prætendit, Divino Erebi terrore notatam.
Hos motus animorum atque hoc inſigne duellum
Spectabit ſuprema dies, quo tempore noſtris
Dux Erebi regnis inhians, extrema movebit
Prælia, & inſurgens Michaël victrice ſariſsâ
Vulnere dejectum ſub fumida regna retrudet.
Non ſegnis Lojola videt, ſentitque ſub alto
Pectore gliſcentes animos, immania contra
Monſtra Stygis: fovit flammam ſpelunca receſſu
Abdita, magna loci virtus, primævaque montis *Deſcriptio*
Gloria, quam fama eſt reliquis magis omnibus unam *ſpeluncæ*
Eſſe duci Aligerum curæ; ſic pictus in æde *& templi*
Teſtatur paries, monimentaque vitrea ſignant: *hiſtoria.*
Nunc ubi ſaxorum conſurgit ad æthera moles,
Rupe fuit media ſpecus alto immanis hiatu

Circumſepta rubis; huc nulli accedere quondam
Paſtorum licuit, quamquam vicina frequenter
Arva pererrarent (tantus ſe numinis horror
Extulit ex adyto: nam qui Deus uſque latebat;
Sed tamen incertis fuerat Deus:) illius antro
Arcebat pecudes; taurum tamen huc tulit error
Fortè ſibi ereptæ gemiturus damna juvencæ
Exul erat, notiſque procul ſeceſſerat arvis:
Quærebant armenta ducem, armentique magiſtri
Avia per nemora & ſaltus, fruſtraque cientum
Voce laceſſitæ tenuere ſilentia valles:
Nuſquam mugitus, nuſquam veſtigia produnt
Errabunda locum, quo ſe ſubduxerit, & jam
Veſpere majores umbræ ad præſepia paſtos
Cogebant revocare greges: rediere bubulci,
Nec latuit jactura, domus ſub limine, ſuetum
Gargæum numerare pecus, cum denſa redirent
Agmina, nam numero taurus dux defuit omni:
Væ famulis, quos fuſte furens percuſſit, & arcu
Arrepto remeare viam, lateque coëgit
Omnia ſcrutari circum loca: vertice tandem
Inventum, & primis hærentem in faucibus antri
Inſtinctus furiis Dominus configere telo
Dum parat, & ferrum lentato miſſile nervo
Dirigit, ex adyto jaculum mox aura retorquet
Pectus in authoris; medicatæ cuſpidis ictu
Volvitur, & multo vitam cum ſanguine fundit:
Ocyus arrepto refugit gens ruſtica curſu
Nuncia monſtrorum, & totam ſermone Sipontum
Terrificat, jubet Antiſtes depoſcere pacem
Ab ſuperis, quidve hæc monſtrent portenta, doceri.
Tres ſine fruge dies placando operata Tonanti
Pleos duxit; tum ſic vigilantem, & multa precantem
Pontificem affatur Michaël per tempora noctis:
Parce

Parce metu, ſenior, non hæc ſine numine cædes
Contigit, illato perſolvit funere pænas
Ferro auſus violare ſpecum, taurumque ſacratis
Faucibus hærentem; teneo penetralia vindex
Et tutela loci, quo non mihi gratior alter.
Nempe ego, Mortales, ut quondam in veſtra venirem
Fœdera, delegi rupem, quæ proxima cœlo eſt:
Ipſe mea ſaxum introrſus virtute cavavi,
Speluncæque arcum ſinuato fornice duxi:
Proinde tuis edice locum venerentur honore,
Et genium, & reliquos noſtra de gente Miniſtros:
Sic placitum ſuperis, ſic edita corde voluntas.
Ex illo coluere locum gens incola montis,
Ante fores primum pavidi, formidine pulſa
Mox antro ſubiere, manu tractabile ſaxum
Mirari, poſitaſque aras, & pumice vivo
Stillantem leviter, ſitis in ſolatia, fontem:
Quantas ille potens genius diſcuſſerit ægris
Corporibus peſtes, quot tela inimica fugarit
Urbibus, aut ratibus, donaria denſa loquuntur
Fixa tholo; quæ dum pelagi ſervatus ab undis
Lojolides ſecum recolit, tibi, maxime princeps,
Perpetuos ſpondet, dum vita manebit, honores!
Exiit è templo, cœleſtia dona reguſtans, *Rediens ad naviculam in Venatores incidit.*
Quæ vel ab exiguo ſitiens perceperat hauſtu
Dulcis aquæ, rigidæ quæ ſtillat ab ubere venæ.
Mella quidem Siculos non tam ſincera per hortos
Libat apis, licet ambroſium bibat ebria rorem.
O quid erit ſummo rerum de fonte liquores
Ducere Nectareos, & totos æquore pleno
Numinis immergi, ſtillæ ſi tanta voluptas?
Jeſſiades fonte hoc gaudebat, ut ilia cervus
Per juga per valles flammato exercita curſu
Egdidæ feſtinat aquæ reſtinguere rivo.

Ecce ſub hæc, cervum venatrix turba premebat
Caſſibus elapſum, & multâ nive merſa notantem
Rura fugâ; nec tarda canum, ſegniſve ruebat
Vis equitum, & cœlo telorum miſſilis imber
Præcipitans; motis ſed cornibus exiit omnem
Vim quadrupes, fruticans altè caput, & leve corpus;
Atque ubi torrentem fluvium toto impete præceps,
Qua vada clamoſi deſperavere latrones,
Corripuit, tuto conſedit margine ripæ,
Securuſque æſtus inter carecta levavit:
Umbrarum genus eluſum veſtigia retro
Flectit, Lojolidemque feris latratibus ambit.
Quippe peregrinæ ſpecies objecta lacernæ
Scipioque, & fœdo liventia frigore crura
Exacuere iras, vix avertere magiſtri,
Donaruntque equites miſerum ſtipe: at ille precatu
Effugerent Stygii venabula crebra tyranni,
Subtileſque dolos, miſerum quibus implicat orbem,
Nec prædam poſthac vacui ſequerentur inanem.
Lojolidem hic populus venerantur, ut æthere lapſum
Quos blandè monitos, ſinerent commiſſa piare
Terrigenamque, reumque, Stygis ſe forte vacaret
Declinare rogos, & ineluctabile pœnæ
Exuperare genus, quod crimina priſca maneret,
Mittebat vitæ incenſos melioris amore.
Quin ètiam ſublimis ubi data copia cœli,
Palantes cælo ſtellas, Titaniaque aſtra
Haurit amans oculis, & totus ab æthere pendet;
Fœlices animæ, dixit, quibus aurea pacis
Secla fluunt: quàm ſordet humus, dum ſydera cerno!
Quid memorem ut peſtes Erebi, larvasque fugaret
Victor agens baculo, juſſiſque inſtaret amaris?
Quattuor ut cubitis ſuſpenſus in æthera fixo
Tenderet obtutu, radiatus tempora flammis,
Dum

Dum molis portaret onus, terrâque levaret
Aura potens superûm, & rapidi vis ignea Cœli.
Quæ ne monstra pios fallaci errore moverent.
Neve, homines inter, genus immortale putarent,
Suppliciis fractos, dirisque laboribus artus
Arida corripuit febris, rivosque salubres
Venarum & totas infecit peste medullas.
Jam non fida dabant Medici responsa salutis,
Nec quicquam, superante malo, fomenta levabant
Hic cui mille dolis fœcundum pectus anhelat
Pestem hominum, magnis heroibus additus hostis,
Inter lucifugas notissimus arte Bemothus
Concutit ingenium, & technas se versat in omnes;
Non secus atque vigil circum castella coronam
Dux obit, & totam visu solerte pererrat,
Si quo forte loco motâ compage fatiscant
Mœnia, vel tectæ pateant accommoda fraudi:
Quà raræ vigilum excubiæ, aut custodia mendax,
Quáque notat labem, huc crebris assultibus instat;
Sic solers Erebi ductor, cum corporis ægri
Sensibus effœtis, virtutis hebescere vires
Credidit, in fraudem summo se colligit astu;
Non superos solito mentitus more, vel altos
Regum habitus, magnæ obtrudit ludibria formæ;
Sed Mauro venit assimilis, fuligine vultum
Incoctus, qualem artifices meditantur Averni
Principis effigiem; frons horret cornibus hirtis
Aspera, tartareâque oculi ferrugine livent,
Naribus & subter camuris, rostroque suillo:
It mento demissa seges nebulosa pilorum, *
Cyniphii ceu barba hirci: quid fraudibus, inquit,
Est opus; insidias contrà cœlestibus armis
Instructus, vicisti omnes: nec deinde licebit
Quidquam in te generi nostro; sic Rector Olympi
Nos prohibet certare odiis: En aspice quantum

In te instar pietatis habes: qui tollimus omnem
Remque & spem justis summo in certamine lethi,
Te victi ac tristes fugimus: viden' æthere toto
Cœlicolum longos venientum albescere tractus,
Qui tibi sydereo properant de flore coronas?
Jam secura salus; procul à te (absiste moveri)
Aut iræ superûm, aut diris exercita pœnis,
Quæ colimus, loca, quæque adeo sine fine colemus.
Talia jactantem jamdudum avertitur æger
Conatu tacito, majorque in prælia surgens,
Ex nimio nisu, pleno vomit ore cruorem:
Acrior ardor habet mentem: væ pestis Averni!
O si dextra crucem, Jesum vel lingua valeret
Intentare, piumque dolis opponere rorem!
Ut primum fari potuit, quid me, inquit, amici,
Tunc opis auxilio vestræ liquistis egentem,
Cum valide tentata salus, propiusque periclum
Ingruit? extremum subeat si vita laborem,
Vos ego per sacrum Christi, quod nomen amatis,
Per matrem obtestor, fœdos ne absistite mores
Ingeminare reo, & scelerum inculcare pudorem.
Cernitis, instabiles ut nautæ in littore cymbas
Congestis onerant saxis, librantque saburrâ?
Ni faciant, medio deprensas gurgite ventus
Illidetque vadis, scopuloque impinget acuto:
Fluctibus in mediis cœcoque in turbine lethi,
Pondere noxarum se conscia pectora firmant.
Postquam habilis membris rediit vigor, ilicet omnes
Roboris ad pugnam nervos, viresque receptas
Intendit; clademque putat, quod spiritus æger
Non se se in monstrum graviori accenderit irâ.
Tantane te gestæ tenuere oblivia vitæ?
Fas ne tibi versum atque nefas è mente recessit?
Tu recti semper custos, & criminis expers
Justitiæ

Juſtitiæque tenax ſtudia inter bellica, & artes
Sanguineas? tibi veſanos nihil inter amores
Deliciaſque aulæ ſuaſit maleſuada libido?
An pœnæ expenſæ? pius hæc an ſuaſerit author
Noxarum memori? cauti procul eſte Bemothi
Dira latrocinia, & tumidi conſortia faſtûs:
Ante tuam me, Chriſte, crucem, & compelle tribunal
Ante tuum; cernam; ut generis contagia noſtri
Morte pias, lacerum aſpiciam crudeliter artus,
Tempora ſanguinolenta rubis, palmaſque trabali
Perfoſſas ferro, atque pedes, atque in latus actâ
Cuſpide corpus hians: ſævum ſuper omnia lethi
Informis genus, & cauſæ execrabile carmen,
Id meruiſſe, Dei ob raptos genitoris honores.
Tunc vires metire tuas, cum funera Chriſto
Reddideris meritique gradus æquaveris omnes.
  Anxius hæc ſecum accenſo cum corde revolvit
Fluminis in ripâ, ſtreperis ſe ſuſtulit alis,
Quæ ſpatiata diu cornix glomeraverat orbes,
Ceu pluviam ſolet opperiens; cœloque potita
Stridorem dedit argutum (cocythia peſtis
Hanc ſe ſe induerat formam) atque hæc ſigna receſsûs
Edidit, augurioque animum præſente levavit.
Hinc iter ad navim celerat, ne forte refectam
Unus inops, vento curſum ſpondente, moretur.



IGNATIADOS LIBER NONUS.

ARGUMENTUM.



Avis tempestatum victrix fausto carmine celebratur: Ignatio dubitanti quo se vertat, divina apparet sapientia ut B. Laur. Justiniano, eumque annulo ferreo desponsat & deducit in suum palatim, uubi variæ, quæ in ejus exstant vita, apparitiones & mysteria per fictionem poëticam explicantur, his adeo permovetur, ut frustra ibi eum retinere contenderint amici, & statim in viam se dederit Romam versus, ad quam magno cum amore contendit; sed ejus aditu prohibetur propter grassantem pestem & invidiam dæmonum; donec fusis ad Deum precibus in Urbem admittitur, cujus custodes Angelos magno cum pietatis sensu salutat ad primum templorum aspectum.

AD MAJOREM DEI GLORIAM.



Liber Nonus.

IGNATIADOS

STABANT in ſpeculis Veneti, quam longus in æquor
Eminus aſpectus ſublimi è turre patebat,
Viſuri majore tubo, num forte rediret
Expectata ratis; ſed enim præeunte phaſelo
Nuntia fama venit, certoque auctore reportat
Tres unà ſolviſſe rates, abſolvere curſum
Paupertate ſuâ & fauſtâ levitate beatam
Hanc unam, Cyprio geminas periiſſe profundo:
Tum vero ingenti luctu, & clamore gementûm
Littora perſonuere; tubiſque ad feſta paratis
Gaudia, præcones mutato carmine mœſti
Luxerunt, quibus aggemuit vocalibus Echo
Rupibus, & triſtis per conſona marmora Triton.
Sic reduces querulis portum concentibus intrant.
Ne tamen arbitrio cœli ſervata phaſelus,
Dignaque ſtellatis inſiſtere nubibus Argo
Altera, cœnoſum ad littus ſine laude jaceret,
Fore tulit ſalvo in gremio de gente Catullâ
Fabricium, priſcæ qui captus originis æſtro
Lojolidiſque memor, reſidem ſtatione carinam
Carmine deſcripſit, famæque in ſæcla ſacravit:
Advena, voſque maris ciues, ne ſpernite cymbam,
Quid nunc hæret iners, carieque exhauſta fatiſcit:
Non cedrus mihi materies, ſed filia ſylvæ
Vilis eram, tamen Eoi maris alta cucurri

Audiunt Veneti quid nave factum quam expectabant.

Vnus è Catuli Nepotibus lembo vectus cum Ignatio fingitur phaſelum carmine proſecutus.

Ioniique

Ioniique ſinus pelagi; nec dicta refutent
Sæpè mihi luſtrata Cyprus, Rhodos aſpera ſæpè,
Terraque Minois, quæque æquora Cyclades arctant:
Nil me pœnituit ſortis, moliſque puſillæ:
Nam veluti cymbam minimam, facilemque moveri
Sperneret undarum rabies, hoſtemque puderet
Exiguæ prædæ, rapidæ ſecura procellæ
Tramite inoffenſo pontum per utrumque volavi:
Hic ubi majorem caſſus labor: hauſta profundo
Vidimus, & dirùm ſcopulis impacta ſonoris
Navigia, abſorptas merces, gazamque viroſque,
Cum mea me tutam facilis præſtaret egeſtas
Teſtis es, Adriaca, & tu, navis Turcica, teſtis:
Littore tres uno puppes, paribuſque profectæ
Auſpiciis, curſum eventu non egimus uno:
Heu vobis brevis ille fuit: cecidere ſub undas
Noctis in æternæ regnum vaga cornua Phœbes?
Adriacam fœdæ in cautes rapuere procellæ,
Ærea non illam Veneris tutela, nec ingens
Gloria Navarchi texit; ſi parvula contrà
Vexi inopes, iratum inopes flexere Tonantem,
Incolumiſque lares patrios votiſque petitos
Obtineo, & gratâ demum nunc pace ſeneſco.

Deliberat Venetiis quid agat Ignatius.

Redditus heſperiis poſt tot diſcrimina terris
Lojolides, quò flectat iter, patriamne reviſat
Cantabriam, Venetâne prius ſubſiſtat in urbe
Hæret in ancipiti, dubioque impellitur æſtu:
Auxilium, ô ſuperi! vobis authoribus ultrò
Occiduos adiit tractus, ultroque reliquit.
Invitat nunc nota ſuo Manreſa receſſu,
Bella vetant, Martiſque tenent media omnia turmæ,
Nil patriam cupit, omne ſolum fit Patria forti,
Nec refugit, quacumque feras, inoleſcere virtus;
Mutato peregrina nitent plantaria cœlo,
Dulceſcuntque procul natali perſica cultu:

Spem

Spem fructûs Veneti ostendunt, si cura colentis
Adsit, & ulterius jam semina nata propaget:
Composuit fluctus animi depicta tabella.
Hospitis insistens abaco: Laurentius illic
Egregius formâ juvenis, clarissimus ortu,
Orabat superos supplex, pacemque petebat,
Quam non ulla dabat fluxæ experientia vitæ:
Hinc fletu turbati oculi, & frons nubila rugis
Ante diem (nondum crines demissa tegebat
Infula, nec sacro moderandam acceperat urbem
Imperio, titulis Præsul majoribus auctus)

Laurentius Iustinianus nupsit sapientiæ divinæ accepto annulo

Hinc se se divæ species blandita ferebat,
Qualis Luna secat medios argentea nimbos
Obscuramque levat tetrâ caligine noctem:
Nomen erat divæ *Sapientia*, maxima proles
Numinis æterni. circum caput omne nitentes
Arguerant talem radii, & flagrantior ignis
Per geminas oculorum acies, atque oris honestas.
Olli cæsaries Zephyris impulsa secundis
Fluctuat, ac tenuem alternat sine lege susurrum;
Qualis ubi circum placidè motantibus auris
Crispatur matura seges, lenique recurrens
Agmine, ludentes imitatur in æquore fluctus:
Sydereos affusa pedes argentea lambit
Vestis, & in varias sinuatur mollior undas,
Vestis opus superûm, niveo quam pollice nevit
Cari[illegible] & [illegible]aro discrevit acumine telas.
O juvenis. sorte hac fœlix, Ignatius inquit;
Dixer[illegible]t, Heroëmque parem Dea nacta recurrit
Quonia pict uræ similis? tantum abfuit auri
Annulus; aptandum digito quem sponsa ferebat,
Ferreus iste fuit, tum sic aggressa profatur;
Non me Caucaseus vertex transmisit Olympo
Rupe satam patria; nec jam mea munera vobis
Invideo, votisque libens inflector amantum:

Sapientia apparet Ignatio.

Si

Si me forte aliqui (plures cupiere) maritam
Optavere proci, placuitque probata Tonanti
Conditio, puris sociam Pater ipse jugavit
Mentibus, & sanctis conierunt fœdera tædis:
Annulo ferreo. Nunc age perpetuæ sponsus cape pignora sponsæ
Ferrea, non ego te miti constringere vinclo
Magnanimum meditor, spondent hæc dona catenas:
Sponsum & ipsum adoptansque non celat labores subeundos. Dixit, & in digitum, minimo qui proximus, orbem
Immisit, ferrique notam cadentis inussit:
Si placuisse, inquit, cupis, & clarere fideli
Obsequio, varius tibi vitæ panditur ordo.
Aspera barbaries spinoso limite rerum
Exuperanda venit, faciesque immensa malorum;
Mox labor addetur vix eluctabilis alter;
Cum spe. fructus egregii. Tu ne cede malis, socios constantia plures
Una dabit, magnum in nomen virtutis ituros:
Quique adeò populos orientis & invia regna
Cantaber, indigetum fastos aucturus, adibit,
Venetiis sugit ulcus Xaverius. Ducet ab Adriacâ primævos urbe triumphos:
Ille Dionæi liquentem tabe veneni
Exesumque artus putri in lodice repostos
Nactus, pestiferum mulgebit in ora liquorem
Defixis inhians labris, ceu lactea vitæ
Flumina de membris ægri stillantibus irent:
Unius è facto heroïs palmáque stupendâ
Disce ipsum, sociosque tuos, fructumque laboris.
Hæc ubi dicta dedit, Lojolam ad sydera tollens
Sapientia in suum palatium ducit Ignatium. Purpureum festinat iter, perque obvia ducit
Corpora: jamque patent radiati lumine postes.
Ipse satellitium ducit, mensesque, diesque,
Atque horas formâ similes, & sæcula certo
Ordine disponit Titan, regemque sequuntur
Astrorum vigiles oculi, flammisque modestis

Certatim acclives dominæ veſtigia adorant,
Et jam noſſe datur, Phœbus quibus actus habenis
It; redit ad primos, ſua per veſtigia, calles,
Seque remetitur toties, cur flexibus errans
Oppoſitis, varium trahit in diſcrimina tempus,
Annorum cum longa facit, cum parva dierum
Curricula, & lucem radiis diſpenſat iniquis:
Exin vicinos Martiſque, Joviſque penates
Diva ſubit; tela ille libens, hic fulmina ponit:
Iamque adeo ſupplex ſubmittit cornua Taurus
Ardua; & indomitum clauſo premit ore furorem
Centum olim terror populis: blandumque movetur
Compoſitâ cervice Leo; pharetramque ſonantem
Excutit Arcitenens, armataque tela veneno.
Non jam colla tument, aut ſibila ſurrigit Hydra,
Sed repens trepido relegit veſtigia greſſu,
Multipliceſque, pedum ſubmittit ad oſcula, vultus.
Diva autem properans niveo quà lacteus orbe
Panditur, & propior geminorum crura fatigat
Circulus, ardentemque Aquilam, Perſeumque minacem
Componit nutu, & fatales temperat iras.
Provehitur tandem: tellus tenuatur, & alti
Decreſcunt oculis montes, jamque infimus orbis
Et tota in parvum ſinuatur machina punctum.
His tandem exactis, loca læta, ſacroſque quieti
Devenere lares, pulchræ quibus aurea pacis
Secla vigent, & lex nulli violabilis ævo.
Ecce tibi longo ſe ſe magna atria pandunt
Fornice in immenſum, nulloque coërcita fine:
Mox patuit formoſa domus: ſapientia præſes
Ambroſiæ ſucco venientum perluit artus,
Annorumque vices damnat, ſenemque ſenectam
Exuit, & lethi ignaros aſpirat honores.
Hæc domus, Ignati, cujus tibi porta pateſcit,

Æterna

Æterna eſt : elementa ruent, mundoque cadente
Ignis edax finem dabit, atque fluentibus aſtris
Sentiet extremam moriens natura ruinam,
Hæc æterna manet domus , æternumque manebit
Extra anni ſoliſque vias, impervia fatis
Semper, & alternas invertere neſcia ſortes.
Hîc firmis conſtans flammis carbunculus ardet,
Ignivomas tenui venas interlitus auro
Ingeminat Saphirus opes, viridiſque ſmaragdus
Lumina ; phengite rutilat, non viſcere montis
Sed cœli convexa ſuper, flammâque coruſcas
Nata faces inter, ſtellaſque micantis Olympi.
Inſculptæ foribus leges, & ferreus ordo
Fata viceſque notant, metas & tempora rerum
Mobilibus ponunt ſceptris : ſua penſa trahuntur
Omnibus & nulli ſævæ riſere ſorores.
Veſtibuli ad lævam ſumma, ſtat tutre verendus
Falce ſenex, certis diſponens legibus aſtra,
Queis anni menſeſque fluunt, variuſque dierum
Circulus, & ſpatiis æternæ æqualibus horæ.
Sub plantis humili vultu rugoſa ſenectus,
Pallenteſque jacent morbi : curæque, laborque
Imperiis ultro gaudent ſe ſubdere tantis :
Sub leges Libitina vocat jumenta, viroſque;
Et ſunt nulla virûm diſcrimina, nulla ferarum,
Uſque adeo ſimili cernuntur quæque ruina
Ferri, & eo fuerant prius unde avulſa, reverti,
Nam cadit, atque ſua conſtans ſtat clade propago,
Sorſque manet cunctos, potare oblivia lethes.
Dic ubi Medorum fines ? ubi ſceptra ſuperbæ
Aſſyriæ? ſolium Babylonis, & ardua Memphis
Mœnia ? vix nomen ſupereſt, ſterileſque ruinæ
Iliacas preſſere domos, & vaſta teguntur
Pergama dumetis : quis nunc miretur Athenas,
Vix ubi ſemirutis ſtabuletur noctua pinnis ?

Dic ubi Xerxis opes, & formidata Philippi
Progenies? ubi Roma potens, cui defuit hostis,
Cui mundus minor unus erat? premit illa vetustas.
Quid satis est, si Roma parum? protendat avarus
Regna mari, longisque aurum deducat ab Indis,
Atteret hæc ætas & tempus labile carpet.
Quin etiam regum exuviæ, perfossaque tela
Mille locis, clypeique immania vulnera passi
Et fracti passim fasces, curvæque secures
Solamen regni veteris, totidemque dolores,
Loricæque hosti detractæ in limine pendent.
Interiora domus *sapientia* diva gubernat,
Aurea sceptra gerens solidis intexta pyropis:
Illa opifex rerum, solio sublimis eburneo
Sustinet immensum, quaquà patet, ardua mundum,
Dispensatque vices orbi; sine fine, sine ortu;
Una eadem similisque sibi, venturaque lapsis
Intermixta ligans obtutu colligit uno:
Formarumque potens, idearum examina longa
Mente fovet, mundoque, stato dat tempore, nasci.
Illic aspiceres magnum per inane vagari
Rerum principia, & nascentis semina mundi;
Paulatimque alios, aliosque assumere vultus
Et genera & formas, primasque in origine causas.
Quippe Deus terras, magnique volumina cœli
Ex promptu sit gremio bonus, & nutu extulit uno:
Partus erit verbi, quidquid natura resolvet,
Hæc sit it & quodcumque vides; & plurima sensus
Quæ fugiunt occulta tuos, seu corpora constent
Materiâ, seu sint habiles sine corpore mentes,
Quas tamen ex notis fas explorare figuris.
Sed non ulla dei mage vivida spirat imago,
Quam quæ picta animis mortalibus arguit ora
Artificis, roburque manus mentisque supremæ
Scintillam luteo spirans in corpore monstrat.

Hic

In septem tabellis depicta erant sapientiæ opera, in septem diebus creationes mundi.

Hic speculis fulgent, variisque insculpta tabel
Prima rudimenta, & teneri incunabula mundi,
Quæ statuit prudens opifex, rerumque repertor,
Æternùm sibi sufficiens, seque ipse beatus
Interiore sinu: quis enim tunc alter ab ipso,
Cum nihil esset adhuc, primum stimulasset amorem?
Namque sibi Deus hospes erat, sibi regia solus,
Divitiæque suæ, & totum, quod parte carebat,
Multiplici nondum cursu divisa fluebant
Tempora, nec paribus volvebant sæcula lustris,
Cum Deus artifici tellurem condere dextrâ
Instituit, cœlique orbes: sententia menti
Sederat, & subito rudis indigestaque moles
Extitit, innumeros oculis paritura decores.
Terra, polusque fuit, sed nec discernere terram
Fas erat atque polum: nam sic mirabile numen
Nascentem implicuit confuso fœdere mundum,
Quæ gravia ut levibus, quæ summa involveret imis.

Variæ visiones Ignatii. in glor. S. Ig.

Vidit Ignatius per mystica quædam exempla hujus universi molitionem. & opus sex dierum gloria S. Ig. c. 3.

Cuncta superfuso horrebant confusa barathro
Omnia acervus erat, vanum sine corpore nomen.
Num divina duæ steterunt ad jussa sorores,
Umbrarum una parens, & luminis altera mater;
Protinus ecce ambæ versa se fronte tulerunt:
Una coloratas radiis fulgentibus alas
Explicat, & vultu dat mille & mille lepores,
Altera nigranti squallet deformis amictu,
Curva humeros, demissa caput, contracta lacertos,
Nec videt, aut vidisse ambit, refugitque videri;
Tum Deus; alternâ mundum ditione tenere;
Tuque, dies, tot clara oculis, tot splendida gemmis,
Tot flammis radiata genas, jam prima capesse
Imperia; inde tuos nox regnatura sequetur
Pone gradus: certo sic volvite tempora cursu;
Tu dabis, & rebus nox auferet atra colorem.

Ribadeneira in vita Ig.

Et cum viva mei terris incedet imago,
Atque hominum ſe ſe proles fœcunda per orbem
Sparſerit, ad juſtos animare memento labores,
Dum primam revehat nox ſecum exorta quietem:
Quid juvat adversâ lucis diſcrimen ab umbrâ
Si reſtet deforme chaos? cœcoque tumultu
Corpora ſi quatuor coaleſcant corpore in uno?
Explicat ergo Deus ſinuoſa volumina cœli
Artifici ſermone potens, & luce ſerenâ
Fingit opus: duplici tum cardine fixa rotatur
Machina, quæ certis deſcribit tempora gyris:
Fulgebat nondum arctoo temone Bootes
Obliquis nondum fulgebat flexibus anguis,
Nondum inclinatam fundebat Aquarius urnam.
Horrebat natura oculos: prope ſolverat omne
Jam chaos antiquum pater altus, & unica moles
Terrarum innato confuſa madore tepebat,
Tum Deus haud ſterili dicto tellure vapores
Exprimit, & ſuperas juſſit concreſcere in undas,
Quas proprio dixit cognomine firmamentum.
Altera pars alios æquali ſorte ſub axes
Scandit, & aeriâ ſurſum ſtat pendula ſede.
His pretium quis ponat aquis? namque inde perennes
Stillabunt pluviæ, quies terra tumeſcat in herbas,
In ſegetem, in fructus, reliqua in ſolatia vitæ.
Tertia lux elementa jubet conſiſtere regnis:
Quatuor educti fratres ſua regna capeſſunt:
Altum flamma petit; propius ſpirabilis aër
Liquitur, oceanus fluitat, tenet infima tellus.
Unde ingens rupta tellure cavatur hiatus?
Ante ſuperfuſo lympharum gurgite terra
Naufraga, ſepoſitis jam libera ſurgit ab undis,
Inque cavernoſos tellure extante receſſus
Congeries deſcendit aquæ atque immenſa vorago,

Pergit videre Ignatius quæ aliis diebus fuerint à Deo creata, Gloria S. Ignatii c. 3.

Quam mare venturæ dicent de nomine gentes;
Huc prona cervice fluunt declivia passim,
Et Nereo pendunt æterna tributa parenti
Undique flumina vasta, diuque exercita longo
Impete, perpetuâ nec aquarum exuberat æquor
Alluvie exundans, nec iniqua mole tumescit.
Ergo extat, tellusque gravi se fruge coronat
Imperio fœcunda Dei, jam planta virescit,
Vix & onus fert ipsa suum; se caudice flores
Inculto trudunt, præbentque umbracula sylvæ;
Cuique suum semen plantæ, & genitalis origo.
Centum operum diva est solers, gremioque fœta
Mille parit rerum species, dulcemque laborem
Assiduè exercet, vitasque & corpora fingit:
Illa solo fixos frutices, stirpesque virentes
Educat, & libro truncos & cortice vestit;
Hoc foliis, alios foliis, & fœtibus orat:
Cum sitiunt terræ, nebulis edicit & austris
Solentur terram pluviis & mitibus auris.
Quarta oritur cum sole dies, & dispare tædas
Lumine dat totum geminas fulgere per orbem,
Sol radio melior redeuntes dividit annos,
Luna suos flectit breviori cardine menses,
Et modò fraterno splendescit lumine plena,
Et modò curvatæ patiens dispendia lucis
Debiliore nitet radio, defectaque languet.
Sic nasci lucem è tenebris dictamine verbi
Edidicit, positasque vices discrimine certo
Lucem inter tenebrasque, diem ducentibus horis
In noctem, rursusque diem referentibus umbris.
Quinta dies complet numerosis piscibus æquor,
Aëraque alitibus pictis: ruit uda propago
Fluminibus; delphinus ovat, comitantur euntem
Mille supra, & totidem juxtaque, infraque sodales;
Area purpureis stellatus tergora signis

Varia sapientiæ opera visuntur in tabellis pictis. Gloria S. Ignatii, Lib. 3.

Sulco

Sulmo flagellanti caudâ diverberat undas:
Nativis ad saxa tenax stat Coclea testis,
Multiplici Murena rotat sinuamine corpus,
Flectibus & variis anguilla volubilis errat
Nata aquila audaces in cœlum tollere nisus
Erigit imperiosa caput, sibi conscia sortis,
Atque oculo Phœbum non caligante tuetur.
Pavo coloratis fulget maculosus ocellis,
Se rotat & plumas, & se miratur euntem,
Æmula dum pratis caudæ spectacula pandit.
Nescia magnanimos perdrix tentare volatus
Radit humum pennis: metuenda leonibus ales
Purpurat elato cristarum vertice gallus;
It galeata caput, ductoque per aera gyro
Mulcet alauda polum, dum stagna loquacia cygnus
Occupat, & simplex queritur sine felle columba.
Sexta dies genuit vacuis animalia terris:
It vastâ se mole ferens genus acre leonum
Excutiens cervice tubas, absistit ab ore
Flamma minax, & cauda latus sine lege flagellat.
Lentanti gressu tardant Eoi Elephantes,
Dum formica suos componit docta penates;
Tum Deus artifici contrectat pollice terram,
Fingit & humanum mirâ compagine corpus;
Supremâ sedet arce caput, spectare paratum
Sydera, & ad patrias convertere lumina sedes:
Dein paribus porrecta humeris se brachia trudunt,
Et digitis instructa manus; turgescit in orbem
Venter, planta duplex hinc inde trahuntur in imum.
Astra nitent oculis, deflexus acumine nasus
Leni colle tumet: concharum fornice bino
Auris hiat, tegitur molli lanugine mentum.
Hic spectare datur, jungantur ut artubus artus;
Digerat ut partes, induret ut ossa, liquetque
Sanguinem, & infirmæ spiracula vivida moli

Præbeat ille potens hominum, mundique repertor,
His roseo teretes distendit sanguine venas:
Terræ plus aliis, aliis plus adjicit ignis,
Plus aliis frigentis aquæ, quæ corpora tardat:
Præcipuæ Heroum sunt illi corpora curæ,
Quorum humeris regna, & quanta est fortuna, recumbit
Non nescire licet, cur perpluat humidus auras
Africus, & rigido pontum terrasque metallo
Induret Boreas, cœlum & prius omne serenum
Nube tegat densa latè nimbosus Orion:
Quæ facies primæva fuit, dum prodiit orbis
Ex nihilo, tenebrasque suas natura refugit;
Quæ manus evolvit cœcum chaos, unde refulsit
Sol radiis, sparsitque diem, quæ cura diremit
Molem indigestam, primique coagula fœtus.
Magne sator, sunt ista tuæ miracula dextræ:
Omnibus inque locis ades omni tempore præsens,
Diditus in partes omnes, tamen omnis ubique
Integer es, nulloque immensus fine teneris.
Si quid & orbe procul, quod non cœlum ambiat, usquam est
Id nihil, aut Deus est, & numinis ipsa potestas;
Non oneri tamen es rebus, quibus insitus hæres:
Accessus tibi sunt nulli, nullique recessus
Rebus abundanti cunctis, nullius egenti:
Per te præcpiti gyrat vertigine cœlum,
Ast idem est, nusquam absimilis: non labile carpit
Tempus, & adversi vertunt decora inclyta casus;
Sed dives plenusque tui; non copia dando
Deficit, at pleno refluunt de fonte liquores,
Nec lacus exhaustis siccus rarescit ab undis.
Quod si cœpto operi dextram rebusque relictis
Subducis, non consilium immutabile vertis
In melius, vel mente novâ postrema voluntas

Variæ visiones Ignatii quæ passim in vita reperiuntur Hist. vitæ.

Jam

Jam primum ſubit, à prima ſed origine rerum
Sic animo ſtabat fixum, immotumque ſedebat.
Æternas ſic te in ſeriem convertere cauſas
Æternùm perhibent, ut firma lege ſequantur
Uſque alia ex aliis, ſobolesque æterna perennet
Mortibus alternis, & ſe per damna propaget.
Frigida ſic miſcens calidis, humentia ſiccis
Semina ſeminibus, mundum concordibus aptas
Diſſidiis; rerumque ſatus permittis amori
Atque odiis; certis tamen hæc diſcordia conſtat
Legibus, ut nullis mortalia caſibus errent.
Omnia ſemper agis, nec te labor omnia agentem
Exercet, virtus faciendi eſt ipſa voluntas.
Nil operante illâ factum male, quæque ſuo res
Tempore geſta fuit cœli convexa supernè
Machina, ſubter humus ſtatione reſedit in imâ
Tempore quæque ſuo, tenebris lux clara fugatis
Emicuit, tellusque ſalo cedente retecta eſt
Ordine quæque ſuo: noctes partita, dieſque
Aſtra gradu certo currunt; elementa diremptis
Finibus inter ſe præſcripto ex fœdere vivunt.
Non licet hic neſcire, meos ut gratia captet
Aſſenſus ſtudioſa mei, Deus ipſe futurum
Arbitrium explorat, quâ conſpicit omnia, luce,
Auxiliumque ſuum noſtri componit ad uſus
Arbitrii, arbitriumque facit; prævertit agentem,
Una agit, abſolvitque; manum ſubducere poſſet
Ne vellem totâque manu non cogere poſſet,
Ut vellem; negat obſequium regina voluntas
In damnum imperioſa ſuum; ſum cauſa ruinæ
Sola meæ, non una licet ſim cauſa ſalutis.
Victus uterque parens epulis; tamen integra perſtat
Libertas, mediisque tenet ſtata jura ruinis:
Sollicitent inferna cohors, & lena voluptas,
Illa minis, hæc blanditiis, abſiſte moveri,

Reliqui ſapientiæ effectus oſtenſi Glor. S. Ign. c. 3.

 Subſi-

Subſidio quæ ſemper adeſt ex æthere virtus
Sat contra certare animis, & pellere vim vi,
Te niſi ſponte ruens timido permiſeris hoſti.
Pugnam æquat Deus auxilio, nec gratia quenquam
Deficit, imparibuſque hoſti committit in armis;
Sed ſibi quiſque ſuos æquo in certamine caſus
Imputet: illa dies cauſis lucebit agendis
Ultima, quâ litem vincat ſe judice nemo,
Sed contrà ter mille dabit mens conſcia teſtes.
Apparet fortuna quidem temeraria cæco
Arbitrio verſare vices, rerumque, hominumque,
Et dubio tenebras inter collidere motu;
Haud tenuere tamen id factum, vel numine nullo:
Quamvis tecta homini ſua ſors & ſemita cuique eſt
Nota Deo, ſemper frænis concordibus ibunt
Libera conſilia, & divini gratia motûs.
Nec ſatis hæc, ſint magna licet; jam panditur ultrò
Tota Trias; procul hinc ſenſus & inertia corda:
Qui pater eſt, idem & mater: nam virgine partu
Mens proprio fœcunda ſatu, de ſemine natum
Ingenito generat: vox unica fertilis ore
Exilit, inque unâ virtus exhauſta loquentis
Voce hæret, licet & cupidus pater uſque loquendo,
Non geminat voces, verboque moratur in uno:
Interea fruitur gnato, vultuque beatus
Optato durat, neque enim præſente voluptas
Exſatianda venit viſu, ardeſcitque videndo:
Reſpondet votis ſoboles, & in oſcula pendet
Fixa patris, nexuque ambo junguntur eodem.
Dumque adeo genitor gnati, gnatuſque parentis
Paſcitur aſpectu, prodit complexus utrumque
Unus amor: numerum gemini natura recuſat
Principii, damnatque vices: eſt una voluntas,
Una Dei facies; amor unus, & una poteſtas,
Unica majeſtas, unum & ſociabile numen.

Divinarum Perſonarum aſpectus quo fuit illuſtratus. Authographus libell.

Unicum

Unicum amant omnes, & sufficit omnibus unum.
Mira hæc: ulterius pergunt miracula; natus
Fulmina qui vibrat, & gentes cum Patre subactas
Imperio regit, is solio sceptroque relictis
Incipit in leges & jura aliena venire.
Prodigiis mens ipsa stupet, licet ubere lactens
Pendeat, atque diu genitali increverit alvo,
Virginitas tamen una tumet, patriique potestas
Sanguinis exul abest, hominisque vicaria virtus;
De cœlo vis acta venit genitoris, & intus
Spiritus artifici fluidum per membra liquorem
Colligit afflatu, verboque potente subactam
Materiem in tramam fingit, formamque futuri
Corporis, & partem solers discriminat omnem,
Dum sua virgineo constant stata jura sigillo.
Nec se alio patrem gnato Deus esse fatetur,
Quam tibi concepto: quisquis discrimina tanti
Pignoris inducit, Christum secat, arctaque solvit
Vincula, & in geminos unum male dividit error.
Stat sua naturis species, operumque potestas.
Sed neque defecto vitâ vel mentis egenti
Supplet opes animæ Deus; aut æterna voluntas
Humanam absorbet, meliorque vicaria munus
Fungitur exclusæ; sed amico fœdera nexu
Dissimiles nectant, & voto humana sequaci
Fingitur ad nutus, vocemque jubentis adorat.

Christianæ fidei mysteria quasi in speculo vidit Ignatius. Gloria S. Ign. cap. 3.

Ergo ubi Lojolides vectus pernicibus alis,
Aligero stipante latus, fastigia cœli
Attigit, atque oculis læta agmina circumspexit;
Pulchrarum rerum artifices, latéque nitentes
Heroum cuneos, majestatemque serenam
Principis, & lectis completa sedilia turmis;
Miratus faciemque loci, dominæque potentis,
Numen adoratum prona cervice salutat:
Quem contra mox tollit humo patris aurea proles

Ore renidenti, & compellat talibus ultro:
Rem ſummam duce te aggredior, fac noſtra facessas
Imperia, tantum ne dedigneris honorem.
Orbis in excidium dextramque arcumque parabam
Fulguraque, & tonitrus, pontoque licentius ire
Jam dederam, quando ſuperincumbente procellâ
Cornua adoratum genitrix ruit ante tribunal,
Maternos nudata ſinus, quibus utitur armis:
Hoc habitu, pronas in pendula verbera palmas
Exarmat, ſpondetque vadem, qui pectore firmo
Exuvias avidi dites de faucibus orci
Eripiat, merito aſſertas vecturus Olympo:
Hic vir eras, Lojola; hæc tantum: & lumine multo
Venturum ante oculos ſpeculis in grandibus ævum
Digeritur: circumque notis ſignata leguntur,
Quæ fluxere prius, quæ poſt ventura ſequentur.

Sapientia divina ſe Ignatio committit & umbram Futuræ ſocietatis oſtendit.

Diva loci præſes digeſſerat ordine pulchro
Quotquot ad æthereos, per acerba pericula, cœtus
Tolleret alma dies, meritoque inferret Olympo;
Ante alios ſeries procérum, quos numine certo
Eximios toto Chriſtus ſelegerat orbe,
Fatorum ac vitæ comites, quorum inclyta virtus
Imperitat & terris, & gentes ſub juga mittat.
Exin purpureo velati corpus amictu,
Quotquot ſydereo firmati robore mentem,
Vel rapidos ignes, vel ahena undantia flammis
Invictâ virtute ferunt, vel ſtagna rigenti
Victa gelu ſubeunt, elementa per omnia fortes.
Tum qui virginei parvo diſcrimine cœtus
Lilia prætendunt, rutilo quibus æmula ſoli
Ora nitent, caſtique ferunt monumenta pudoris.
Ponè cohors omnis denſo agmine & ordine certo
Conſequitur, quàm multa polo, noctiſque per umbras

Lumina vesper agit, quàm multæ ad littora ponti
Fluctibus emotis tenues volvuntur arenæ.
Illuc Heroas rerum pulcherrima virtus
Evehit, & tuta positos statione receptat,
Invidiæ procul à jaculis, & flatibus hydræ,
Quam quondam Omnipotens alto submovit Olympo
Septem orbes septem vibrantem in prælia linguas;
Cætera serpit humi, & virtutem invadit hiatu,
Cognatasque deis animas & pectora tentat.
Talia Lojolides præsens spectacula lustrat,
Et sacrum miratur opus, longamque nepotum
Ordine perpetuo seriem, dum diva stupentem
Nomine compellat, verbisque affatur amicis:
Rex Erebi nostris audax castra æmula castris
Objicit, & largis animas sudoribus emptas
Raptat hians, veluti rursus si speret Olympum.
Iam ruit in pejus semper vitiosior ætas,
Utque timet nullum, sic nullum numen adorat;
Sed, velut aggeribus gurges se fundit apertis
Improbitas, nova semper homo superaddit inultis
Crimina criminibus, primumque impune patratum
Flagitium fit causa novi, supremaque tandem
Intrepidum his gradibus scelus ad fastigia fertur:
Est mihi ductor opus, forti qui robore, & ausis
Grandibus, exuvias tentet de faucibus orci
Eripere, & nostro assertas transmittere regno,
Qui spolia Æthiopum & gazas Orientis opimas
Cum sceptris Americæ, & gentibus & victis diis
Urbem hinc in magnam, & Capitolia ad ardua tollat:
Lectus es, his cœptis, Lojola, ingentibus unus,
Iam pugnas ordire novas, cœlique secundis
Auspiciis, Jesu sub nomine coge cohortes:
Et propera intrepidus, quò te arma tubæque vocabunt

Belligeræ, dux primus eris, modo fortiter aude,
Et leges conſcribe tuis, præceptaque belli:
Finis erit pugnare mihi, populoſque per omnes
Ferre pedem? triplex ſtimulus tua pectora pungant:
Cura mei, dein cura tui, poſtrema tuorum:
Ite leves, quocumque cadens, orienſque perenni
Sol candore micat, nubes atque aſtra ſecuti,
In gyrum longos circumflectentia curſus.
Nulla tibi ſurgat facies inopina malorum
Prætendatque moras, nam dura atque aſpera ferre
Militis eſt, nec prima rudis certamina tractas:
Nunc ductor, nunc miles eris, geminumque per orbem
Extremis nomen dabis inclareſcere regnis.
At ne forte unus cœptis ingentibus impar
Succumbas, ſteriliſve novâ ſine prole labores,
Ipſa tibi egregias animas & vivida bello
Pectora ſubmittam, juncto qui fœdere nexi
Fraternas ſocient acies, ſpoliiſque ſuperbi
Edomito raptos revehant Acheronte maniplos:
Hic vir eris, Lojola, mihi, tuque omnibus unus
Debitor: hæ tibi erunt artes, juvenilia corda
Innocuo bellum ſine cæde docere Lyceo.
Nempe labor decet iſte viros: neque ſolus honeſto
Igne flagra, quamquam & tractandis doctior armis
Quàm calamo, primis ſtudiorum redditus umbris
Scribe librum, non mole ſuâ, ſed pondere rerum
Penſandum, qui mox tenebris emergat, & omnis
Gens hominum verſet manibus, totoque recondat
Læta ſinu, & mores muto doctore refingat.
Tu ne cede malis ſuperi ſocia agmina jungent:
Aſpicis ut plaudente frequens venit æthere Laurus,
Quæ ſe ſe inclinans pulchro curvamine dignum
In diadema coit, ſertoque virente coronat?
Tempore ab hoc nuſquam certo rectore carebit

Scripſit librum mirabilem, antequàm ſtuduiſſet.

Ordo

Ordo tuus, simúl ac rapido fera turbine Parca
Abstulerit sublimi aliquem de puppe sedentem,
Protinus exurget, medio qui marmore classis
Sedulus acceptas teneat successor habenas:
Ac velut Arctoi longe trans littora ponti,
Ultima semotos qua porrigit insula tractus,
Esse plagam fama est, certis quæ mensibus anni
Nusquam sole caret, sed ab una parte cadentem
Dum videt, ex aliâ paulatim albere diei
Sublustres radios, & prima crepuscula cernit;
Sic aberit nusquam rector: vix occidit unus,
Cum subitò exorsus qui nubila comprimet alter,
Primaque sedato reparabit gaudia luctu.

Illic diva tenens manibus potabilis auri
Illicio plenas, & mentis acumine puro
Spumantes pateras, ultrò ingeniosa ministrat
Pocula, restinctura sitim potioribus undis,
Metiturque sacios pro captu pectoris haustus:
Unde calent artes & se sine fine perennant.
Porrige, diva, mihi, inclamat Lojola, tuorum
Molitori operum: nostrum nam conscia nostri
Pectus iners, mentemque rudem, sensusque supinos:
Da solidum cratera mihi pleno ore bibendum
Uberius; da, diva, sitim restinguere largo
Ingenii potu, & mentis prædivite vena.

Annuit oranti præses, totasque liquenti
Rore beat fauces: tum singula circumducit
Arva, designans artes, inventaque nondum
Edita, quæque jacent nostris jam mortua seclis,
Quæque reviviscent aliis, nam sæpe recursans
Phœbus præteriti testis, testisque futuri
Orbe pererrato nova non spectacula lustrat;
Nec labor exercet varius mortalia corda.
Spes tamen ipse tuas, referunt quæ sydera, disce;

Sol

Sol radio meliore nitens felicibus ortum
Ire dedit signis, fratri contraria Luna,
Quæ plenis primos lustravit cornibus ortus.
Una minus favit; sed contra audentior ito
Impatiens latebrarum; & pulchro assuesce labori:
Cum stellæ varient cursum, coiisse putares
Imperio nostro accitas, ut amica referrent
Consilia, placido afflarent tibi leniter Igni:
Talia mirantem sapientia diva reducit
Lojolidem terris, oculosque ad gallica vertit
Culmina, ubi turres populosa Lutetia tollit,
Quaque à Martyribus collis supereminet urbi,
Cernis Athenæum, dixit, quo littore ab omni
Certatim properat musis operata juventus?
Haud secus Hyblæi per ducia culmina montis
Densatæ glomerantur apes, & mellis avaræ
Indulgent violis, & in omni flore laborant:
Hic tibi erit sedes studiorum? ordire quod ætas
Et jam suspiciat præsens, & postera laudet.
Sint satis hæc; nam plura dies ventura docebit,
Ipsa tibi atque tuis partemque locumque reservo
Sedibus his: astabo tibi, dum vita manebit,
Præque feram propiore manu lucemque facemque:
Sic ait, & fixit, quâ sustinet omnia, voce
Consilium, quod nulla vertat: Stygis vis invida
Cautior hinc Lojola videt (nam nec duce tanta
Incomitatus iit) vitæ quæ summa regendæ,
Quo res fonte fluant, vel quo se fine resolvant,
Quid sit opus facto, quid postulet ordo, quid usus:
Una gubernatrix docet hæc sapientia mentes:
Hac sine, conceptus primæ sine munere lucis
Emoritur fœtus, magnus labor irritus exit;
Instar abortivi qui præcoce prodiit alvo;
Et prius adversis novies quàm Luna quadrigis

Sapientia fida comes Ignatii & pracipua. Hist. societ.

Luci-

Lucinam accierit completo tempore partus;
Tantum immunda lues, primique coagula fœtûs,
Et massa informis, taloque obscœna cruento
Iusta puerperii præit intervalla, reclusisque
Egeritur claustris, & olenti matris ab alvo,
E tenebris ruit in tenebras, de ventre parentis
Cognatam alterius properat genitricis in alvum,
Contiguosque subit vitaï in limine portus,
Intempestivo qui præcipitatus ab ortu est.
Hæc ubi visa; graves Diva aufert pectore somnos
Quos dederat, dubiâque refert sub luce renatam
Aurora surgente diem? tum visa retractat
Lojolides, quæ sæpe animo simulacra recursant:
Divino cratere tumet liquor aureus acris
Ingenii, insuetis scintillant vivida flammis
Lumina, perque oculos certant è mente profundâ
Perque manum, calamumque habiles erumpere formæ:
Sic Salomona Deus cœlesti munere, canos
Prævertens, circum afflavit: sapientia votis
Astitit, inseditque animo; puerique sinistrum
Stipatura latus, rexit mentemque, manumque,
Dextram aptans sceptro mentem sublimibus ausis.
Redditus ergo sibi Lojola, poloque relicto
Miratur superûm curas, studiumque juvandi:
Non secus ac procerûm longa comitante caterva
Conspicuus magna si majestate theatrum
Ingreditur Princeps, solioque superbus eburneo
Ostentet populis gazas, numerumque sequentum,
Tum plausu plebs læta fremit, studioque faventi
Scena stupet, fremitu longo vocalia circum
Atria responsant: velo sed forte reducto
Obvia si facies oculis subducta recedat,
Addubitat populus, votoque requirit inani
Et regem & pompam, & reliquæ spectacula scenæ.
Sic

Sic oculis Lojolâ hæret, rursusque videndi
Spe dubiâ nutat, dumque est jam scena peracta,
Gaudet amans animum vel inani pascere pompâ:
Vera tamen sine fraude comes, mentisque regendæ
Certa gubernatrix semper sapientia rexit:
Non fundit sua dona simul; per secula passim
Ingenii dispensat opes, mundumque subinde
Excolit inventis aliis, vel perdita rursus
Restituit, vel prima novis accessibus auget:
Quod servit jam deliciis, invenit egestas.

Ubi lustrat Templum Ignatius in vita.

Intereà Lojola pio dum corde litaret,
Gens inimica Stygis latiâ tellure potitum,
(Votorum hæc summa est) Româ prohibere laborat:
Distribuunt sparguntque vices; sic luridus ore
Semianimisque, procul septis civilibus, omen
Ut dirum, ejicitur, dum se contagia vulgant:
Cogitur excisis habitare in faucibus antri;
Hic ubi densa cohors Pastorum in gramine læto

Obvios quosque ad virtutem hortatur visa ejus missio perpetua.

Curat oves: mox ille piis hortatibus instat
More suo; vobisne lupus custodibus ausit
Obliquo pavidas pecudes perstringere visu?
At vestris alius gregibus lupus imminet, istâ
Haud genitus sylvâ, haud istis stabulatus in antris,
Nec pecori notus, nec formidatus ovili,
Nec rapidus cursu, nec acutis dentibus atrox,
Terribilisve oculis, vel odoris naribus ardens;
Tantum blanditiis, & amica voce timendus:
Huic neque deformes horrescunt tergore villi,
Nec stat turpe caput, nec grandibus ora minantur
Rictibus, aut crudæ sitientia guttura cædis
Terrificant rabidis latè clamoribus agnos;
Dira sed armatur præsenti lingua veneno,
Pestiferoque pecus vestrum malè fascinat ore.
Nescio, pastor ait, quæ sit fallacia verbis,

Quem-

Quemve lupum ambiguus sermo mihi talis adumbret,
At quicumque tamen fuerit lupus ille, vel ursus,
Sive leo, sive ex alio tygris advena mundo,
Si nostrum insidians circum concursat ovile,
Est mihi, quæ longè validam contorqueat hastam
Dextera, quæve leves fundæ moderetur habenas,
Vel proprius trans colla feræ venabula mittat:
Quod si destituant fortes memorata lacertos
Arma, latus possum furcâ penetrare bicorni:
Et socios olim non segni pectore ferrum
In prædatrices memini torquere catervas.
Mox alius: quin cæca feræ spelæa latentis
Quærimus, & curvos celeres indagine longâ
Cingimus anfractus? illam latrator ab antro
Compellet canis in nostros prorumpere casses:
Interea nos densa tegent ramalia, donec
Implicitam maculis, & retia rumpere morsu
Conantem frustrà, per vulnera mille necemus:
Retia ferte citi, & lato venabula ferro,
Hanc quæcumque fera est, huc descendisse pigebit,
Ante peterato quàm sol descendat Olympo:
Et jam præmitto Telapum, qui nare sagaci
Perlegat omne nemus, fidoque renuntiet ore,
In quos abdiderit se præda optata recessus.
Nil cane, nil maculis opus est, Lojola reponit:
Mox se sponte dabit vobis fera pervia, & hostes
Cominus aspiciet: sed nec compendia silvæ
Rara leget: novi ingenium, per trita viarum
Huc veniet, quantumque potest, de more propinquat;
Sponte ruet, petet amplexus, in colla volabit,
Oscula libabit, vestris pendebit ab ulnis.
Pastor ad hæc: cur blanditiæ? dabit oscula; certè
Huic baculo: petet amplexus? nisi brachia saxo
Comminuam prius: ex ulnis pendebit? ab hujus
Arboris

Arboris expoſitum trunco deforme cadaver,
Triſte feris ſpecimen reliquis: in colla volabit?
Ni prius audaces præſcindam forcipe pennas.
Verum age, quid prædæ ingenium tractabile fingis
Ac ſi nobiſcum patrios colat illa penates?
Cui ſic Lojolides; dæmon fera peſſima vobis
Hæc metuenda venit, mentique inimica voluptas,
Quæ veſtris ultro blandita quieſcit in ulnis.
Quis ſtupor ora ligat? magnis an degener auſis
Se timor objecit, nunc & promiſſa retractas?
Nonnè hoſtem prius externâ ſub pelle latentem
Mactaſti, & pulchræ voviſti brachia morti?
Tum paſtor lachrimas oculis, & pectore queſtus
Emittens, noxam agnoſcit, ſeque increpat ultrò.
O Stygis inſidias! ſic credula pectora fallit
Infernus cum fraude latro, nunc luce repertâ
Damno nefas priùs ignotum: vos conſcia tanti
Saxa mali, jam nuſquam oculis placitura relinquo,
Ne mihi vel ſcopulis affixa loquacibus Echo
Increpitet ſcelus, aut rami pulſantibus Euris
Adjuri miſerum feriant; aut decolor herba
Non ſemel aſpecti ſceleris veſtigia ſervans,
Importuna meos offendat imagine vultus;
Neve loquax avis annoſæ dudum incola ſylvæ
Ingeminet carmen: vel, quod reor, omnis avito
Excedens luco volucris nova tecta requirat
Exul ſponte ſuâ, & ſolis bubonibus ædes
Deſerat umbroſas, ubi rauco gutture ſtridens
Nocturnis ſtrygibus feralis noctua noſtrum
Commemoret ſcelus, & lamiis mea facta loquatur;
Lojolides gremio excipiens jucunda viciſſim
Verba refert, ultroque Dei commendat amorem:
Ipſius ſe ſemper oves, hunc paſcua mundum
Eſſe putant, placides pecudas imitentur & æſtûs
Expertes, neve incauti mala pabula carpant:

Ad prima verba mutabant mentem. in vita Ign.

Hos

Hoc numquam custode lupos, furemque malignum
Formident, modò non ductu rectoris aberrent:
Sic fore, cum dextris cœli præsæpibus olim
Claudantur, lævà transversa tuentibus hædis:
Sors diversa manet, nam quidquid ubique malorum
est,
Hoc unus totum orcus habet: crudelibus instant
Exercentque reos flammis, & verbere torquent
Ultrices Furiæ; circumsonat horrida fletu
Regia, nec tanto requies datur ulla dolori:
Luctus ibi, planctusque, catenatæque laborum
Stant series: tamen huc & primus & ultimus ordo
Confluit, & mixtæ nullo discrimine gentes:
Lata via est, angusta tamen, si densa cadentum
Agmina censentur: non sic ruit agmen aquarum
Præcipitans, non sic bacchatur in æthere grando:
Qui semel, æternum periit, descensus ad orcum
Est facilis, nam porta patet venientibus ultro,
Clausa regressuris duroque in vecte laborat,
Nec frangi metuens æterno adamante rigescit:
Ex clauso neque enim tellus ad aperta recessu
Excitos revomit supera ad convexa silentes.
Pars quota pastorum sublimia novit in astra
Humanas animas, soloque authore creatas
Numine, deposito tardanti corpore, sursum
Tendere inextinctas, quas mox compage solutas
Excipiunt loca pura, & formosissimus æther?
Vestrarum at pecudum evanescere in ima caducas
Extenuatæ animæ partes, quæ mentis egentes
Agnatæque solo, nil massam præter, humoque
Concretam molem, quæ passim occumbat, & annis
Carpitur, asportant tumulo, mortique reservant?
O curvæ in terris animæ, & sublimium inanes,
Queis hominum vix forma potest defendere nomen
Ingeniique notas; stat in hoc discrimen & omnes

Humanæ rationis apex: ſit cura proinde
Prima Deum colere, & nunquam non corde precari:
Illi autem: diſcede memor, nec deſere curam:
Abſenteſque abſens, te quando carere neceſſe eſt,
Auſpiciis tutare tuis, & nomine firma:
Nos fidi, quæcumque manet fortuna, manemus.
Orta dies cum luce viam monſtrabat eunti
Urbis ad æternæ muros, qua limite flexo
Appia magnarum teritur regina viarum;
Sed peſtis, quæ ſerpit, obeſt: nam plurima morbi
Argumenta dabat toto ſpectabilis ore
Extenuati hominis macies, & lurida vultûs
Illuvies, vivique animata cadaveris umbra:
Adde quod indictæ ſpatium ad declive diei
Chriſtiadæ menſæ expertes durare jubentur,
Perque quaterde nos ſervant jejunia ſolos.
Quod ſi forte gradus per & æqua & iniqua locorum
Figentem cita nox ſubitis deprenderet umbris
Pagorum aut villæ tectis procul, ætheris axe
Sub gelido, ſolave cubans ſub rupe jacebat;
At ſomnos ſi forte oculis impaſta negarent
Viſcera, magnorumque ſonis ululata luporum
Arcerent loca, perſtabat memor hoſpitis olim
Numinis, humanam ob labem graviora ferentis:
Volvebat, Deus ut carnis velatus amictu
Poſthabita ambroſia, & cœleſti nectare divum
Teſqua per & ſylvas, & inhoſpita luſtra ferarum
Abdiderat ſe ſe: & totas impaſtus agebat
Noctes atque dies numero, quem deinde colendum
Edixere Patres, & ſervavere Nepotes:
O quoties fractum ærumnis venere frequentes
Non tamen ſine ſolatio cœleſti. Solatium Æligeri, ſive hæc in munera cœlo
Delapſi, ſeu cuſtodes hominumque locorumque,
Ardua qui ſuperas prompti ſuſpiria ad arces
Suáve opus attollunt, & mox reſponſa reportant!
Quam

Qualia sopitus supposto murice saxi
Ad caput Isacides vidit, cum nocte silenti
Non fictæ Junonis iter, non lactea cœli
Semita, at ingentes gemini commercia mundi
Apparent scalarum aditus, altéque coruscis
Tectum iter ordinibus sursumque infraque volantum
Frontibus adversis, atque alternante catervâ:
Usque suis adeò famulis indulget Olympus.
O quoties ubi cernendi data copia cœli est,
Hæc secum; quidquid mortale creamur, Olympo
Vivimus, & flammæ in morem sublimè volantis,
Qui fas est, patriam, primosque requirimus ortus:
Da natam cœlo propria ad penetralia mentem
Sublimem ferri, & Superis se tendere suprà,
Exilio eductum longinquo & inertibus umbris.
Cœpi ego terram scitari & quærere multa
Te super; illa nihil: tantum de gurgite ponti
Abscissam ostentat molem, pecudesque, hominesque,
Tot vultus usque absimiles, tot regna, tot urbes
Sparsaque diverso populorum examina tractu,
Fontesque & fluvios, montis juga, & infima vallis;
Sunt divæ hæc monumenta manûs, vel numinis umbræ;
Se prodit facies nusquam, aut indulget amanti:
Sæpe ego marmoreos tractus emensus, obivi
Mente oculisque; mihi mox redditus, æquora, dixi,
Quid fuerint, si te visis componere rebus
Fas fuerit, nisi gutta levis, quæ mane recenti
Dum nitet, an primi rediviva crepuscula solis
Defluit: illa quidem tepefacto in gramine nascens
Par nitido argento gemmæque simillima splendet,
Mox Phœbi radiis, flatuque absumitur Euri.
Vos quoque, formosi sinuosa volumina mundi,
Vos, immensi, orbes, stellis ardentibus apti,

Afficitur in Deum aspectu rerum creatarum.

In vita.

Quamquam indefessis revolutos cursibus annos
Et menses, variumque sua in discrimina tempus
Exigitis, tamen est aliud, quod mente requiro;
Auctoremque placet rerum sublustribus umbris
Obductum, certo fidei rimarier ausu:
Ut lychni, tenuisque faces, & fumida ligna
Sydereis cedunt radiis, & sydera soli;
Sic vos exuperat, solem qui vestiit auro;
Ingentique leves scintillæ absistitis Igni:
Qualis ubi obliquis fessas erroribus undas
Aut Rhodanus pater, aut septena per ostia Nilus
Pertulit in pelagus, jam cursum emensus, in alto
Desinit, & pleno veniens se gurgite miscet;
Tum sistit sese unda, marique potitur aperto
Non brevibus spatiis, nec ut antè, coercita ripis;
Haud secùs angustis mens dedignata teneri
Limitibus, jam se se major, jam lata reperto,
Numine, se penitùs penitusque effundit, & illo
Exultans fruitur, seque expletura quiescit.
O Deus, ô votis spes prima atque ultima nostris,
Pectoris immensum satias qui solus amorem,
Da famulo licet in digno, & nil tale merenti
Te lucis vitæque æternum accedere fontem.
Talibus incensus, magnum exercebat amorem
Lojola, indulgens animis operumque quieti.
Nos procul, & tantæ nondum patientia lucis
Ora attollentes cœlo, rimamque secuti
Luminis, audemus tardos tentare volatus
Conati tenues ingentia; tu mihi præsens
Lojolides, mentem, qua terras teque relinquens
Sydereas toties sedes mortalis adibas,
Suffice, dum patriâ procul & natalibus oris
Degimus extorres cœlo, suspiriaque inter
Flebilis exilii, patriæque vocantis amorem.



LIBER DECIMUS HIEROSOLYMITANÆ. PEREGRINATIONIS.



ARGUMENTUM.

LIBRI DECIMI.



Primo aspectu venerabundè salutat Romam, quam ingreditur ineunte majore hebdomadâ Ignatius. Ibi stationes pias obit, à divo Petro in somnis recreatus, ac edoctus seriem Pontificum, quos habitura esset faventes societas. Postridie in ejus basilica eumdem colit, ibique lachrymarũ donum obtinet. Sanctum pascha diem in æde sanctæ Mariæ Majoris, ubi statio est, religiose peragit, quà recolendo diei mysterio, quà contemplanda Virginis effigie, & epuli Eucharistici deliciis gustandis; ad hæc accedit conspectus præsepis Christi, sensusque pietatis ex eo tantus, ut ea vultu prodita, homines in ipsius admira-

tionem ac notitiam adduxerit. Agnitum gentiles ejus Romæ detinere tentant, adhibito etiam, qui dehortetur, eorum disertissimo; sed plus valet apud peregrinum initum consilium; quàm amici sane vehemens oratio: discedit ergo Româ, & ab deducentibus amicis divellitur. Paulùm ægrè progressus duas è cœlo Divas patientiam & paupertatem *obvias habet; illa præsidiis suis Viatorem munit; durius hæc eum excipit viatico instructum, cujus ex sermone, urgente menti aculeo compunctus in egenos obvios quidquid nummulorum gestabat, elargitur; vacuus, Davidico carmine, simulque Dei Providentiæ memoriâ se recreat.*



Liber



Liber Decimus.

IGNATIADOS.



ROMA patet tandem, & ſeptenis montibus arces
Impoſitæ; ante alias Capitoli æterna crepido.
Roma, facis, (licet haud parvo jactura dolori eſt)
Amiſſam ut Solymam, deſideriumque Sionis,
Et veteres clades cauſis ſolemur honeſtis.
Te propter Solyme, quæ nunc monumenta ſalutis
Pauca tenet, dudum infeſtis onerata catenis
In votis minus eſt; ſanctumque ante omnia culmen
Culmen adorandum, & cæſi loca conſcia Chriſti
Tot ſanctæ veneror media inter mœnia Romæ.
Illa locum ſubiit Solymæ, ſacrumque trophæum
Monſtrat adhuc, quo vitæ Auctor ſuccumbere turpi
Suſtinuit letho, fatoque Ereboque ſubactis.
Tela petis, queis mors cecidit? Deus omnia dudum
Tranſtulit hæc Romam, ſpinas, clavoſque, crucemq;
Et ſcalam, & præſepe: cupis luſtrare ſepulchrum?
Eſt Chriſto cœlum urna, ſuos ubi condidit artus;
Cuique patet, viſumque potes ſatiare fruendo:
Denique ſi vivo ſaturari corpore Chriſti
Appetis, apponunt epulandum largiùs aræ
Depromptum potiore penu, quam Roma miniſtrat.
Jamque propinquabat ſociis Lojola relictis,

Cum ſtetit ante oculos humanâ major imago
Heroïs, trabeâ in morem redeunte Gabinum
Præcincti: ornabat priſcum veneranda ſenectus
Indigitem, geminæque, manûs geſtamina, claves;
Petrus erat; tua, diva fides, tua maxima, Roma!
Gloria, qui fidei quondam Romæque futurum
Grande decus, tali venientem voce ciebat:
Quem quondam patrio celebraſti carmine miles
Arma inter lituoſque, & bellica claſſica Martis,
Idem adſum, nec cura tui mihi pulſa receſſit,
Ex quo depoſiti præſens ſolator alumni
Subtraxi letho moribundum, & fata moratus
Vulneribus properata, olim te voce repertâ
Venturum auxilio vidi mortalibus ægris,
Majoreſque ſonos toto procul orbe daturum.
Principio quamvis teneas longinqua cupitæ
Aura Paleſtinæ, vitæque ibi figere ſedem
Mente agites, alius rerum tibi vertitur ordo.
Hic tibi mortis erunt metæ, feſſumque quieto
Accipiet te Roma ſinu, condetque ſepulchro.
Dux tamen ante piæ, tollens vexilla præibis
Militiæ, quam caſtra Erebi præſaga pavebunt.
Hic votis faciles, cœptiſque recentibus ultro
Incrementa dabunt, quos experiere benignos,
Pontifices: aderit qui tertius ordine Paulus,
Is mores, legeſque tuas & jura probabit;
Julius accedet, qui nomine tertius; ævi
Marcellus brevis addetur, pronoque favebunt
Ordine Pontificum ſeries, exinde futuri.
Teque tuoſque vove noſtræ, ſediſque latinæ
Obſequiis, hæc Petra dabit durare ferendo,
Seu quod livor edax, ſeu quod tibi mobile ſemper
Ingenium vulgi, vel Tartarus ipſe ciebit:
Hinc vigor accreſcat membris, & vertice ab illo
Pondus iners, & bruta alias ſine fomite maſſa

Intùs aget se se, & vitali robore tollet.
Non secus exigui quàm granum exile sinapis,
Quod pingui solers olitor defodit in horto,
Luxuriat circum, tentâque propagine crescit,
Mox ut aves patulâ nidos super arbore ponant.
Postera florentes cunctos mirabitur ætas
Principiis adeò exiguis, nec tempore longo
Succrevisse satam, sua per dispendia, stirpem,
Nec potuisse odiis, Stygiæve tyrannide turbæ
Accidit; sed lucra suis fecisse ruinis;
Qualiter Isacidum steterunt sexcenta sub armis
Millia lecta virûm, denis quater edita lustris.
Per quæ autem huc tandem venias discrimina rerum,
Quasque per ambages, nostrâ te voce moneri
Nil opus; aude animis r[illegible]tum, nam cætera Christus
Expediet, cursusque dabit post dura secundos.
Nec plura his: cui Lojolides sic voce reponit
Multa gemens: vitam quòd ago, nec mortuus orcum
Sæpe mihi meritum subii, grassante per artus,
Perque animum graviore malo; quòd numinis haustu
Interiore fruor, quod & urbis facta potestas,
Petre, tuum est. & Roma tuâ mihi clave patescit;
Damnatus votorum adsum: quæque ipse rogasti
R[illegible]duo lachrimarum imbres, & cordis amorem,
Æ[illegible] exposco; ó si nunc oriatur aquæ fons
Ossi[illegible] ille tuis, pi[illegible] qui per lumina largo
P[illegible]ans lapsu, fosso devexa canali
Ora i[illegible]quens, madidasque genas multo imbre cavavit!
Magna quidem spondes meritum ultrà spemque superbam;
Ast ego promissis non me, non sorte futurâ
Metior: ante oculos actæ deformia vitæ
Tempora, quosque Deo mendax & inutilis annos

Traduxi fidens animo, calidusque juventâ,
Sollicitant fletus; maculas delere profanæ
Militiæ decet, & primos dediscere ritus:
Te per ego fletusque tuos, & nomen amicum
Communis Domini obtestor, miserere clientis,
Quem commissa premunt; fuit & tibi causa doloris
Læsus amor superûm, hinc miseris succurrere nosti,
Quos idem exercent stimuli, curæque remordent:

Et donum lachrimarum obtinet.

Vim geminam fecere preces, ut ferveret ignis
Corde magis, lachrymæque oculis haud parcius irent:
Fœlices lachrymæ, quas non vitiavit amaror,
Non fortuna reflans, non gratia lapsa potentum,
Non auri sitis elusa, aut fraudata voluptas
Elicuit; veluti ruptis à nubibus imbrem
Expressisse solent vento torquente procellæ:
Ast veluti lenis refluens è montibus humor
Liquitur in valles, qualemve Favonius alis
Excutit, aut aurora sinu rorante refundit
Relliquias mensæ divûm, nectarque beatum.
Quid tum autem, jugi si rivo excisa dolebunt
Lumina? sed jactura levis meliora videnti

Cohibet ad nutum lacrymas.

Supra anni solisque vias; nec parva sequetur
Gloria, quòd binos oculorum exhauserit orbes
Vis animi erumpens, & nobilis impetus undæ:
Forsitan & superi annuerint inhibere ruentes
Arbitrio fletus, & habenas audiet humor.
Lectus es his cœptis, Lojola, potissimus unus,
Qui dites avidi prædas è faucibus orci
Eripias, patrio assertas vecturus Olympo.
Tempus erit, cum per varias victricia gentes
Signa feras: nam quò terras scrutata latentes
Vis humana, maris spatium pervenit eundo,
Se labor extendet sociorum, & turma triumphis
Inclyta, ditabitque opibus sublimis Olympi

Tractus,

Tractus, & populos alio sub sole jacentes.
Tuque adeo & comites & ab inde futura nepotum
Ordine progenies domitum sub legibus orbem
Cum sceptris Asiæ, cum gentibus & victis diis,
Huc Urbem in magnam, & Capitolia ad alta feretis,
Nulla tibi fugiat facies inopina malorum,
Objiciatque moras cœptis, nec defice rebus,
Qua magis inclinant, hac tu præsentior insta:
Ire juvat quacumque plaga est, & frangere dextrâ
Obstantes scopulos, per quidquid ubiq; locorum est.
Ferre sitim, esuriemque pati, Phœbique calores
Militis est, nec ad ista novus certamina prodis.
Verte omnes te te in vultus, mille indue formas;
Milite cum miles, cum nautis nauta, sed orbis
Non lustrator iners, aurati aut velleris emptor,
Cœlite sed gazâ qui gaudeat institor unâ.
Ille autem; Styx atra patet, faucesque recludit;
At tua dextra, Deus, vitii cohibere furorem
Una potest, scelerique ruenti opponere vallum:
Ergo agedum, genitor, quo dirigit ira sagittas?
An vindex folium, & stipulam, & ludibria venti
Persequeris? num sparsus erit tibi gloria pulvis?
An summa est, telis pharetram vacuare, potestas,
Mortales contra, & fragiles elidere testas?
Consule te, genitor, natique expende cruorem,
Justum animæ pretium, atque innoxia fulmina pone
Tali subsidio vitium, rixæque calentes
Diffugient, rigidumque vibrans discordia ferrum,
Ipsa triumphales tranquilla per oppida currus
Ducet ovans pax alma. suos Astræa penates
Virtutum vallare choro, sua templa reviset
Sancta fides, pietasque redux nova tecta refinget.
Cornibus auratis Aries diviserat Axem
Vere novo, & medius Titan æqualibus horis
Partibat somnique moras, operumque labores,

Et

Et Romam propius dabat aſpectare videnti,
Romam, quam vigili noctesque dieſque tuentur
Cuſtodes, peſte infectus ne ſe ingerat hoſpes:
Ecce autem ſummo Lojolæ è vertice flamma
Viſa comas circum atque innoxia tempora paſci:
Dumque propinquantem, ſolemque in fronte gerentem
Inſpexêre, quibus, cecidit cuſtodia ſorte,
Aufugiunt turbati animis, portaque relictâ,
Fulguribus velut afflati, ſine voce ruentes
In latebras procul abſcedunt: ceu forte ſereno
Cum cœlo intonuit lævum, & ſine nubibus ignes
Aërios circum tractus diſcurrere viſi,
Inſcia turba ſtupet, ſeſeque in rupibus abdit;
Haud aliter vigil expavit cuſtodia portæ
Lojolam inſolitâ radios de fronte vibrantem.
Salve, aït, urbs ter ſancta mihi, caput unde verendum
Effert Relligio, quam non vis ulla malorum,
Poſtibus effractis Erebi prorupta revellat:
Tuque, ſalus urbis Michaël, vos ſancta, beati,
Millia, quotquot in his liquiſtis condita ſeptis
Corpora, parte hominis ſurſum meliora receptâ,
Eſte boni, & ſocium veſtris adſcribite faſtis.
Dixit, & exuto plantarum tegmine, ſanctam,
Dum calcat, veneratur humum, & ſe ſe intulit urbi.
Feſta triumphalem revehebant tempora pompam;
Non qua Romulidæ veteres per mœnia ſueti
Flectere laurigeros, alta in Capitolia, currus
Exuvias inter populorum, elataque longo
Ordine devictas referentia fercula gentes;
Obruit hos faſtus redivivi gloria Chriſti,
Ex quo humilem venerata deum, melioribus annos
Digeſſit faſtis, alioque à Conſule duxit.

Iamque dies de more redit, quo morte propinquâ
Occurrit Christo, palmato examine vulgus,
Fronde novâ, & stratis per compita vestibus, ardens
Testari studium, & Regem clamore ferentes.
Hic ubi Mons sacro se vertice Cælius effert,
Prima vocat foribus statio Laterana reclusis,
Hoc fundata jugo; quam præstat uterque Joannes.
Seu qui Zacharides, seu qui Bethsaide cretus,
Dignus uterque Deo vates. Hoc vertice quondam,
Constantine, migrans, cessisti antiqua Tonanti
Hospitia, & culpas genitali fonte piasti,
Dux aliis tantorum operum, qui deinde sequuti.
Egresso ex adytis, scalæ monstrantur operta,
Marmoreæque fores; Solymæ prætoria fama est
Hos habuisse gradus, quos Christus ad ora Pilati
Raptatus, toties stillanti sanguine tinxit;
Saxa rubent, servantque notas: conscendere gaudet
Nixus utroque genu; dumque hæc vestigia lustrat
Pressa Deo, lachrymas reptans per singula mittit:
Quin & adhuc libans Solymææ gaudia terræ
Lojolides, Nabathæa, legit; calefacta sub ipso
Marmora crediderim tactu accendisse sequentes.
Condidit his solem studiis exercita virtus.
Nocte peregrinum fovit domus adsita templo:
Hic cætus inopum, deserta exclusaque tectis
Turba jacet, fert membra illuc defessa viator;
Venturo alterius lucis reparanda labori,
Corpora multa inter miserorum, ægreque trahentum
Artubus effœtis animas, aut vulnere tardas:
Extruxere locum, factis gens clara, Columnæ,
Purpurei ornavêre patres, & sanguine ab alto

Obit stationem ad D. Ioannis Lateranensis ædem.

Sanctam scalam veneratur.

Patri-

Patricii, dum Christe, tuum pretiosius omni
Fœnore fœnus amant, & egena in veste latentem
Téque inopesque, sui memores fecere merendo.
Hic sibi Lojolides votis non segnibus ambit,
Aptari geminas alas, quas inclyta virtus,
Et virtutis amica Comes doctrina parabunt:
His ducibus lethíque supra, invidiæque furores
In cœlum victor non incomitatus abibit;
Sed spoliis cooperta novis, atque ordine longo,
Densa cohors, latere ex omni stipabit euntem,
Immixti populisque duces, senibusque puelli,
Postera cum primùm Titanis ab æquore currum
Extulit orta dies, atque in stadia alta reduxit,
Prima peregrino, post vota soluta tonanti,
Postridie visitat Templum Divi Petri. Cura fuit renovare pios cum luce labores:
Spesque animo repetens, majoris in ardua templi
Atria contendit, memor, ut dignatus ab alto est
Crura Petrus luxata suo connectere textu.
Sed quid ego hîc templum? Nam nec cava viscera montis
In Vaticano. Fœti auro, gemmisque tuis se laudibus æquent.
Vaticane, sinu qui sydera celsa colentûm
Ditibus exuviis gaudes: quæ lumina cœlo
Chrysostomus ser. 32. in Epistola ad Romanos. Transmittes, cum signa tubæ clangore supremo
Excierint mortale genus, reddendáque vitæ
Corpora? nullius tantum se gloria terræ
Efferet; ipse tuos sero mirabere cives.
Splendida Vestibuli facies, grandesque columnæ,
Quæque tenent oculos avidi spectacula vulgi,
Nil fecere moræ, nec fervida vota retardant.
Emensis adyti spatiis, sacraria pandunt
Surgentem gradibus, saxisque ingentibus aram
Marmoream, augustam: subiit sacer artubus horror:
Namque videbatur noctis conspecta per umbram,
D. Petri. Indigetis facies, quæ brachia bina benignis

Tenderet occurſans oculis ; demittere contra
Mortalis ſe ſe, & terram premere ore caduco,
Erectos donec vultus miſerata ſerenet.
His acta eſt lacrymis quæ lamentabile mundo
Hebdomas inſtaurat funus, Chriſtoque parentat ;
Præcipuè cum picta Dei ſpectare dabatur
Ora colorato in velo, velut ille gerebat
Roboreo nitens ſub pondere, dum juga feſſus
Et durum ſuperaret iter per confraga montis.
Quale ſolet Titan mœſtis oſtendere terris,
Dictinnâ ſubeunte, jubar ferrugine tinctum :
Aut atro nebulæ cum circumfuſus amictu
Exhibet immundo mixtum livore ruborem ;
Haud aliter ſparſi rorabant ſanguine crines,
Sanguine fœgati vultus, & vulnere crebro
Turpatum caput, & mixtis cum ſanpuine ſputis
Triſte ſupercilium, concretaque barba rigebat.
Heu pietatis honos ! quæ te manus impia pinxit
Non iſtam genitrix dederat pulcherrima formam ;
At Pater auricomum infantem, pulchrumq; videri
Ediderat, nato meritum teſtatus amorem.
Indoluit, pius aſpectu ſtupuitque cruentas
Carnificum Lojola manus; & tetra colorum,
Monſtra, reorum hominum nigris diluta venenis :
Quodque opere in diro partem malus auctor haberet,
Palluit objecta noxarum exterritus umbrâ.
Erubuitque ſimul, damnans delicta colore,
Quæ prius eluerat lacrymis & vindice dextra :
Qualis venator, cui pulchra per ora vagatur
Ira ruborque, manu quando venabula criſpat
Pendulus, & totus meditatum incumbit in ictum.
Et mox ſuſpirans; mihi juſti hæc cauſa doloris,
Hoc feci, maculiſque meis Deus oblitus hic eſt.
Deſierant luctus, & læta ſonoribus æra

Imago Veronicæ.

Paſcha dies.

Rum-

Rumpebant triduæ ſervata ſilentia lucis
Juſtitio defuncta ſuo: nitor omnibus aris
Redditus ad ſacrum Miſtas Pæana vocabat:
Ibat ad exquilias populus tibi, magna, ſalutem,
Virgo! ferens, têque ob natum gaudere jubebat
Gratatus reducem, & vita meliore beatum.

Statio ad ſanctam Mariam Majorem in exquiliis.

Fama refert ſignaſſe novi veſtigia Templi
Aligeros: cœlo nubes invecta ſereno
Errantem latè lucem per inane ferebat,
Donec ubi primæ ſteterunt fundamina Romæ,
Conſtitit, Æſculeoque inſedit pendula colli,
Æthereis prægnans donis, & munere divûm,
Jamque gravis molis nimiæ, propriòque fatiſcens
Pondere, ſe rerum magnâ in miracula ſolvit:
Continuò Æſculeus niveâ lanugine vertex
Sternitur, Hybernis veluti cum menſibus annus
Frigidus incumbit, videas caneſcere cœlum,
Albaque ſubjectis illabi vellera terris,
Obſtupuit natura parens, hyemſque putavit
Temporibus ceſſiſſe ſuis; mirabile dictu,
Igneus incaſſum Sol flammea ſpicula vibrat;
Sed radios impunè ferunt, ſolidæque coruſco
Durant igne nives, flammiſque potentibus obſtant,
Sic, Virgo, niveo Templi veſtigia ſignas
Limite, virgineoſque probas de more colores,

Hiſtoria Templi.

Huc, divam quo rite colat, ſe ſe advena confert
Lojolides, lacrymáſque nequit cohibere cadentes.
Quid quando effigiés Divæ celeberrima venit
Ante oculos? patrio ſi lapſa modeſtia cœlo,
Aut ſi virginitas noſtrâ ſub imagine terram
Viſeret, haud alios habitus atque ora referret;
Si divam divina fides admitteret, illa
Hanc potuit meruiſſe fidem, nec dignior ulla
Nomen adorandi venerabile numinis implet:
Si qua Dea eſt inter mortales, ô Dea certè!

Deſcriptio imaginis.

Uſque

Usque adeo humanam transcendit gratia formam.
Stat casto matrona sinu complexa puellum
Sydereis flagrantem oculis, & crine decoro:
Solis habet, pro veste, jubar; convexa sub imos
Inflectit se Luna pedes, & cornua curvat,
Exultans furto, & pretioso pondere gaudens:
Natum ambit matetna manus, suppostáque portat,
Ipsam Palla tegit, præcincto à vertice ad imos
Fusa pedes; rutilo vestis non texitur auro,
Matris at unus honos, & tota superba, natus,
Totus amor natus; numen tibi, maxime Luca!
Hac dedit arte suos, & matris pingere vultus.
Dum sacra res magnis solemnibus acta, canentum
Extrahitur modulis, & consona carmina miscent
Organa disparibus calamis, festóque resultant
Atria concentu; nil quidquam abductus ab aure
Hæret in obtutu peregrinus,, & ebibit illa
Delicias formâ, laribus quas ante paternis,
Ebrius exhausit, vitæ melioris in ortu:
Fluxarum illecebræ rerum, curæque cadebant
Ex animo, veluti tabescunt sole pruinæ.
Tempore jam ex illo numquam insincera voluptas
Sensibus implicuit se se, aut illusit amanti.
Hæc adeo, mentem quæ prima aluere, regustat
Gaudia, dum se se stomachi penetralibus infert
Panis adorandi niveo sub tegmine Christus;
Verbáque quærenti patrium testantia cultum
Deficiunt; tandem ut sacrum eluctata pavorem
Vocis iter vicit pietas, ac desuper hospes
Ipse Deus timidum tacitè stimulavit amorem,
Continuò inclamat: salve, ô certissima mentis
Spesque, salusque, poli quantus qualisque superbo
Exciperis solio, tantus talisque teneris
Pectore in hoc, nisi quod lateas, fugiasque videri.
Voti summa mei, mentemque, manumque meam me,

Ea videnda Ignatius afficitur ut olim cum ei domi apparuit.

Quæ delusa diu frustra sudavit honori
Devovisse meo, tu mentem hanc numine firma.
Euchari-stiam per-cipit. Non mihi si docto restagnent nectare fontes
Castalii, Cyrrhæve fluant in mella liquores,
Enumerem gustus animi, mensæque sapores:
Tot licet augustos spectaris, prisca, triumphos,
Roma, ducum; tot per cuneos effusa theatri
Missilia, & nimbos epularum, imbresque beatos,
Lautius anne epulum, & meliores nectaris haustus
Spectasti, quam quo ipse Deus conviva cibusque
Nos gaudere jubet, mensisque accumbere divûm?
Omnibus ille quidem tanto se munere præsens
Apponit Deus; at paucis exsortia præbet
Pabula, quos non ulla tenet malesana cupido.
Nec minus objectâ pertentat imagine sensus
Alma parens: sic æthereos bibit undique fontes
Nectaris hinc, illinc lactis sic vulnera pascunt
Uberaque, atque avidæ geminant solatia mentis.
Nuntia gens superûm, & Reginæ mille manipli,
Orantum juges lachrymas, roresque beatos
Si legitis, si thure precum cælestia læti
Templa vaporatis, quot vobis pocula, quantas
Igne calens, atque imbre madens implevit acerras?
Obtulit hoc templum, quod vel Judæa negavit
Hospitibus, præsepe sacrum, & cunabula Christi,
Præsepe. Ergoné quem vasto neque pontus uterque profundo,
Nec quæcumque jacent amplæ spatia omnia terræ,
Nec rutili capiunt immensa volumina cœli,
Quantus erat, quantusque Deus, præsepe recepit
Immensum Patris æterni de Virgine natum?
Sydera qui torquet, totumque exterritat orbem,
Vagiit hoc infans loculo; videre jacentem
Pastores, Regesque externo à sole profecti:
Infabricata licet, stabulique immunda suppellex,
Digna coli, plusquam stipulæ congesta maniplis,

Quæ caſa paſtorem texit cum fratre Quirinum,
Romulidis multos olim veneranda per annos.
Rite ſalutata majoris imagine Divæ
Lojolides greſſum huc vertit, pervertit euntem
Divus amor, ſe ſeque oculis ſpectabilis offert.
Ille ratus Chriſti infantis coràm ora tueri,
Procumbenſque ſolo, quod quondam corpore pronos
Audierat feciſſe Magos, non diſpare cultu
Numen adoravit, quo ſic afflante canebat:
Nunc ſcio quid ſit amor, puer eſt miſereſcere natus: *Vota ad præſepe.*
Fortunata parens, quæ molles induit artus
Corporis expertem, & quæ te, puer, optima matrum
Nectare diſtentis, ſolito pro lacte, papillis
Provida nutrivit: durum ne dicite amorem,
Quem genuit Deus, & teneræ quem Virginis alvus
Excepit, fuditque ſinu: ſed tundite planctu
Pectora, quæ lachrimis puer emollire laborat.
Cernimus heu tecto nobis ſub paupere numen,
Deſpectum naſci, miſerabile, & omnium egenum;
Et noſtri tamen immemores, ortuſque probroſi,
Efferimus caput, & nubes pulſare ſuperbo
Vertice, & æquales incedere tendimus aſtris?
Abdunt ſe vulpes foveis, cunabula paſſer
Rimoſa in turri, vel teſtæ penſilis alvo
Invenit; & ſpelea feris natura reduxit,
Clara Dei ſoboles thalamis excluſa jacebit,
Ni cedant jumenta loco; feſſæque parenti,
Ut pariat, ſtabuli vix pars poſtrema pateſcet.
Sed quid ego hæc? unum miracula mille coercet
Prodigium, quod Virgo parens, quod filia patrem,
Guttula quod fontem pariat, quod ſtellula ſolem.
Filia Tartarei quianam, Nox, diceris Orci,
Monſtrorumque parens? cur ſicubi peſtis in orbem

Irruit, obſcænæ ſoboles ea credita noctis?
Cur & Tartaream fertur peperiſſe Megæram
Dirarumque informe genus? Nox una ſalutem
Attulit: & magni genitoris imago videndam
Se ſe nocte dedit: ſed tum ſiluiſſe procellas
Crediderim, lactiſque polo fluxiſſe liquores:
Quin ni? ſi pluviis lapſum de nubibus aurum
In Rhodios perhibent ſultus naſcente Minerva?
Dum ſilet omnis ager, dum bos palearibus herbas
Evocat, & ſtratis poſiti ſub matribus agni
Balatum exercent, vigiles albeſcere lucem
Paſtores cernunt, pavidos quos increpat ales:
Ne trepidate, viri: populus qua gaudeat omnis,
Nata ſalus noctem antiquam diſpellit, & umbras
Palantes; properate citi; latet aureus infans
Vilibus in pannis, dedignaturque ſuperbas
Et pompas, & opes hominum, ditiſſimus orbis
Conditor: aſpicitis radios abſiſtere vultu?
Matris & hinc ardere decus, roſeumque pudorem!
Olim tempus erit, magno cum talia Reges
Optent empta ſibi ſpectacula, & edita vobis
Invideant primis: memores at vivite facti.
Talibus intentum lux circumfuſa repente
Cingit Lojolidem, frontemque innoxia lambit:
Plebs trepidare metu, digitoque oſtendere monſtrum;
Quiſque ardet ſcitari, & flammæ quærere cauſas,
Quòque, & qua ſe gente ferat; non multa moratus,
Cantabricam prodit proprio cum nomine gentem,
Si quid opus foret in ſe ſe, deferre paratus.
Tum res Romanos tandem, ruituraque terræ
Elevat imperia, & meliori in parte locari
Spes jubet immenſas, patrioque intendere regno;
Cuique diem properare, trahi ſua penſa coloſque
Omnibus, & nulli ſævas ridere ſorores:

Agnoſcitur ex pietate à ſuis gentilibus.

Quos præclaris monitis inſtituit.

Addebat

Addebat flammas oculis, & pondera dictis
Vivida, quæ toto ſpirabat pectore, virtus.
Dumque aliò meditatur iter; pia turba morari
Gentiles certant; primus nec futilis auctor
Saucius accedit, longo quem fecerat uſu
Et multâ Themis arte, legundo in jure magiſtrum,
Nec linguæ deerat dictis exercita Peitho:
Non quæ præcipiti ſugeſſerit impete fervor
Conſilia, hæc, ceu certa forent oracula cœlo
Edita, vel superûm mandata capeſcere fas eſt:
Sæpe agitat mentes rerum maleſuada cupido,
Viſque animi fallax illudit, & improbus hoſtis;
Auſter uti tranſverſus euntia tramite recto
Navigia, in diverſa rapit; fert impetus acres
Sæpe viros, ne ſemper eant ratione magiſtra:
Vivida pulſat adhuc præcordia nobilis ardor
Intrepidæ mentis, nec dum tibi pectore ſanguis
Martius intepuit, roburque imbelle reſedit;
Sed niſi præcipites frænet prudentia curſus,
Nuſquam tuta ſalus: potuiſti linquere terram
Antiquam, patriumque larem, & ſuperare labores,
Quot mare, quot tellus, quot egeſtas dura tulerunt:
Hactenus hæc: quid rurſum in aperta pericula tendis?

Dehortatur quidam illum ab incœpto.

Hæc fruſtrà: aſt ipſis medius comitantibus ibat
Romani Patris ad ſolium, ſibi fauſta precantis
Auſpicio capturus iter; tum cauſa morandi
Nectitur, arceri vix Romæ mænibus auram
Peſtiferam, lateque urbes cuſtode teneri:
Ille autem contrà immotus; non iſta pericli
Improviſa mihi facies: ego ſoſpes ubique
Per tot corruptos ſub iniquo ſydere tractus
Aſpirante Deo, tantum telluris obivi,
Quid tali expertus dubitem committere vitam
Præſidio? ſi clauſa moras mihi mœnia nectunt,

Oſculatur pedes Pontificis.

Peſtilentiæ periculum opponitur.

Sed fruſtra.

Hospita rura patent, cœlumque, quod imminet arvis;
Membra gero longo armorum durata labori:
Languida nec solus mollit jejunia panis,
Aut stomachi revocat vires; annona paratur
De cœlo, quibus est superis accepta voluntas,
Parcite proin de moras, obicemque opponere votis.

Romà discedit.

Ast ubi lux indicta venit, quæ proxima clausum
Pascha subit, te, diva Fides, vos sancta, salutat
Corpora, vos sacri cineres, quos Roma recondit;
Nec sine supplicibus votis te, Virgo! relinquit,
Inque salutatam, portam quæ sospita servas
Flaminiam, quà tendit iter: tu prima salutis
Semita solventi patriâ de sede, recurrisque
Omine nunc fausto, portæ caput ipsa viæque;
Hinc sociis suprema, nec irrita verba profatur.
Non opis humanæ est meritis par reddere vestris,
Officiique referre vices; Deus ille reponet,
Ille Deus, cui nec factis orbata voluntas
Indonata perit, gelidis nec fontibus haustæ
Munus aquæ mercede caret; spes tollite largas
In cœlum, & vestros habeat sibi Christus amores:
Nusquam abero; quamvis longa intervalla locorum
Absentem procul, atque alio sub sole repostum
Me teneant, vobiscum unà versabor in illâ
Communi indigetum patriâ, quæ morte solutos
Undique municipes, rursumque ad membra reversos
Colliget æternùm, gremioque fovebit eodem.
Non illic tristes curæ, non tædia vitæ;
Mens potitur quodcumque petit, licet una petendi
Stet mensura, animis quidquid flagrantibus ingens
Extremumque placet, vel quidquid amabile cordi est.
Milvius ecce autem se pons venientibus offert,
Tum Lojola; fluens, terras qui separat, amnis
Dividat & comites, mentique hæc figite vestræ,
Roma vetus disjecta jacet, Romamque viator

In Româ repetit, dum constans Albula restat:
Firma ruunt, dum fluxa manent, & dispare fato
Lapsa est urbs stabilis, dum labilis unda remansit.
Dic ubi Cæsarei cultus; & grandia regni
Nomina, diisque inter genitos quos fabula finxit?
Heroum generosæ animæ, vix pervia sorti
Pectora, concessere neci, quo tempore fixa'
Excivit series quemque, atque immobile fatum;
Dixit, & abrupto socios sermone reliquit.
Flebilis ipse Tybris, lachrimoso major ab imbre
Rauca sonans planctu insolito suspirat, utroque
Cardine, septenis è collibus aggemit Echo
Conscia jacturæ, & votis non segnibus ambit
Optatum reditum, meritis ut debita merces
Ara olim surgat, justique sacrentur honores.
Mox gravis ipse sibi, vestigia lenta movere
Asperiore viâ, & tardo molimine ferri
Lojolides, veluti tardanti crura rigerent
Pondere, vel densis adversarentur arenis;
Constitit: ecce novis cœlum splendescere flammis;
Non secùs ac si vere novo per florea prata
Aut carpas iter, aut Mavortia signa sequutus
Traducas vigilem per nigra silentia noctem,
Collucere faces, cœloque cadentia carnis
Sydera, & incensos per sudum albescere tractus;
Qualis, supposito qui delitet obrutus ignis
In cinere, accensis ad lucida tecta favillis
Emicat, & latè lustrat splendoribus ædes,
Siquis eum flabris exsuscitet arida circum
Nutrimenta parant, & pabula sicca ministret.
Continuo duplices cœli labuntur alumnæ:
Prima rubram complexa crucem *Patientia* fatur:
Aspicis hoc insigne? nihil vel fronte vel ore
Dissimulo; viden' ut facies stant robore binæ
Recta, *labor*, transversa *dolor*? committit utrumque.

Unica crux, quondam feralis ſponſa Tonantis,
Nunc eadem ſocianda tibi, immortalis honorum
Et fœcunda parens: ut eo fruerentur amantes
Conjugio, ſprevere rotas, igneſque, feraſque,
Terribileſque necis formas, quaſcumque per artem
Invenere hominis rabies, & dæmonis ira.
Quid memorem, ut longâ tenuarint tabe volentes
Membra proci? ut ſe ſe in ſylvas & luſtra ferarum
Abdiderint; freta cœca alii, longeque remotas
Quæſierint terras, & inhoſpita littora ponti?
Si mentem par cura premit, ſub amabile pondus
Duratos ſuppone humeros, nec cede labori.
Urbibus excluſus, per agros, ceu triſte bidental,
Obvius occurres, miſeræ ſed tædia vitæ
Nec capiant, mœſtoque animum ne contrahe luctu;
Sancti Ignatii Martyris Exemplū. Soletur caſus, & acerbæ vulnera ſortis
Spe præcepta ſalus: quin provocat ipſa malorum
Agmina proritatque necem quem nomine reddis:
Ignibus ille calens, quos nobile nomen adumbrat,
Laxatâ emiſſos cavea, impaſtoſque leones,
Excipiet, diris madenda molaribus ultrò
Obvia membra ferens, ipſe irritamen & eſca:
Ille jecur pandit, fumantiaque exta, deditque
Cernere quidquid homo eſt, ſtomachi penetralibus imis;
Atqui non tales animos gentilis Orontes,
Non Aſiæ tantum mollis plaga robur alumno
Abdiderat, medio inſculptum ſed pectore nomen,
Subdita quod tellus, cœlumque Erebuſque verentur,
Quodque tuæ vires, tua certa potentia, lectis
Præpoſitum turmis, ibit mox teſſera bello,
Talibus erexit dubium *Patientia* dictis
Admovitque crucem dextræ, quo vivida tactu
Indita vis menti, & diros munimen in hoſtes.

Lojolidem intereà duro comes altera vultu
Increpuit, tibi culta prius, vileſcere tandem
Pauperies cœpi: quo voti ſumma prioris?
Quove abiit tam cara mihi, ſuperiſque voluntas?
Dives ab urbe redis, nauli te cura ſubegit;
Cur tibi ſum deſpecta? nigro quia decolor ore?
Nigra quidem, formoſa tamen: mea cœpit amantem
Forma deum, geminatque meos nigredo decores,
Et formæ mihi cauſa placet: ſic nulla videri
Luna ſolet tinctoſque notat ferrugine vultus,
Cum propiùs Phœbi radiis contermina ſurgit:
Solis ab igne mei facies hunc fuſca colorem
Traxit; & immenſæ læſit vicinia lucis:
Pone graves nummos; cum ſtipe levaris egentes,
Expediet levior tardantes ſarcina greſſus,
Pondere quæ preſſum tenet, immotumque moratur.
His dictis ſe ſe ex oculis, nubeſque Deæque
Subducunt, hæſitque imis vox illa medullis.
Siccine amor noſtri, quando poſuiſſe putatur,
Abdita tela vibrat? ſic inſidioſus obumbrat
Intus furta latro? meaque in diſpendia vivit?
Ac velut obducto cineri ſuppcnitur ignis
Tectus in inſidias, furtiva incendia tentat?
Rumpo omnes, ô diva, moras, & juſſa capeſſo:
Surgit, & eductos, tacitâ qui veſte latebant
Interiore ſinu, loculos & ſcortea ſuta
Protulit, implevitque volam, ſicque addidit ore;
I unque tuas, hoſtis, latebras; jam callida ſaxo
Furta luas, ſolem aſpicies, auramque patentem,
Quam metuis: qui te vinclis conſtringit, avarus
Ille colat, per me jam carcere liber abibis:
Felix mens nimium, tam rerum oblita ſuarum,
Quàm confiſa Deo, qui numine paſcit amantes:
Defectum divina penus non novit alendo.
Semper terra ferax inopum, & mortalis egeſtas

Viaticum in obvios pauperes partiri ſtatuit in vitâ Ignat.

Occurunt varii mendici.

Hos adigit furto, hoc alieno vivere dono,
Ex quo ſpes hominum genialibus excidit hortis:
Sunt qui membra trahunt : vægrandi huic tubere gibbus
Attollit dorſum, atque humeros caput obruit infra;
Claudicat hic, læſiſque dolet crus debile nervis
Infirmatque gradum : corpus tegit arida pellis
Exſuccum, niſi quà rimis deforme pudendis
Ulcus hiat, ſanieſque ægros dapaſcitur artus:
Retro oculi fugere cavis, renuuntque videre
Corporis illuviem, taboque fluentia membra:
Natus hic eſt, hic factus egens, natura creavit
Non alio plures proavorum ſtemmate, quàm quo
Vermiculos, aut quos nox parturit unica fungos:
Sunt etenim, quos læva rotâ vertente volutos
Sors ruit, illiſitque ſolo, & nunc ſæva queruntur
Naufragia, incenſaſque domos, & ſydere iniquo
Spes uſtas miſeri Agricolæ, turbamque minorem
Natorum geſtant humeris, quam mantica pendens
Per delumbe latus, tabeſcenteſque per armos
Suſtinet, & fruſtum attriti miſerabile panni;
It cunjux onus ipſa viri, veſtigia triſtis
Pone legens, geminoque oculos dejecta pudore:
Vulnera prætendit miles, truncataque ferro
Brachia, & audaci ſtipendia flagitat ore;
Sed non ulla magis populos inviſa fatigat
Natio, quam quos torpor iners, fugitanſque laborum
Segnities adigit fora circum & rura vagari
Ignavum pecus, at variis mulgere crumenam
Artibus edoctos, fictas dum corpore plagas
Mentiti oſtentant, ſimulachraque dira malorum:
Nec tamen explores nimium; non diſplicet error
Ipſe Deo, obſequio admiſſus, ſtudioque juvandi:
Ergo ubi laxatam in miſeros effundere bulgam

Lojo-

Lojolidæ ſtetit, ad lucrum beneolentibus auris
Illectos veniſſe putes, genus omne repente
Mendicos: ſolam ipſe ſibi ſpem mente reſervat
Lojolides, quod ineſt loculo partitur egenis:
Sic vacuus, nauli curam dat ferre procellis
In pontum, unde venit: jamque hoc graviore levatus
Pondere, non ægrè ſuperat foſſaſque, moraſque,
Appennini obicem, præruptaque ſaxa, viaſque
Obductas ſtagnante luto, glebáque tenaci.
Quin etiam mediis projecta cadavera campis
Tetram exhalabant tabo liquefacta mephitim,
Corvorumque aderat denſis exercitus alis
Immundas inhians epulas. nec vultur obunco
Ceſſabat roſtro fœdum exſorbere cruorem
Viſceribus ſuper accumbens, nec noctua paſſim
Exercere ſuos noctis per tempora cantus:
Quid dubitem, cum nulla viam fortuna, nec artem
Vis humana daret, ſuperos veniſſe Miniſtros,
Qui lethum capite arcerent, auraſque nocentes,
Et ferrent alimenta fami, laſſoque levamen?
Non ignota loquor, cœli indulgentia quondam
Faverat hoc ritu Thesbitæ, immania longè
Teſqua peragranti, donec conſcendit Orebum:
Viribus exhauſtus dum forte ſederet in umbra
Juniperi, procul æthereo venit aliger axe
Annonam, fontemque ferens: quo munere vates,
Qui prius orabat tardantia funera, mœſtæ
Pertæſus lucis, vix & moribunda trahebat
Membra fatigatus, ſubitò vireſque animumque
Pectore perſenſit, lentaſque evaſit arenas.
Talis apud ſuperos labor eſt, & cura quietos
Sollicitat; nec feſſa Deus dat lumina ſomno;
Sed vigil exercet vigiles ad penſa Miniſtros.
  Ergo per ambages variis erroribus actum
Lojolidem ſi quando homines, ceu peſte petitum
Vita-

Vitavere caput, ſi quando copia victûs
Defuit, è cœlo famuli venere volucres
Et ſaxo ſuper, aut viridantis ceſpite campi
Depoſuere dapem, & frugalis fercula menſæ,
Ac feſſo ſtravere horum : quid cætera dicam
Auxilia haud unquam in dubiis fruſtrata vocantem?
Rupibus hîc ſuperimpoſitis mons ſurgit in altum,
Pontificum ſedes, dum triſtia tempora Romæ
Volvuntur, ſævitque odio bacchata tyrannis:
Non ſemel exeſæ juvit penetralia rupis
Atque humiles luſtrare caſas, unde invida quondam
Tranſcripſere ſibi non paucos aſtra colonos:
Spirat adhuc virtutis odor, quæ didita cœlo
Sparſit tibi ambroſiæ ſuccos, & ſæpe beatas
Huc mentes, & ſæpe feras excivit ab antris:
Illæ thura precum cœlo, aut ſuſpiria acerris
Lecta ſuis portant; hæ cultum & gaudia ſanctis
Teſtatæ plantas lambunt, certantque priori
Obſequio, poſitis furiis manſueſcere doctæ.
Lojolidem longo capit hic ſpelunca receſſu:
Vos, Nymphæ, purgate locum : ſi carduus horrens
Veſtibulum obſideat, ſi ruſcus & herba veneni
Serpſerit in ſcopulum, feralem evellite ſylvam,
Aſſyrio loca ſenta ſitu vicantur amomo.
Qui palmas Lojola ſacræ collegit Idumes,
Altera palma fuit: gladios quippe illa retundit
Durior, enſe ſecas? vivax in meſſe relinquit
Semen, & obtuſam ridet geminata ſecurim,
Tu decurvantem terris ſuperinjice molem,
Indignata premi aſſurgit, momentaque late
Excutit, & ſuperos inſtaurat libera curſus,
Arreptura velut, ſibi debita præmia, cœlum;
Haud aliter Lojola animos generoſus ab ictu,
Et vires à clade trahit, grandique ſubactam
Strage Stygem frangit, ſpes atque interficit orci,

Tempore perſecutionis ibi habitarunt Pontifices.

Hic moratur aliquandiù in Ignat.

Es

Ex illo insuetæ peragit miracula vitæ,
Et secum certamen init: non aëra palmis
Attingit vacuis, aut stringit inutile ferrum,
Sanguine stat proprio, & repetito verbere palma.
Pacatis igitur seductus in otia curis
Sic ait, ô rupes, quarum sub fornice fessus
Excubo, dum Phœbus medio supereminet axe
Arduus, & longas paulatim contrahit umbras:
Tuque ô sylva capax, duráque haud ante bipenni
Sacrum attonsa caput, cujus requiesco sub umbra,
Et, tu, cui tremulos dedit hic natura penates,
Turba loquax volucrum, fragili quæ pendula ramo
Carminibus mecum alternis colludere gaudes,
Indulgete meis consueta sedilia membris,
Hæc ubi dicta, cavo formicas degere trunco
Aspicit; hic etenim plebs ingeniosa profundi
Roboris hospitium colit, & præsaga futuri,
Unde cibum sumat, convectat in horrea messem,
Agglomeratque penum: cerne ut vacuata vetusti
Intervalla terens pars corticis, agmine nigro
Terram prona petat, frumenteturque colonis
Nequicquam invitis, ut pars populata per agros
Acceleret, magnamque ferat quasi bajula prædam;
It, redit, occurritque sibi, vermesque paratis
Insidiatores opibus deturbat ab antri
Limine; cunctantes discedere, dente tenaci
Frustatim secat, & furum se corpore pascit:
Hæc nos cura docet, monet hæc solertia, quanto
Consulere in seros studio nos convenit annos:
Quin etiam in vermes vindex docet ira, quid iram
Legitimam deceat, Stygius cum prædo paratas
Diripit opes: pecudum rectrix natura, vel isto
Innuit exemplo, scelus expendisse nocentes.
Amia Lojolides; oculis cum parte sinistrâ

Ex rebus creatis ad Deum animum transfert & suum & aliorum.

Sur-

Surgit Athænæum, musis ubi multa juventus
Excolitur: cernit juvenes librare magistra
Arte globum, & justo moderari pondere jactus,
Cum cœlum ridet, doctasque resolvere curas
Fas & jura sinunt, ludoque insumere tempus.
His signata statis directo tramite lignis
Meta placet, certoque æquatus fœdere limes:
Terminus hic nullus varium discriminat æquor:
Aspiceres dextraque simul lævaque subinde
Inflecti, alternisque imitari motibus arcum
Lusores, si quando procul de tramite recto
Transversos globulos inflectat devius error.
Cernis ut hic, dextrâ quos primum emisit inerti,
Clamosa nunc voce premit, cebrisque querelis
Sollicitat cursum, nunc planta quassat arenam
Castigatque moras segnes, creditque citari
Ocyus, hortatuque novas acquirere vires?
Hic pariter globulos, quos deficiente lacerto
Misit iners, verbis, nutu, pedibusque morantes
Accelerat; nunc calce terit, nunc flamine cursum
Incitat, & proprias addit de pectore vires:
Ille gradu immoto tentat retinere fugaces
Enitens, cursúque timet transcendere metas:
At spatium si forte globos discriminat æquum,
Extemplo radius stipulæ, vel fascia longa
Affertur, litisque venit discrimen obortæ.
Tuque adeo, Ignati! tales mox inter ephœbos
Sub ferulâ disces latiæ primordia linguæ:
Pro telis atque ense libros, calamosque rotabis,
Pugnabisque leves sine cæde & sanguine pugnas:
Ridebit tacite musis operata juventus
Grammaticæ ad normas, & verba & nomina certis
Casibus inflexisse virûm, quem tela decerent
Martia, & experti jam cognita tela Gradivi.
Lojolidem jam blanda soli cœlique voluptas
Cœpt-

Cœperat illectum ſtudiumque optabilis oti,
Ad cœptos cum juſſa vocat cœleſtia curſus.
Jamque fatigato dudum vigor omnis hebeſcit,
Exhauſtique negant artus ſupereſſe labori :
Deſtituunt comites, quos nox properare jubebat
Proxima : tardantem illum & ſaucia crura trahentem
Deficiunt laſſi luxato poplite nervi :
Excipit acclivem cæſpes, ſonitumque dederunt
Membra ſuper revoluta, Deum clamore vocantis.
Turbine in hoc rerum, ruptis laquearibus, alto
Limite, flammarum candens abſiſtere tractus,
Non tamen Aligerum venit aut de plebe miniſter, *Deſerto & lapſo Chriſtus adeſt in vita.*
Aut princeps : Deus ecce , Dei Patris unica proles ,
Portat opem, cui cuncta ſinu ſolatia claudit :
Geſtit humi ſtratus, venienti effundere Chriſto
Relliquias animæ, & ſummo ſe ſuſcitat actu :
Sicut ubi magnetis amor virtute maritâ
Tollit humo ferrum, ſequiturque per aëra notam
Pondus iners auram,&volucri ſe corpore librat :
Tum Deus affari, curamque his ſolvere dictis :
Vidi æſtus fluctuſque animi, qui noſtra faceſſis *Dictis ſolatur.*
Juſſa memor : tamen haud illic ſtat meta laborum ,
Aut modus ærumnis , certa hæc, ſed ſera voluptas
Continget, denſiſque prius quærenda periclis :
Reſpice nunc, quæ te incolumen terrâque marique ,
Si quando ingruerit tempeſtas dira malorum,
Præſtiterit, faciem ; noſtros contrà aſpice vultus,
Quos fuerit vidiſſe ſalus, certumque levamen :
Hæc fatus ſubito tenues conceſſit in auras,
Non tamen omne , Deo, jubar, abſcedente receſſit ;
Canduit ætheræ per noctem ſemita flammæ,
Quæ monſtraret iter vicina ad mœnia ; qualis
Per loca ſola duci quondam, turmiſque præibat
Iſacidum, comites ductu ſolata tenebras.

Lojo

Lojolam regis, Uranie, lustrare solentem
Æthereas tecum sedes, vel sydera certo
Fixa situ, vel per liquidos palantia calles
Astra sequi, cœlique omnes dignoscere tractus.

Prosequitur iter Ignatius.

Nondum Phœbus equis Phrixæi velleris aurum
Contigerat, nec dum Zephyro data copia flatûs
Uda maritali laxaverat arva tepore,
Ora tamen Ligurum læto se flore per agros

Italiæ verna tempestas.

Induerat: viridis frondebat termes olivæ,
Capparis, & vario malus distincta colore:
Aurea maturis flavescit, vernat adultis
Fœtibus, & baccis floret canentibus albor;
Una tot ætatum discrimina mater adumbrat
Frondibus æternis, & se juvenemque, senemque
Numquam effœta stupet: manibus struxisse voluptas
Tecta videbatur, tanto se se aurea fastu

Dicis amœnitas.

Villarum series, astrorum æquabat honori.
Mallet opes aliò transmissas, altaque supra
Sydera Lojolides, præsaga & mente revolvit,
Ut tempus consumet edax tot marmora, & olim,
Si qua super, diris tabescent usta favillis,
Machina cum mundi ducet sublapsa ruinam:
Ire vito abruptos versanti talia fletus
Vidistis, genii, quos & veneratus honore est
Regificæ tutelam urbis, sanctosque penates:
Quis scit an eventùs gens haud ignara futuri
Monstrarint, quas quondam ædes, quæ templa tenerent
Urbem intra, supràque jugo composta nepotes,
Unde salis faciem fas sit comprendere visu.
Nil Lojola timet convulsas motibus alpes,
Quas circum supràque quatit Bellona flagellum;
Ut certum migrare vident, pars frigora contra
Certatim obtendunt vestes; pars plurima nummos
Æ-

Ægre Lojolides libans oblata, quid, inquit,
Hoc onus adjicitis pediti, causamque timoris,
Irruat ære petens si quis de gente latronum?
Dum graditur, juvat exhaustâ jam mole malorum
Mentiri ventura, & mente præire labori:
Invitat primum Ferraria; pronus ad aram
Marmoreis celsam gradibus dum vota ferebat,
Ecce manus juvenum, quibus est cœlestis origo,
Cura inopis turbæ, mendicum exsuscitat agmen:
Ille laboranti gressu genua ægra trahebat
Incumbens baculo, crepitabant frigore malæ:
Quaquè per infœlix tegmen nudata patebant
Membra, fluens ulcus saniem mittebat, & orbem
Verticis impleרat scabies, tremuloque gementis
Ore querebatur vacui jejunia ventris:
Obruit huic collum prægrandi tubere gibbus
Obstipumque caput, nasi pars alta recedit
Inflatis absorpta genis, pars infima sursùm
Flectitur, & fœdo nares distendit hiatu:
Lurida bucca tumet, labrisque soluta repandis
Semper hiat, totusque horret nigredine vultus:
Lojolides vota abrumpit, ne vota missellì
Falleret, & tenui, quas commendarat alutæ,
Sectilis argenti laminas distringit egenti:
Ille cito, ceu jam faceret fortuna beatum,
Immemor exiliit morborum, & gaudia vulgans
Omnibus argenti speciem ostendebat: ituri
Protinus invenere pedes, quicumque carebant:
Cæci alios habuere duces; stetit ante precantem
Crebra manus, scutulas & lignea membra moventum
Cum gemitu: Lojola dolet, nunc inter haberi
Numinatos, nec posse Petri se voce tueri
Argento vacuum, & duris in rebus egentem;
Unde implet lachrymis oculos, atque ora querelis,

Clamor egenorum quoties diverberat aures.
Dividit in capita, & gaſam partitur inani
Contentus loculo; reliquis & egentibus addit
Se ſocium, vicoſque urbis ſpoliatus oberrat.
Hi paſſim ingeminant ſanctum genus, æthere lapſum
Qui cum partitis opibus ditarit egentes,
Nunc egeat ſpoliatus, & arma retorſerit ultrò
In ſe ſe, quæ contra alios vibrabat egeſtas;
Indonatus abit nemo, fiducia ſolam
Lojolæ in ſortem ceſſit; nihil ille reſervat,
Nil recipit, ſatis atque ſuper ſtat numine dives.



ARGU-



ARGUMENTUM

LIBRI UNDECIMI PROFECTIONIS HIEROSOLYMITANÆ, IGNATII.



Omâ discedens contendit in Galliam Ignatius: in itinere ad primos fines Germaniæ, vidit fœditatem Lutheranæ hæreseos, quæ tunc inde ortum duxit, concepto in eam reliquasque hæreses incredibili odio: & erga fidem Catholicam amore singulari. In alia parte itineris dum per exercitus Gallorum Hispanorumque transit, à gentilibus excipitur ut explorator, & male habetur, perhumaniter à Gallis, quibus vir poëticæ deditus, ejus virtutes narrat, quas ipse aliis in libris, dum de se loqueretur, modestè conticuerat: describit vitæ mutationem, quæ ictu tormenti gallici evenerat, non sine gau-

dio Gallorum, qui tam fœliciter feriant, & armis suis, non sanctum Martyrem, sed Confessorem efficiant, tandem dum Parisios progreditur, incidit in veterem amicum, cui loca Palestinæ lustrata in itinere describit, ut viæ molestiam sermone levet.

AD MAJOREM DEI GLORIAM.



Liber

Liber Undecimus.

IGNATIADOS



NTEREA Lojola gravi torpedine sentit
Pigrari plantas, & gressu deside ferri: *Unde odium Ignatio in hæresim.*
Haud aliter plumbo quàm si tardante rigerent
Crura, vel adversis obluctarentur arenis:
Obstupuit; non creta tenax lassabat euntem;
Uligo non lenta solum, sed cespes habebat
Herbidus, & sicco duratus in æquore callis.

Qua pandit primos aditus Germania, monstrum *Domus hæreseos ad fines Germaniæ.*
Degere fama refert, tenebrosi in faucibus antri,
Quod torpore gravans hominum vestigia ferre
Ulterius vetat, aut gressu jubet ire remenso:
Hæresis huic nomen, genus inseparabile monstri,
Pestis, & ira Dei: fuit olli transfuga claustri,
Desertor pater, & genitrix infrœna libido,
Crudele immulgens dulci pro lacte venenum;
Hanc illi sedem, & cunas Germania fixit:

Ante fores hastæ, & gladii, genus omne, parati, *Vestibulum domus hæreseos.*
Balteaque, & loricæ, & acuto hostilia ferro,
Et capitis cristæ, & tormenta vomentia bombos,
Lethi dira seges, pacisque infame sepulchrum:
Ad lævam in caveâ subitas rapientia flammas
Sulphura, & in densos glans ænea surgit acervos:

Horrendùm exululant tecto interiore penatum *Familia Hæreseos.*
Tartareæ, fœdo hæreseos de semine, Pestes:
Ante alias animi *Rabies, discordia*, & *ira*,

 Quas

Quas avidas pugnæ furias dux *impetus* urget,
*Vis*que *animi*, & posito laxata *licentia* frœno,
Et *belli sitis*, & semper crudelibus armis
Præcinctus *furor*, & leges exosa *potestas*:

Sorores hæreseos.

Ingenio similes in eadem sede sorores
Unà habitant mentis *levitas*, *livorque* veneno
Turgidus, & gaudens ventoso *gloria* fastu,
Quæque virûm plausus elata *superbia* quærit:
His comes *ambitio*, quæ tangere vertice cœlum
Tentat, &, unde prius sublimibus excidit ausis,
Ambit adhuc reditum frustra; soror astat inanis
Credulitas titubans gressu, cui surrigit aures
Ambiguis *rumor* volitans per compita pennis.
Non longè furtiva *Venus*, mollisque *voluptas*
Haud semel, haudque uno Circes metuenda veneno
Enervi torpore diem per mollia ducit
Otia, cui sceleris male conscius *horror* adhæret.

Famulæ hæreseos.

At dominæ certâ propius statione ministrant
*Ars*que, *dolus*que, quibus pestes velut illice fuco,
Componunt nitidos pulchra ad mendacia vultus,

Hæreseos tenebræ.

Guttura sex pandens lucem furatur hiatu
Noctis amans monstrum; gelidoque pavore fatigat
Ambiguos cives, superent-ne, an terra dehiscens,
Fulmineusque globus vivos detruserit orco;
Sive viator iter carpit, seu curvus arator
Verrit humum, glebasque ligone exercet inertes,
Sive foro tectisve suis, seu publica cives,
Seu privata tenent studia, insuperabilis horror
Mortis agit cunctos, dirisque timoribus angit
Constrictos vinclis tenebrarum, & carcere lethi.
Nec minus exterrent immania monstra ferarum
Cursantum juxta, & tenebrosa per arva vagantum;
Horribiles visu & squammosis flexibus angues
Dira fremunt, fumumque oculis & naribus efflant;
Ad chalybem frustra silices domuere fricando:

Aut piceas tentant, levia ad ſolatia, tædas
Incendiſſe focis, vapor omnem intercipit ignem
Humidus, atque ſuis Vulcanus ubique caminis
Torpet iners, nulla evincunt funalia noctem.
His *furor* in tenebris nil non ferale minatur,
Et peragit graviora minis: hîc ſæpe rubeſcunt
Sanguine fraterno fratres, natique paterno:
Templa cruore madent, & cædibus ingemit omnis *Crudelis hæreſis.*
Ara, novumque timet nondum ſecura furorem:
Quid tantum immanes olim patraſſe feruntur
Tantalus in Pelopem, aut tauro flagrante Perillus?
O lenis Sciron, ô mites Buſiridis aræ!
Nec ſævi Diomedis equi, mitiſque Procuſtes,
Si furiæ collatus eat, quæ duplice peſte,
Potibus ut fontes, ſic flatibus inficit auras:
Eumenidum dextræ diris mucronibus horrent,
Sanguineiſque ſonant colliſa fragoribus arma;
Sicut arundineo in ſaltu pellentibus Euris
Ad calamos hæsêre faces, ſtipulaſque ſonoras
Percurrunt paſſim, & ſibi ſe fugientibus inſtant:
Diſcolor incincta fuit hic Diſcordia veſte
Ejaculata faces, quibus omnia miſcet ubique,
Et pacem terris, cœloque inhibere laborat;
Crudeles onerant decoctæ in lacte parentum
Victimæ, inhumanas donis crudelibus aras.
Error in ingreſſu declivia limina portæ *Error in ingreſſu domus hæreſcos.*
Occupat, incurvoſque tenens per devia flexus,
Sæpe remenſus iter, variis anfractibus errat:
Vix tot vorticibus conſtat Meandricus amnis;
Vix labyrinthi tot habet fallacia luci
Flexilis ambiguos per cœca volumina calles:
Quæque petita via eſt curſu, repetenda recurſu
Obvia facta ſibi: veluti circumvaga flexus
Quæ mola perpetuos, rota vel revolubilis orbes
Ruſus init rurſuſque, & calle recurrit eodem.

Ergo renidenti pellax venientibus error
Blanditur vultu, portâque invitat apertâ
Tecta tot exuviis, & tot decorata trophæis
Aspicere introrsum, sacrosque subire penates:
Heu fuge, chare hospes, vanis ne credulus error
Fallat imaginibus, specieque illudat inani
Palpantemque umbras & nubila cæca tenentem;
Hoc, quodcumque vides, species mentita decoris,
Et veri simulacrum ingens, & inanis imago,
Quæ dulci mentes hominum perstringere novit
Illicio, fictaque boni splendere sub umbrâ:
Aspice quidquid inest circumque, infraque, supraque,
Nil nisi spectra vides, quæ suavi perlita fuco
Deceptos ad vana trahunt spectacula sensus.
Talia Lojolides dum respicit, anne erit unquam
Tempus, ait, domitis frænans quo pestibus antrum,
Et lethi claudatur iter? si corpore possem
Obstruere, & patrium furias urgere sub orcum,
Sed nil vota juvant; nec sat rationis in ausu:
Quod reliquum est, equidem opponam signa altera signis
Æmula, lecturus socias ad bella cohortes,
Devictasque sacris furias aptabo quadrigis.
Hæresis in monte Jura ad Genevam. Non uno stat hydra loco, molimine lento
Grassatur, sedesque novis legit ausibus aptas:
Monte sub aërio, quà se subducere Jura
Incipit ad valles, locus est ubi faucibus amplis
Redditur abrupto Rhodanus reparabilis alveo:
Hæresis hanc terris sedem magis omnibus optat;
Quippe hic eductas arces, & ponere regna
Instituit, quando firmis adoleverit annis
Grandior, & circum positas afflaverit oras:
Adjuvat & miranda lacûs natura Lemani;
Namque ea dum stagni in morem, placidæque paludis

Strata cubat, nullo venti cogente tumultu
Sponte ſuâ turbat; ceu ſubter fœta furenti
Flamine, quod vulſum de ſedibus eruat æquor;
Unde haud vana fides, hic oſtia, cœcaque ditis
Spiramenta dari, & gemino commercia mundo.
Hæc dum tecta procul fugit execratus acerbis — *Triumphus fidei.*
Lojolides odiis; ſuccedit amabile monſtrum:
Ecce triumphales currus, domitique rebelles
Viſi oculis; Romana *fides* data lora regebat — *Fides obſcura.*
Mille inter radios, tamen inter nubila mille,
Nam *ratio* in tenui caligans luce latebat,
Aſtabat fidei *Pietas*, labarumque gerebat
Virgatum crucibus; fixo *Conſtantia* vultu
Portabat clypeum, Petrique inſignia claves:
Te ſequimur, Regina fides; præcedet euntem,
Quo te cumque feres, placido *concordia* vultu,
Et ſecura *quies*, & non turbata *voluptas*;
Inque vicem jungent dextras, ignara nocendi
Simplicitas, & caſtus *amor*, terriſque videri
Gaviſa Erigone, & pulchrâ *clementia* fronte:
Excedunt Erebi peſtes, *injuria* recti
Contemptrix, rituſque audax abolere piorum
Improbitas, miſerique parens *diſcordia* belli,
Et *mala mens* culpæ pallens horrore, ſuique;
Salve ergo, divina Fides, quæ vertice tangis
Sidera, quæ lucem clara ex caligine ſumis
Ingenitam genitamque Deo, quæ lumine certo
Pandis iter tutum, curſumque intendis Olympo:
O ductrix ſecura mihi, quæ lampade cœcum
Evolvis chaos, & ſpeculari in nube refulges:
Te ſine nulla poli ſe ſe ad faſtigia virtus
Efferet; haud divinus amor caſto igne micarit
Te ſine, mortales aut ſpes lactaverit ulla:
Utque columna olim radiata in nube reluxit
Hoſtibus ignis atrox, & blandus fulgor amicis;

Sicut fulmineos apertis, vultusque serenos,
Non tenebris caligo suis, non subruet error,
Non vix ulla virûm; dum mutua fœdera mundi
Servabunt elementa, fides immota vigebit,
Atque triumphato tantum vanescet Olympo.
Monstra Tyrannorum, ad terram cervice recurvâ,
Ponè sequebantur; ferrumque imbelle, sine ictu
Gestabat Phariæ dominator perfidus oræ,
Quem circum jejuna *fames, morbi*que fluentes
Et *pestes*, & acerba *lues, ranæ*que, *locustæ*que
Et *vindicta* Dei miseros quæ marmore mersit,
Dum Mosi siccavit iter, populoque sequaci.
Demisso graditur vultu Romana *Potestas*
Cæsaris, attollens aquilas, rigidamque securim,
Et lectos pariter fasces, quos sanguine tinxit.
Sic Nero, sic Decius, Romanaque nomina mille
Conati frustrà, regeret dum spiritus artus,
Christum ipsum, Christique pios exscindere natos
Suppliciis, gravibus jam subdita colla catenis
Curvati, *fidei* currus anteire jubentur
Quin *necis* & *morbi* simulachrum, & inerme *furoris*
Edomiti signum! *languor, luctus*que, *dolor*que
Iam malè nitentes vestigia tarda, trahunt se,
Ponè secutæ omnes, atris in vestibus omnes:
Ignis edax, atque *unda* vorax, genus omne dolorum
Et *sitis*, atque *fames* ambit pars ire triumphi:
Quid pœnæ superest? suus intercluditur aër,
Et tellus miseris; nihil inclementia pœnæ
Linquit inexpertum, defessaque mortibus ira est,
Et tamen ipsa *fides* tot cædibus aucta triumphat;
Sint satis hæc; quanquam quota portio dicendorum!
Ex illo *fidei* se se sedisque latinæ
Obsequiis Lojola vovet, sobolemque futuram,
Reddamur terris Insubrum, fusa per urbes

Bellica tempestas Ligures quoque turbine pulsat.
Hactenus extra acies belli sævosque tumultus
Securus Lojola stetit, nunc aspera tractat
Prælia, quæque polo aspexit certamina Christus
Disparis incentor pugnæ, quâ miles inermis
Armatos, unusque agmen sine sanguine vicit:
Sancta fides, tua facta cano: licet iste cruoris
Integer, & nullo truncatus vulnere membra
Exierit; tamen hinc animi decus abstulit ingens.
Quo ruis, Ignati? non signa tubæque retardant
Belligeræ? non qui ferri nitor astra lacessit,
Obliquare oculos cogit cursumve morari?
Aspice (namque potes) celso de vertice montis
Agmina crispatis hinc inde undantia signis,
Quæ, Bacchi per damna, jubet, Cererisque ruinas,
Impatiens Mavors acri præludere pugnæ;
Vix tot maturæ quatiuntur ab ilice glandes,
Hibernusque cadit resolutis nubibus imber;
Iam centum mediis habitata mapalia campis,
Et totidem celsis vallatæ mœnibus urbes
Procubuere duci; & victoris jussa capessunt
Attonitæ, sive arma viris, seu pabula castris
Imperet, usque adeò subigit pavor undique gentes:
Se se inter mussant propioris imagine damni,
Et lingua, vultûque probant pallore timorem.
Haud aliter quam cum metuendus crine cometes
Flammeus, horrendo secuit cava nubila tractu;
Stant dubii agricolæ, timidis cum civibus urbes
Horrescunt pavidæ, ne, quas incumbere terris
Prospiciunt, ictâ accipiant cervice ruinas.
Lojolam Aëmilia, & multo corruptus ab imbri
Exercebat ager, fossis & collibus horrens:
Jamque fatigarat vestigia, cum globus arctis
Faucibus erupit (campos Hispana tenebat
Factio) stare jubent, quisquis, quocumque viator
Ferret

Venit in suspicionem proditionis Ignatius.

Bellum Gallos inter & Hispanos.

Accipitur ab Hispanis ut explorator Ignatius.

Ferret iter; macie deformis, & undique limo
Oblitus apparet, facies tamen ardua, & inter
Firma malum: artificem credunt cum fraude recoctum,
Qui, furtiva, monet per nuntia proditor hostes.
 Astabat casa forte viæ, dum pace licebat,
Agricolis promptum hospitium, si cæca remotis
Longius incautos nox deprehendisset in agris,
Tunc nidos posuere striges, & culmina bubo
Occupat, infestæ noctis damnata propago;
Huc captus trahitur; blandis sermonibus orsi
Hortantur fari, quæ causa subegerit hosti
Hanc operam navare virûm, quem fronte vel ipsa
Aspectus, quem lingua colorque notaret Iberum:
Ille silet muto similis, nec dicta refutat:
Tum variis versare dolis, & fallere tentant
Compositò: fuit è sociis effingere doctus
Pythonas, penitúsque utero stridente reductos
In vocem tenuare sonos; oracula credas
Fundi antris, Zephyrive altâ de valle susurros;
Haud aliter nemorum circùm loca concava nostris
Auribus illudunt, cum fracta remurmurat, Echo;
Sic summa incipiunt motare cacumina sylvæ,
Dum notus adventat, primusve assibilat auster:
 Sæpius è bustis animas, lemurumque ululatus
Horrendos dedit audiri: nunc arte malignâ
Mentitus genium, post facta silentia linguis
Admonuit fictè trepidos, sub veste latere
Exploratorem, excutiant, perque omnia versent:
Es reus, exclamant, reus es, te numina produnt;
Teste Deo fraus certa patet; ludibria sensit
Lojolides prudens animi; & si tanta fides est,
Quid dubitatis, ait, mandata facessere vestri
Auguris? haud oculos ullo velamine fallam,
Totque manus; nec plura; togam pannosque peterant

Palpando, loculumque æris ſcrutantur inanem:
Nec tamen eluſi abſiſtunt, chartaſque reſignant
Nequicquam, nam certa vident, & conſona dictis
Omnia; crudeſcit tamen, & graviora minatur
Improbitas deluſa, trahuntque è pectore veſtem;
Hæc dirum flagri retegit genus, unde cruentis
Inſculpti apparent latè vibicibus artus;
Atque aliquis; quid ſi loris hæc lictor aravit?
Mox alius; notat ignavum conſciſſa pudendis
Vulneribus cutis, & venia dignabimur ullâ
Hiſpano generi indecorem? ſic vapulat inſons
Milite ab effreni: tactu tum membra pererrant;
Nec ſoleis avidi parcunt, quas planta premebat,
Scilicet hic fraus preſſa latet; poſtquàm omnia fruſtra
Pertentata, minis onerant; ſupereſſe cataſtam,
Et baculum reſtimque, quibus fraus tecta pateſcat:
Impavidum nihil illa movent; non deprecor, infit,
Seu fuſtis laqueuſve, humeris collove parentur.
Tantùm membra tegi, ſtudiumque placere pudoris
Ne prohibete: ſed incaſſum præfracta rogantur
Pectora; ſicut erat præcinctus ad ilia braccis,
Cætera nudus iit; miſtis clamore cachinnis
Diſpoſitæ excipiunt venientem in caſtra cohortes:
Mille ſonant rhonchi, pleniſque calumnia buccis:
Sed verbis graviora cupit; latus ungula ſulcet,
Flamma cremet, rabidique fremant ante ora leones,
Atque unum coeat vis impacata malorum,
Hæc feret, & votis adeò leviora putabit:
Nomen ab igne trahens Ignatius alter adibat
Obvius ipſe feras, mediaque hærebat arena *Ignatius*
Luminibus fixis in amantem hæc prælia Chriſtum: *Martyr.*
Nunc quoque, dum ſannæ, & linguæ convitia fervent,

Lojolides repetit Solymam, relegitque per urbis
Compita, quod secuit datus in spectacula vulgi
Christus iter; cum turba procax traduxit abactum
Ædibus Herodis, regisque insignia præbens
Certavit dictis, & adunco illudere naso:
Lex eadem docuit similem se fingere stulto,
Irascique sibi, ignavos & frangere sensus,
Dum se se increpitat; quid me prudentia fallax
Ludis adhuc? nondumne hominum moremque, modosque
Dedidici? usque adeone pati ludibria nescis,
Compositosque, aulæ ad leges, contemnere vultus?
En Christus præit ipse tibi, fastusque superbos
Regis Idumæi, & famulæ convitia turbæ
Fert erecta fronte, pati graviora paratus.
Fabula sim procerum & vulgi, sim vilis & excors.
Sic audire placet: crux fraudibus alta paretur
Ipsa meis, votorum hæc summa: hoc deprecor unum,
Ne pudeat me, Christe, tui: nil secius egit,
Quam statuit; quæsitor adest, altaque verendus
Nube supercilii, fusum toto agmine murmur
Componit nutu, cannaque innixus eburnâ
Multa rogat bruto defigens lumine terram;
Ille caput petaso indutus, nil hiscere contrà
Perstitit obnixus, nil respondere roganti:
Vertit in astantes primam dux protinus iram,
Increpitans dictis; & quo nos ordine habetis,
Bardiaci? inclamat; faxo inconsulta luatis
Consilia, actutum fatuus procul inde facessat:
Væ misero capiti! tempestas omnis in unum
Detonat, & dictis miles furiatus amaris;
Liber abibis, ait, sic jussus; at accipe primum
Quæ tecum mandata feras, quæ nuntia Gallis:
Non sic, horribili cum sævit Jupiter irâ,

Exemplo Christi hæc tolerat.

Interrogatus nihil respondet.

Tecta quatit grando; alternos nec crebrius ictus
Sustinet, incudi instantes quæ massa Cyclopas
Exercet, quàm membra sonant collisa frequenti
Verbere pugnorum? cubiti calcesque recusso
Incumbunt lateri; faciem convulnerat umbo
Impactus capulorum, humerosque illapsa procella:
Libenti exuvias reddunt, quibus ille receptis
Carpit iter, secum hæc volens; quod mente petisti, *Ex amore crucis se consolatur.*
Quod dudum expectas, Christus nunc deniq; reddit;
Necdum etiam toto proruptus corpore sanguis
Fluxit, & hanc animam longè graviora merentem
Officiis dignatur adhuc Deus arbiter æqui.
Mortali crux sponsa Deo, quâ gente, locisve
Te quibus inveniam? nunc te mea vota per orbem
Ab Solymis profugam quærunt, ignoscite, cœli;
Si prope sordetis? gremio vos sydera fertis,
Terra cruces: docet has vestris præferre pyropis
Quem crucis egit amor, molesque optata laborum
Tellurem mutare polo, exilioque penates.
Impetus hæc animi fundebat dicta, sed artus
Destitant, contusi artus, fractique dolore;
Semianimem vidit miles, miseransque refovit; *Miles misericors reficit.*
Rara quidem in castris pietas, ubi tela cruorem
Humanum sitiunt, ubi circum pectora, circum
Illatus obductus ferri rigor, attamen enses
Inter & armorum chalybem nitet aurea virtus,
Et patrium vivo cœlum splendore lacessit:
Sed, miles, tibi quid meritis pro talibus optem?
Servasti civem? minor est ea gloria, querno
Compensanda satis folio; tutatus amicum
Christi pugilem? factis pro talibus inter
Aligeros proceres sedem super astra mereris:
Haud secus intereà jussum sperare remisit
Admonitum, sic militiæ servire profanæ,

Ut

Ut bellum inferret vitiis, animæque protervos
Frangeret assultus, patriamque putaret Olympum
Quo se se spoliis dives post fata referret.
Inde per oppositos, ubi nascitur Appenninus,
Bardonis montes, & quâ Balista sepultus
Parte jacet fessus, canalque evadit in Alpes,
Quas castris, Bajarde, tuis, & milite multo
Terrificas? utinam tibi sors non læva fuisset
Magnanimum suprà Martem castoque, pioque.

Castra Gallorum.

Jam campo collectæ acies, jam proxima castris
Castra aderant: illinc tutâ statione tenetur
Septus iber; Franci hinc alacres ad prælia fervent:
Adsunt Santonici, & qui proxima rura Cadurcis
Incoluere; ruunt; quos amne Druentia puro
Alluit, & placido recreat quos gurgite Mosa:
Adsunt Tectosagæ, gens intractabilis armis,
Et Meldi fortes bello, indomitique Sicambri,
Quique Athacem Rhodanumque bibunt, Obrimque profundum,
Queis Ligeris dat lenè fluens, & Sequana potum:

Varii duces.

Arma superba fremunt, Cereris gens divite fœlix
Munere, Carnutes, quibus ibat bellica in armis
Tessera, virgo Deum salvo paritura pudore:
Guisius ante alios proavorum gloria ductor
Irrorat fœtos inimico sanguine tractus;
Huic caput indomitum bello tegit aurea cassis;
Crista superfusis hinc atque hinc mobilis umbris
Temperat horrorem galeæ, blandoque volatu:
Inclytus hinc, alacres turmas Guesclinus agebat
Quem pietas, virtusque suis maturior annis
Extulit, & claro prognatum sanguine Regum
Auctus honos, juvenem priscis heroïbus æquat,
Aspice, ut ex humeris rubro sinuatur amictu
Candida multiplici crispans sub tegmina flexu

Carbasus,

Carbasus; ut sacro se molliter implicat ostro,
Quæ obducta levi translucet purpura velo:
Hunc Dea, cum venit primas ad luminis auras,
Virgineo exceptum gremio, sparsumque recentis
Ambrosiæ succis admisit ad oscula Pallas:
Inde ubi cognatas potuit dignoscere lauros,
Heroumque vias teneris insistere plantis,
Per nemora Aonidum, perque aurea sydera duxit:
Fortunate nimis, cui primo arridet ab ortu
Musarum chorus, & fausto favet omine numen.
O quoties pernicis equi dum terga fatigas,
Grati nemorum latebrosa per avia Fauni
Optavere suá fessum recreare sub umbra!
Tu tamen, quò jussa vocant, quò gloria ducit,
Proveheris: nec blanda quies, nec te ulla retardant
Otia, sed curæ stimulant, & casta Minerva
Comes, & pulchræ laudis succendit amore.
Anxius hic Lyciam partes rimatur in omnes,
Qua vulnus lethale ferat, sed sustinet hostis
Avertens dextram à jugulo, & vim viribus exit
Poplite subsidens; apicem tamen hasta supremum
Attigit, & summas libavit vertice cristas:
Tum vero ignescunt animi, majorque resurgens
Et ipso, diram nullo discrimine cædem
Excitat, irarumque graves non temperat æstus.
Bajardus tanto metuendus nomine, solus
Agminis instar erat, doctus transcendere montes
Fluviis reperire vadum, transire natatu,
Instratis fluidos evincere pontibus amnes:
Nec nescit quo castra loco, quo signa, vigilque
Ponendus custos: acies quæ vallibus aptæ,
Quæve jugis; quantum Vulcania machina ferri
Jaculet, quove usque ferat displosa fragorem:
Irruat in Gallos infestis undique signis

Quidquid habet duro Mars formidabile bello,
Stabit, & ardentes mundi eluctabitur iras:
In medio qualis rupes annoſa profundo,
Quàm Notus & ſtreperis Boreas everberat alis,
Aſſultuque fremens circumtonat unda minaci,
Illa ſolo fixis latè radicibus hærens
Alta repercuſſàs jaculatur ad aſtra procellas.
Illinc flammivomo Momorantius æmula ſoli
Ora gerit, dignamque ſacro diademate frontem:
It circum decor, & ſemen teſtata deorum
Majeſtas, primiſque comes Charis addita cunis,
Atque animi præſtantis opes, & bellica virtus.
Talis, Idumeas ſtimulante profectus in oras
Numine, bis ſacris fulſit Lodoicus in armis,
Ardua quem dudum merito tranſmiſit Olympo
Indigetem virtus, & ſidus amabile Gallis.
Armorici Veneti, Venetæ gens ſtirpis origo,
Adriacique parens populi, fera prælia miſcent,
Antiquæ memores famæ, & virtutis avitæ.
Horridus in ferro mortemque, metumque ferebat
Queracius, qualem telis armavit Homerus
Nube Jovem mediâ, fratres dum monte ſuperbo
Excuſſos rigidus vindex in tartara miſit.
Partem etiam laude in tantâ, Nemoroſe, mereris,
Qui, quot in adverſos forti vibrata lacerto
Spicula moliris, tot volvis corpora leto,
Ni dent terga fugæ; ſed tu fugientibus inſtas
Promptus, ut antevenis meditantes prælia; doctus
De foix. Sive ſequi ferro deceat, ferrove præire.
Nec minus it bello Fuxenſis, ſtrenuus armis,
Quem Navarra tulit bello, quem Gallia miſit,
Gallia magnorum nutrix fœcunda virorum:
Ille hominum denſos cuneos, numerumque recenſet
Providus, & ſummi partes non ſegniter implet
Ducis

Ductoris, præsensque animos & pectora firmat:
Læta duci festos acies circumsona plausus
Tollit, & à vultu fatum fausto omine ducit.
Frontem altus Poncastrus agit, postrema coërcet
Chombertus, medio dux agmine vertitur ingens
Antiqua de gente Feron, cui plurima circum
Horrescit ferrata seges, longeque renidet.
Mercurium obvallat rigido munime thorax
Ferreus, imbelli quem contra plumbeus ictu
Imber iners cadit, & plantas frustratus adorat;
Gallia per totum variis cælata figuris
Emicat, & late per lamnas ductilis auri
Innumeræ fulgent pretiosis mœnibus urbes.
Clissonius celso stetit altus vertice collis,
Unde situm multoque aditus munimine septos
Explorat solers, oculisque præoccupat urbem:
Partitur mentem, veluti qui pervigil omnes
Puppe sedens ventos, impendentesque procellas
Nubibus in mediis notat, eluditque magistra
Arte gubernator; pariter quocumque vocat res,
Pervolat, mentemque ad singula dividit unam:
Talibus intentum studiis prognatus Ibero
Semine portat equus, cui frontem congener albis
Stella notat maculis, & pugnæ conscius ardor
Natïvas acuit crebris hinnitibus iras.
Gens fossis Hispana suis obtecta tenet se, Hispani.
Haud aliter, quàm cæca diu tellure sub imâ
Talpa suis infossa cavis, inpervia luci
Antra amat, & patrios sibi condere docta penates,
Subter init tractus, donec capita ardua sursum,
Erigat atque animos, quos fecerat additus ultrò
Transfuga Borbonius, nostræ damnum, iraque gentis:
Huic Carrera comes, Mendosaque, fulmina belli

Irritant Martem, & ferri in certamina gaudent.
Ponè ſubit Staphilas, in cujus ſtemmate picto
Viſitur infrendens pro raptâ prole leæna,
Maſcardus graditur, Palaphoxque, & Gartius alto
Altus equo ſequitur Suarus, quem nobilis albâ
Fronte gerit ſonipes, clarumque oſtentat in armis
Arduus, elato ſurgunt cui vertice criſtæ:
Fulgentes humeros oſtro ſaturata rubenti
Lana gravat, frontem flavâ tegit ærea criſtâ
Caſſis, & obtorto per collum flexilis auro
Circulus, excurrit, pulchrum qui ſuſtinet enſem.
Proximus eſt Obales, dein Glaphirus, ultimus Ophta.

Progrediuntur.

Vix aurora polo, terriſque exegerat umbras
Rorantem ſuccuſſa comam, cum claſſica longè
Et litui ſtrepuere, ferit cava ſydera clangor,
Armataſque acies in fervida prælia poſcit.
Jamque propinquabant turmæ, cum lecta juventus
Horriſono clamore fremit, clypeataque totis
Agmina ſe fundunt campis, Martemque laceſſunt:
Tum crepat horrendùm tuba, montes ac loca longe
Reſponſant, circumque vago tonat æthra fragore.
Concurrunt acies, primuſque furore Columna
Actus equum Gabali, collum ferit inter & armos,
Saucius infrendet ſonipes, & colla ſuperbus
Attollit, fuſumque hoſtem ſuper ipſe ſecutus
Implicat, & fulvâ moribundum ſternit arenâ.
Audiit hæc Stapilas, & caſu motus amici
Diriguit, fluxere genis per ora decoræ
Ne quicquam lachrymæ, ſolamen inane doloris.
Bajardus totas acies ſternitque, fugatque
Fulminis in morem, tantum valet ardua virtus
Fortunam contra, laudiſque innata cupido:

Bajardus hac in prælio obiit Annal. franc.

Ille

Ille hominum supra, sortem mortalis & ævi,
Nec minor Alcide, audaces exsuscitat iras,
Irritatque necem, donec, vibrata lacertis
Ignotis latus hasta ferit, neque vulneris author
Jactavit se se, talique superbiit ictu,
Nec tamen effuso restinguitur ira cruore,
Voce minax oculisque ferox in sanguine fusus
Quærit adhuc hostem, & cunctantia fata lacessit,
Donec crebra manus superastitit, & pede presso,
Densatimque ruens multo transverberat ictu:
Surgerius ferit hunc mucrone hunc cuspide longa;
Et capita ingenti dextrâ truncata duorum
Ostentat cœlo, & rorantia sanguine portat.
Arentem veluti in sylvam, & crepitantia lauro
Virgulta igni edax sævit; non segnior ira
Æstuat, & totis in vulnera viribus ardet.
Olli per tegmen capitis, ferit acta cerebrum
Hasta, nec incauto galeæ mora præfuit æreæ
Lavallum proavos, & avorum longa sonantem
Nomina, perque duces actum genus omne Britannos
Contigit oppetere, & terram consternere tergo.
Quà campis adversa phalanx erumpit in hostes,
Attollitque manus, huc toto pondere vergit
Horrida tempestas pugnæ, stat ferrea belli
Sylva, segesque ferax mortis; procul ære corusco
Sole velut duplici radiatus lumine campus
Totus inardescit, fluvii micat unda propinqui
Concolor, & tremulâ sub Martis imagine nutat.
Ante alios, Sarabella, micas, præcingis honestum
Ense latus, dextramque hasta, clypeoque sinistram:
Plurimus in vultu Mavors, humerisque refulget
Artis opus lorica novæ, quæ luce refusa
Clara repercussum geminat per inania solem:

Hanc super apparent numerosa trophæa parentum,
Mulciberi cælata manu, miratur & ipsos,
Quos tam sæpe parit, victoria sculpta triumphos:
Thracius hunc sonipes maculoso tergore portat,
Argutum caput attollens, atque aurea mandens
Fræna ferox, pavidasque hinnitu territat auras.
Mox redeunt acies lunatis frontibus ambæ
Confunduntque neces, volat eminus acta sonanti
Impete, & hostiles grando ferit ænea turmas.
Alternat Bellona vices, & mutua denso
Damna serit ferro, & cædem pro cæde reponit.
Par cuneis ardor; sternuntque, ruuntque vicissim
Vincentes victique: loci pars nulla periclis
Parte vacat nulla; cœloque feruntur utrinque
Inde necatorum voces, atque inde necantum,
Responsant valles & questibus aggemit Echo.
Pulvereo surgit glomerata volumine nubes
Furaturque diem, & nimbo subtexit opaco.
Fœta vomunt tormenta necem displosa per auras,
Queis trepidant sylvæ, & valles clamore resultant.
Exitus belli infelix Gallis. Hac memorata tenus generosi exordia belli,
Exitus at qualis fuerit, ne quære doceri;
Namque fugam Gallus lento per devia gressu,
Instruit in pugnæ speciem, pressoque recedit
Agmine, cunctanti similis, dum proximus instat
Undique terga premens hostis, carptimque maniplos
Vellicat extremos, atque agmina fervidus urget:
Projiciuntur opes; sua cuique onerosa, gravisque
Sarcina; non currus secum, non arma juventus
Cassa trahit, galeæ passim, cristæque per agros,
Loricæque jacent, & acuto hastilia ferro.
Quis tutum putet iratis occurrere Gallis?
At melius, superi! gentiles inter acerbis
Defunctus furiis, ivit Lojola per hostes
Illæsus

Illæsus, secum officio certare paratos,
Bis jam hostes patriæ, spem contrà, expertus amicos:
Accipit augurium cœlesti fœdere quondam
Jungendos sibi Francigenas, & diligit omen:
Gentilem ceu penè suum dux Vasco foveri
Imperat, & vires mensa reparare cadentes.

Ignatius benignè excipitur à Gallis.

Postquam epulis est victa fames, sermone requirunt,
Quis sit, quodve genus, quo tendat, & unde profectus:
Ille pudore genas casto suffusus abibat:
Tum qui adeiat vates, memor ut Lojola recentes
Victor Avernali retulit de morte triumphos,
Factorum seriem, & mutatæ exordia vitæ
Versibus his, cœlo vim sufficiente, canebat:
Gallica tum pubes assensu & murmure læto
Gaudia testantur, sua quod tormenta vibratis
Missilibus mentis fœlici vulnere figant.
Ille igitur solio vates sic orsus ab alto est,
Dum vocat alma quies, & festis otia castris.

Quod præ pudore de se non dixerat supèrius Ignatius, hic à vate quondam pluribus narratur.

Qua Pompejolis vastos circum undique montes
Aspicit, & nivibus Navarra rigentia cœlo
Involvit capita, & quassis anfractibus horret,
Se se planities latè radice sub ima
Porrigit: hic geminas latis cum mœnibus arces
Urbs populis opibusque ferox hostilibus armis
Objicit, & proprio inter propugnacula Marte
Tuta sedens, hosti dictis insultat amaris;
Hinc Lojola suos inter fortissimus unus
Pectora pro vallis, qua Mars acerrimus instat,
Objectat bello, lethumque hostemque lacessit:
Nec, si fortè arces labefactaque mœnia fundo
Versa ruant, non in media perstare ruina
Gestiat, atque omnes certando absumere vires.
Quin & fœmineas animas, res aspera quando

Pompejopolis obsessa.

Urget, Amazoniâ fuſos mutare ſecuri
Provocat æqua viris virtus, atque æmula cœlo.
Stat operi accinctæ matres; natæque, nuruſque
Certatim auxilio ſubeunt, nil Martius horror
Armorum, ſtrepituſve, nihil diſcrimina terrent:
Undique fervet opus; pars pulvere fœta nigranti
Dolia convectat, pars arma ignique creando
Materiem funes facilem, glandeſque miniſtrant:
Arboreas aliæ corbes, munimina portæ
Ingeſtâ ſtipant terrâ; defeſſa virorum
Corpora procurant aliæ: amor omnibus unus,
Fortunæ & belli quemvis durare laborem:
At non fœmineos gemitus, diroſve ululatus
Aure bibas; vitam credant & vulnus honeſtum
Penſari decoris pretio, patriæque ſalute.
Parte alia Gallus foſsâ, jactiſque retardat
Molibus, atque aditus murorum intercipit omnes,
Civibus excidium intentans, muriſque ruinam.
Sed quid ego hæc? vobis, ſuperi, victoria major
Quæritur, obſeſſaque aliquis pretioſior urbe:
Incertæ tandem ſortis diſcrimina ſolvit
Gallorum ingeminans manus, & cedentia retro
Pellit agens, verſiſque ſequax fugat agmina ſignis:
Fit via vi, numero paſſim contracta minore
Rareſcit fugitiva phalanx, crebriſque ſuorum
Cædibus anguſtat callem, volat undique ferrum
Deſutoque madet tellus corrupta cruore:
Huic pectus ferit haſta tremens, coſtiſque ſolutis
Vulnere, vitam adeo propriis in fontibus haurit:
Huic gladius caput abſcindit, ſine nomine truncus
Volvitur, & calido ſingultat ſanguine collum.
Acrius invigilant Galli; latéque per orbes
Linea circumducta ſuos, vix aëris uſum
Hoſtibus, & fluidæ laxat commercia linguæ:
Accedit longæva fames; quid mutet in ægris,

Fames obſeſſorum incredibilis.

Ar

Aut minuat, vix morbus habet; mirata colorem
Per vultus errare suum Lybithina, vagari
Credidit exangues, & egentes corporis umbras:
Urbs ergo partitur veluti vallata secundâ
Obsidione famem; furit illa immitior hoste
Intus acerba ferens, & sternit inertia letho
Corpora: consuetæ jam nulla est copia frugis.
Humanæ jam nulla dapis: miserabile vulgus
In pecudum cessisse cibos, & carpere dumos,
Et truncos morsu spoliare, necemque ferentes
Vellere ab ignotis cœpit radicibus herbas,
Pabulaque, humanis antehac incognita mensis,
More gregis populari, & glebas scalpere terrâ. *Annal. Hispani.*
Pais pro fruge legit lethalia cespite vivo
Gramina, radicesque altâ tellure repostas
Eruit, obscuræ per amica silentia noctis;
Frondentesque comas rauci distringit acerni,
Quas longo mollire foco, calidaque coactus,
Atque per attritas utero demittere fauces,
Lethiferis utcumque cibis jejunia solvit.
Discissos ille (ô nulli factura nepotum
Musa fidem) rabidis discerpit dentibus artus,
Atque Thiestæas Solymæ ostensura furores
In sua crudeles armat penetralia palmas.
Ex longo furibunda parens, dapibusque scelestis
Pascit inexhaustas cognato è sanguine fauces:
Nate, inquit, rabiem solabere ventris inanis,
Vesanamque famem: te pondus ambile menses
Visceribus bis quinque tuli, totidemque ligatum
Fasciolis, niveo lactantem flumine pavi:
Mercedem afflictis tanto pro munere labris
Solve, puer, rursusque in viscera mergere matris.
Sic ait, atque avidis fumantia faucibus exta
Ingerit, agnatasque dapes in pectore condit:
Deficiunt matres aliæ; jam lumina retrò

Exesis

Exesis fugere genis: jam lurida sola
Tecta cute, & venis male juncta trementibus ossa
Tantum extant: pallente putes Acheronte revulsos
Exire, & manes supera ad convexa reverti:
Hæc notus feritate Getes, durusque Sicamber,
Et rupem rigido gestans pro corde Gelonus
Ferre neget, largoque sinus emolliat imbri.
Quin etiam rabidi subigunt jejunia ventris
Hos alias tentare dapes, resolutaque nudos
Linquentes clypeos, armorum tegmina dente
Scortea, & ambesas morsu consumere pelles.
Ille vorax duris taurorum tergora mandit
Direpta è balteis: hic lora rigentia morsu
Frangit, & accensis quidquid mollire caminis
Vulgus inops aut dente potest; quodcumque pudendum,
Id vescum putat omne: loqui quæcumque negarent,
Ora vorant; certo quæ teste accepta recordor.
Mors erat in votis: curam plebs ægra sepulchri
Perdiderat, patriæ in tumulum contenta ruinis.
Quo cadat urbs spatio, fatis angusta cadentum,
Vix reperit? cæloque caput quæ celsa ferebat,
Fit posita cervice sui pars parva sepulchri:
Jamque virûm fuso restagnat sanguine flumen
Decolor, & tellus inhumatis ossibus albet.
Dum loquor impatiens denso simul agmine Francus
Ingruit, & fumos inter, flammasque sequaces,
Terribilesque globos, transfixaque corpora telis
Quærit iter ferro; mors undique, & undique cædes:
Vix spes ulla super, jam versa ex parte feruntur
Mœnia, jam fuso fluit omnis sanguine miles:
Ecce ducem civesque inter discordia surgit:
Illi urbem reserare jubent, & pandere portas
Hosti

Hostibus, hic contrà pergit defendere muros:
Ut cum pastor apes latebrosa in rupe latentes
Vestigat, multoque implet loca concava fumo:
Illæ intus rerum trepidæ, per cerea castra
Murmure concurrunt querulo, dux providus instat,
Castigatque metum, atque animos stridoribus addit;
Haud aliter celso media inter millia ductor
Vertice tela manu crispans, quo ceditis? inquit,
Ante domos murosque (id solum rebus iniquis
Deerit) excindi patimur? vos ô mihi semper
Este boni, manes; nam sancta & nescia culpæ
Descendam vobiscum anima, haud indignus avorum:
State viri, simul ecce volat, simul unus ubique
Cernitur, ô: juvenis quonam te carmine dicam?
Murus eras patriæ, murum quæ sternere posset
Machina sola fuit, nullæ valuêre cohortes;
At ope non hominum, non cæcâ hæc sorte geruntur.
Major agit Deus, & facta ad majora reservat.
Interea ignivomo globus actus fulmine, murum
Dejicit, & saliens in proxima saxa refracto
Impete, ductorem geminato perculit ictu:
Vix extrema cutis fugientem hinc inde medullam,
Fibrasque ambiguas, & pendula fragmina servat;
Concidit exanimis: calor ora colorque relinquunt,
Immotusque solo, mortique simillimus hæret:
Haud secus ac rigidis ubi flatibus ingruit auster,
Hæret inops animæ, & lasso rosa caule recumbit:
Ad casum micat hostis ovans, plausuque triumphat
Insolito, pactisque tenet sub legibus urbem.
Protinus ut se se fregit vix prima doloris,
Atque viæ longæ duros utcumque labores
Ferre datum, subito languentia membra cubili
Arte laborato, & lecticæ pensilis arcu
Compositus molli, patrias portatur in ædes.

Ex-

Exhaustos cernas resupini, corporis artus,
Exsuccasque manus, & inerti arentia trunco
Brachia: purpurei vultus, viridisque juventæ
Defluit omnis honos, tenebris obsessa rigescunt
Lumina; pallentesque genas, penitusque reposta
Tempora fœda cavat macies, dum sævior intus
Pestis agens vorat, & crura implacabilis urit:
Utque armis nudata ratis, clavoque revulso
Debilis, huc anceps dubiam se motat & illuc;
Haud secus in stratis vix brachia languida versat
Artificesque manus, vix & vestigia firmat,
Ast hinc corpus iners contorquet & inde, gradusque
Incassum primos per inania vota requirit
Ergo ubi depositam medicorum, artisque magistræ
Sensit opem; bis senæ, inquit, Dux inclyte turmæ,
Cui clavis cœli, & custodia cessit ovilis,
Si quid ego de te mervi, fuit aut tibi quidquam
Dulce meæ vocis, quando tibi carmina panxi
Clangores inter lituorum & classica belli,
Si fragilem misero fas est optare salutem,
Aspice nunc vatem, dubia sub morte trahentem
Relliquias animæ; si per te vixero, lucis
Acceptæ immemorem me nulla redarguet ætas.
Ergo labris abeuntem animam, primoque fugacem
Hospitio revoca, & moribundum subtrahe letho:
Vix ea, cum Petrus morbi refrigerat æstum:
Jam color & primæ sensim præstantia formæ
Ora subit, vegetæ redeunt in pristina vires
Paulatim, agnoscitque suos Ignatius ignes.
Perge age, Lojolides, non hæc primordia rerum
Deposcunt humiles animos; sed grandibus ausis
Convenit æqualis virtus: ergo auspice cœlo
Aggredere insuetæ clara incunabula vitæ,
Bellabit Christus tecum, nutuque secundo
Cla-

...abit pugilem, cœptiſque ad cuncta favebit.
At jam finis adeſt, errorum hæc meta tuorum,
...ati; jam læta novis exordia Chriſtus
...ſpiciis properare jubet: ſed provida ſenſim
...cta movet pietas, rebuſque infuſa gerendis
...empore quæque ſuo, proprioque fluentia curſu
...igerit, & nexas tacito regit ordine cauſas.
...lle moræ dudum impatiens, ignavaque damnans
...tia, & ingrati languentia tædia lecti,
...a lento ſentit greſſu diſcedere morbi
...elliquias, plenoque redux ſe robore virtus
...duit, & ſtabili firmat veſtigia greſſu,
...lamat librum, qui doctus nomina rerum
...gere, qui ſimulare duces, qui ludere bello,
...raque compoſitò mentiri prælia norit:
..., dum pugna deeſt, fictá placet arte priores
...ſtimulare animos, Martemque accendere fraude:
...otinus exiliunt famuli, qui ſcrinia prompti
...entis luſtrant oculis, verùm irritus hæret
...que labor: magni proh ſedula cura Parentis
Hic vigilas; dociles que vocas ad numina caſus!
Occurrere libri, Chriſtum Chriſtique ſequaces
Qui referant, nomenque canant fera bella moventum
...contrà, mundique dolos, Erebique furores,
...ſpicua qui per tela, per invia & horrida ſaxa,
...pice torrentes flammas, curviſque rotarum
...ibus armatos, gladiiſque minacibus orbes,
...per mille neces, ad honeſtæ mortis honorem
...tendunt avidi, atque ingloria fata recuſant:
Tum, qui per medias cautes, deſertaque teſqua:
...deſolatas vaſtæ telluris eremos
...notas tenuere vias; noctesque diebus,
...in cœlo defixi hærent, junxere precando:
Quique ingens puro ſtimulati pectus amore,
Non ſibi ſat vixiſſe rati, linguâque, manuque

Ina-

Immersas tellure animas super æthera portant
Nec sudare suis nota in regione propinquis
Contenti, ultra lucis iter, cœlique meatum
Extendere suos latè cum sole labores:
Perque feros pelagi tractus, insessaque ditis
Syrtibus & scopulis maria, horribilesque procellas
Æthereæ lucis radios fœlicibus ausis
Effudere procul, qua sol oriturque, caditque:
Hæc te certa manent tristis solatia casûs,
Ignati, pulchróque means in pectora furto
Gratia longè alios tibi jam molitur amores:
I, fruere igne sacro, & meliores ebibe flammas.

Legit vitam Christi & Sanctorum.

Primum ergo distracta levi transcurrere saltu
Scripta vagus, nec verba animo, nec sensa morari;
At velut erranti volitare per obvia cursu;
Mox avide, oblitusque sui, oblitusque dolorum
Dulcibus indulget scriptis, & totus inhærens
Mente vorat sacros, heroum insignia, fastos,
Non secùs ac sitiens se proluit amne viator:
Tum pietas se se insinuans spiramine molli
Intrat, & in tenues altè subit usque medullas;
Nec requies donec mortalis funditus ævi
Abductum studiis, totum sibi vendicet uni.
Sic dum continuo populatur rura vapore
Sirius, & longo tellus induruit æstu,
Ante relaxatis quàm nubibus ingruat imber
Densior, & feriat crepitanti verbere campos,
Principio guttas sicco cum pulvere miscet,
Clarescunt sonitus, undæque feruntur inanes;
Impete mox majore ruens madefacta meatu
Spiramenta aperit, partesque illabitur omnes,
Tum laxata sinu bibit haustum terra liquorem,
Infusoque rigans fovet arida germina rore:
Ergo jam patiens divini numinis, æstu
Fervet inexpleto; mentem subit entheus ardor

Lojolæ, alternos ſentit collidere motus,
Adverſiſque acies geminas concurrere ſignis,
Donec anhelanti erumpens ſit pectore fatur;
Quid legis, Ignati? quæ charta renuntiat alto
Miſſa polo, ſede è patria? mutatus ab illo
Quam videor, qui nuper eram, dum bella fremebam! *Ignatius vitæ mutationem ſecum ſtatuit.*
Eripiorne mihi? tu, Chriſte, hæc vincula rumpis,
Et conjuratos in proxima funera nexus:
Hoc etiam, inſanæ quod turbine molis agebas,
Fumantemque animo, & rigidâ cervice tumentem
Sternebas, eheu! tumuloque Ereboque propinquum.
O placidos ictus, ó dulcia vulnera patris!
Nil agis, ô blandæ ſpes illecebroſa juventæ,
Et armis quæſita diu, fuſoque cruore
Gloria: vos fragilis mendacia numina mundi
Ite procul: Deus ille Deus, cui nomina mille,
Mille juvandi artes, manifeſto in lumine clarus
Iſta mihi ſimulachra modis fallentia miris
Noſſe dedit; certoque liquet, quàm nulla ſuperbis
Tuta quies, quam vana fluant refluantque per orbem
Omnia, quàm tenui mortem diſcrimine vita
Dividat, & putri jaceat vicina ſepulchro:
Et ſimul, heu! quàm multa trucem brevis ora ſub orcum
Millia præcipitans torrenti ſulphure mergat:
Et, ſi nulla meis Memeſis vel pœna ſuperſit
Criminibus, juvat æternis ſudare triumphis,
Poſthabito mundi illicio: juvat ire per amplum
Virtutis ſtadium, patrioque intendere cœlo:
Hæc una ambitio, hæc laudum ſeges una probatur,
Quæ placuit Chriſto: nec me via terret euntem,
Cum per mille cruces, juvenes, genus omne, ſeneſque
Tot præeant, tenues numerat quot littus arenas,
Quot ſcintillantes oculi de nocte coruſcant.

His

His ducibus pavido pudeat ſubſidere greſſu;
Dumlicet, hos paribusvotiſque animiſque ſequamur,
Hæc inter, ſuccuſſa vibrant præcordia voces,
Affineſque fluunt per conſcia lumina rivi,
Cum ſe tranſverſam objiciens maleſvada voluptas
Concutit illicio, notâque cupidine pulſat:
Mene fugis? æternumque fugis? liquiſſe priores
Mors erit illecebras, primum & dediſcere ritum:
Infremit aſpectu juvenis, ceu turbidus auſter
Improviſus adeſt, & ſtrata per æquora longo
Exiliens curſu, tranquilla ſilentia turbat.
Protinùs erumpens thalamo, genibuſque volutus,
Quo ſe nota vocat Magnæ Genitricis imago,
Sternitur, ac longis tantùm ſingultibus orans,
Vocis opus jugi lachrimarum flumine ſupplet:
Audiit alma Parens, ſacrumque aſpirat odorem,
Qualem neſcit Arabs, qualem Panchaia neſcit:
Libera cæſaries longe per colla, per armos
Funditur, ac tenui ludens ſe flamine motat:
Defluit acta pedes argentea veſtis ad imos
Undique, quam molli præcingit faſcia limbo
Cærula, ſed crebris intermicat aurea bullis:
Cætera parce, manus, tuque audax parce, Thalia:
Quæ ſint flammæ oculis, placidæ quæ gratia fronti
Dicant cœlicolæ, & forſan memorare laborent.
Illa igitur, qua voce ſolum, tractuſque jacentes,
Quo freta, quo cœlum, tempeſtateſque ſerenat,
Macte animo, dixit, juvenis; quid inania nectunt
Monſtra moras? leviora hæc ſunt; fiducia dictis
Eſto meis, audere adeo majora memento:
Dixit, quemque ſinu appreſſum, mammiſque fovebat,
Parvulus aſſiliens blandùm matrique, clientique
Annuit, ambroſioque dedit læta omnia viſu:
Senſit opem ſupplex, æſtuſque metuſque ſolutos:
Haud

Haud secus atque leves quas texit aranea telas:
Tum vero liquidum per iter se sponte ferentem
Insequitur, quantum potuit durare videndo,
Mortales donec visus evincere summi
Cœli apicem nequeunt, & subtrahit invida nubes.
Tum subito inclamat, fugientem hac voce secutus;
Rumpo moras, tardumque dies me nulla videbit.
Hæc ubi dicta; thoro circùm fragor insonat ingens,
Acta repercutitur stridenti à cardine porta,
Emotæque trabes crepitant, distractaque tigna:
Diffractæ saliunt in grandia frusta fenestræ;
Totoque tremens fremitu tectum omne remugit:
Sive Phœbi trepident acies, jamque ipsa profundis
Tartara gurgitibus metuant, præsagaque longam
Horrescant modico venturam è semine cladem;
Seu pater omnipotens jam tum prænuntia terris
Signa daret, quanto ductor Lojola per orbem,
Exemploque ducis proles generosa tonaret
Eloquio, quanto dictorum fulgure turmas
Terreret hostiles: quanto fera regna tyranni
Pondere concuteret; quibus altas funditus arces,
Templaque, & infames convelleret ictibus arces,
Tandem læta dies oritur, cum numine plenus
Egreditur gemitus inter lacrymasque suorum:
Dumque genu graditur tardante, & viribus ægris,
Conspicuum dat se manifesto in lumine Christus:
Heu mihi qualis erat! quàm non patris una voluptas,
Ipsius amor quondam! dependet ob arbore funus,
Et fluido rorant tabo liventia membra: *Ex Annal. Societ.*
Horruit aspectu Lojola, & territus infit;
Sum reus, & ferrum per plantas, perque cavatas
Per manus jussi: per me ultima manat aperto
E latere extremi, superest quæ, gutta cruoris:
Omnia non puduit perducere vulnere membra

Continuo, ſpinâque caput cinxiſſe verendum!
Mene cruentatis ſuperaddere vulnera membris
Præterea? vel juſſa Dei contrà ire rebellem?
Hæc ait, at majora putat: nam non color unus,
Non unus vultus; caſſi nunc lumine languent,
Et nunc acre micant oculi: pulcherrima frontis
Forma prius, jacet, atque in mortem decolor exit:
Nec ſat multiplici longarum ambage viarum
Aſpera quæque pati, laſſoque ex crure dolores:
Non prius ad vigiles oculos obrepere ſomnum,
Aut modicam membris ſinit aſpirare quietem,
Fervidus intorto quàm nuda in terga flagello
Sævierit: dicas hoſtilia corpora plagis,
Durave perpetuo contundere verbere ſaxa,
Grandineve horribili crepitantia tecta ſonare,
Ni laceris tandem ex humeris cruor undique manans
Humanos vivi teſtetur corporis artus.
Jamque adeo optatam ſcopuloſo culmine rupem
Eminus, & ſacræ faſtigia proſpicit ædis:
Ecce autem, dum caſta novo ſe gaudia motu
Inſinuant, jucunda dies obvolvitur umbrâ:
Ira poli, terræque pudor, barathrique probroſa
Eluvies, hominis monſtrum, proſcindere famam
Virginis, & meritos decepere cœpit honores;
Ac, dum virus atrox ſancti in miracula partûs
Plena voce vomit, ſimul evolat ocyor auſtro,
Quáque procul tritus nota ad divortia callis
Mutat iter, viliſque oſtendit ſtramina pagi,
Irrequietus equum paſſis admittit habenis,
Milleque ſudantes fodicat calcaribus armos:
Æſtuat ambiguus juvenis, nutantia pendent
Conſilia, & dubium ſtudia in contraria jactant:
Hinc ſopita diu ſtimulis pungentibus ira
Exurgit, primoſque fremens recaleſcit in ignes,
Quippe

Quippe ſtabit, ferro latrantem exſcindere linguam,
Et mittere caput ſceleratum; hinc anxia frœnos
Mens cohibet, ſtrictoque tenet veſtigia nodo:
Hæc demum ancipites firmat ſententia curas:
Si rectos ſonipes ultrò deflectere greſſus
Ambierit, qua præcipiti ſe turbine Maurus
Proriperet, certum eſt hominem configere dextra,
Tartareamque animam tranſacto extrudere ferro;
Sin porro inceptos agilis prætexere curſus
Inſtiterit, melior veniam clementia monſtro
Ponderet, cædemque, polo nolente, vetaret:
Ignoſcenda bono rudis hæc, & cruda clienti
Simplicitas, primoque oriens in ſemine virtus.
Et natura quidem, & teneris conatibus ægra;
Sed tamen illa brevi juſtas infantia vires
Educet, & pulchros late ſuccreſcet in auſus.
Dum latè ſilet omnis ager; curiſque ſolutos
Irrigat, & placidis homines amplexibus ambit
Blanda quies, novus in media teſtudine templi
Pervigilat pugil, & magnæ vovet arma parenti,
Pendulaque ad ſacros figit donaria poſtes,
Enſemque & gladium & reliqui decora omnia belli:
Inde aliâ ſpecie, & craſſo velamine cinctus
Excubat inſomnis, quàm nox ea longa cucurrit:
Illic ſibi, patiturque ſacros à numine ſenſus:
Quin etiam rigidus ſecum bella horrida bella
Ille agit, nec pugna levis; nam ſanguine multo
Terra rubet, vulnuſque frequens deſcendit in armos:
Sed tamen fit lege nova, non tincta cruore
Hoſtili jam tela placent; ſed pectore Pallas
[illegible] iners, & quod poſitis reſtabat ab armis.
Primum repercuſſæ dum vidit ſpicula lucis,
Protinus ignoto properat ſe condere vultu;
Hic ubi ſecurus lateat, longeque remotus
Hauriat humanæ dilecta oblivia laudis.

Finis narrationis quam habuit quidam Poet.

Dixerat hæc vates divino percitus æſtu,
Cum tantæ celebrant omnes miracula dextræ.
Exilio mutare domos, & dulcia vitæ
Limina, dum ſignum Deus explicat author eundi,
Duxque præit, ſi grandis honos, & laudis habetur
Argumentum ingens, poſtquam ſuper æthera clarum
Gloria Thariadem vexit, longâque nepotum
Ornavit ſerie, cœli quia juſſa ſecutus
Poſthabuit natale ſolum pietatis amori,
Quantus honos, Lojola, tibi, qui finibus exul
E patriis, toti naſcens quam prætulit orbi
Rex ſuperûm, terram optaſti, meditatus ad aſtra
Signiferi per trita ducis veſtigia, tecum
Ducere collectos omni de gente maniplos?
Nec laus parva manet Muſas, aut gloria vatem,
Qui veri ſteriles verſus, & ſomnia damnat:
Non canitur longis erroribus actus Vlyſſes

Laus Poetæ qui ſuperiora narravit.

Neptuno exercente ſuis pro mœnibus iras,
Vel qui Trojanam tanto molimine gentem
Reſtituit Veneris proles, Junone ſiniſtrâ,
Vectus in Italiam, recidiva ut Pergama victis
Poneret, & magnæ daret incunabula Romæ;
Mentiri hæc alios juvat, atque inſcribere chartis;
At majora canit, quæ ſuggerit Enthea virtus.
Sed ſatis, Uranie, jam te nil noſtra morantur
Carmina, conciliis ſuperûm te reddere juſtum eſt
Emeritam; prius ipſa tamen, quæ fundo parenti,
Natorum in ſenſu, cerâ vix cærite dignus,
Vota refer; facies gratis ea maxima labris:
Dive, decus noſtrum, ſtellantiſque indiges aulæ,
Nomen ab igne gerens, cui nutrimenta miniſtrat
Fomes inexhauſtus, rerumque perennis origo:
Si non flammivomis portata jugalibus illuc
Membra tibi, Thesbitæ inſtar; tamen aſtra tenentem

Nos tua progenies oculis & voce secuti
Oramus, patrio nobis de pectore mitti
Ingentes animos, quibus orbis uterque pusillus
Ad stadium veniat, mensuraque corpore major.
Manere quid potius tanto? dignoscere tectas
Nubibus obscuris, vel res aperire futuras,
Nos humiles animæ (quamquam divina propago)
Non petimus; torrentis aquæ nec rumpere cursum,
Cœlo ignes excire, animas revocare solutas;
Sed studiis ambire Deum, terrasque per omnes
Indocile, oblitumque genus mortale, Tonantis
Mittere sub leges, & Relligionis honorem.
Nil nova commemoro, nil pristina monstra retexo
Infames Erebi partus, & germina Ditis:
Jam ruit in pejus semper vitiosior ætas,
Utque timet nullum, nullum sic numen adorat:
Obstupet Euphrates placidarum rector aquarum,
Et stagnantis aquæ, pigræque paludis ad instar
Colligit immotus se se, pigroque gelu stat,
Frigore testatus, glacieque rigente pavorem:
Suspendit fluidam Tigris stupefactus aquæ vim,
Vel refluum in fontem converso vortice fluctus
Retrahit, & gressum in vestigia prima retorquens
Horret ad aspectum, crimenque immergere tentat;
Quæ totum turbis discordia misceat orbem,
Prospicis: ardescunt odiis civilibus urbes:
Et quis erit modus? ô hominum studiose repertor,
Aurea pax oris nunc omnibus, omnibus aris
Poscitur; Ignati, magnæ genitricis ad aram
Qui defixa tholo requiescere tela dedisti,
Ponere tela jube: gladios vagina recondat,
Bellique excluso sileant tormenta furore:
Da fessi bifores Lodoico occludere Jani,
Sit nato laus summa, patri quæ defuit una;
Quippe potes, nec enim tantùm circum ossa superstes

Halitus expirat Romanâ è sede sepulchri,
Quam veneror longè sejunctus ab Alpibus, inter
Armoricos populos, Ligeris circa ostia natus;
Sed toto procul orbe viget delapsus ab astris
Spiritus, inque suos exuberat inde sodales.
Quod si non potui lauros in vertice Patris
Ponere, quem cœli statuit super ardua virtus,
Ante pedes saltem licuit conferre corollam
Contextam saliunçâ humili, & sylvestribus herbis:
At bonus audaci, Lojola, ignosce camœnæ,
Quæ gracili laudes potius tenuavit avenâ,
Quam cecinit, nisusque suos in damna retorsit,
Dum levibus numeris tam sacra retexuit orsa:
Et fateor vires præter, super astra volatu
Tendimus in præceps: nec enim mortalibus ipsis
Audendum, quod vix superis tentare potestas;
Sed pergo, quò meta vocat versusque viæque.

Venit Ignatius in Galliam.

Excipite, ô Galli, vestrâ intrà septa jubentis
Numinis imperio reducem, tectisve fovete:
Vota placent superis; ultro jam florida tellus
Purpureum meditatur iter, totusque futuram
Solvitur in pompam terræ labor, omnis in unum
Conspirat Zephyrus, sertisque recentibus halat;

Narrat socio itineris quid in Palestina viderit, & describit loca.

Et mox Lojolidi socius se jungit eunti
Non tenui mercede: refert namque ille viarum
Eventus varios, quæque infœlicia vidit
Rura Palestinæ, Turco vastata colono,
Describit positos Solymæa ad mœnia colles,
Æternos famâ colles, licet atterat ætas,
Fœdaque diluvies bellorum everterit ævi
Antiqui decora, & primos pietatis honores.
Hìc, inquit, qua parte Sion fastigia tollit,
Prima mihi statio; quo vertice manna beatum
Depluit in terras; & cœlo diditus ignis;
Moverat inde gradum sero sub vespere Christus

Pe

Per Cedronis aquas, montem subiturus Olivæ:
Vidimus imbutas sudore precantis arenas,
Virginis & tumulum, & tumulo superaddita templa.
Hic stetit ante aras, hîc flumine mersus amœno,
Attactuque sacravit aquas; hîc pendula fixo
(Heu crudele nefas!) dedit alto corpora ligno.
Hic jussas Abraham natum mactasset ad aras,
Ni Deus intentum vetuisset faucibus ensem:
Altera pro puero cultros ovis hostia tinxit,
Quæ tantum patris obsequio, gnatique litavit:
Intus operta tenent mystæ: mens omnibus una est,
Reddere, quos ætas Christo decerpsit, honores.
Ante fores stabulant Turcæ, custodia qualis
Excubuit tumulo: mox indignatus acerbas
Instabilesque vices rerum, comes ore reponit;
O te fœlicem votorum! ô sydere dextro
Nate hospes, cui ter sanctam venerarier oram
Præsenti, licuitque pium superare laborem:
Sed tamen ille Deus, qui crimina fulmine vindex
Insequitur, sacris dominari in sedibus hostes
Cur sinit? aut cur se patitur tam lentus inultum?
Parce, hospes, velle arcanos tentare recessus
Cœlicolum, Lojola inquit: rationis egestas
Et mortale genus tantis nos submovet ausis:
Si qua tamen nobis superi prudentia sensus,
Dicam equidem: quòd digna coli, tamen impius arva
Jam teneat, major divinis gloria rebus
Hinc venit: arma olim Christum sub rupe jacentem
Præsidio cinxere pari, cumque objice postes
Signati custode nota; nihil ulla moratus
Claustraque, roboraque aëriis se reddidit auris
Victor, avernalem revehens de morte triumphum:
Hinc majus decus accedit, quàm laxa sepulchri
Ostia, vel castris incustodita dedissent;
Sic, dum barbaricæ servant juga sancta cohortes,

Objectio comitis quare Hierosolyma in manibus Turcarũ.

 Ingen-

Ingentique aditum vendunt venientibus auro,
Esto auri vendant, non relligionis amore,
Hinc laudanda magis pietas apparet ementum.
Non solo lustrator iners excurrit eundi
Advena consilio, quid enim mutare penates
Juverit exilio, nisi quos sors læva malorum
Aut scelerum furiæ exercent, aut tristis egestas?
Scilicet hos orbis lustrandi extrema cupido
Quærere diverso sub sole jacentia regna
Sollicitat, quæ deinde suis miracula narrent;
Ast alios longe studiis melioribus ardens
In longinqua trahit pietas, Numenque sequuti,
Seque suosque fuga, patria cum sede, relinquunt:
His hærere locis certa mihi mente sedebat,
At non obsequio, tali non hospite Christus
Nunc eget; auspiciis ergo majoribus actus
Illuc progredior, quo clara Lutetia fines
Colle suburbano gelidam protendit ad Arcton.
Dum loquitur super impositis vidit ardua templis
Culmina, purpureo, sed nobiliora cruore,
Unde suum trahit à multo *mons-Martyre* nomen
Vertice ab hoc dabitur facilis prospectus in almam,
Molis ut ingentis, magni sic nominis, urbem:
Hinc socios, quacumque plaga est, Lojola vocabit
Mille tubis in partem operis, bellique labores.



IGNA-



IGNATIADOS
Liber Duodecimus.



ARGUMENTUM.



Gnatius ex mandato divinæ Sapientiæ venit ad montem Martyrum prope Parisios, ubi in æde Beatæ Virginis baculum Peregrinationis comitem consecrat : eo in colle dum cœlum more suo contemplatur, Gloriæ Divinæ *ei se se ferendam tradit : qua autem via currus* Gloriæ divinæ *debeat incedere, ostendunt in mappâ mundi quatuor genii, quatuor orbis partium tutelares : & societatis seriem totum enarrant : ab hoc spectaculo sibi redditus Ignatius exercetur meditatione de duobus vexillis ; in quà ad instar exercitus, informat animo societatem, & mox Apostolico spiritu, quem Hierosolymis ; baculo Moi-*

sis

ſis & columna lucis, quæ in Ægypto; ſapientiæ annulo, quem Venetiis acceperat, inſtructus, opus aggreditur & collectis ſodalibus, condit Societatem, quæ erat finis hujus poematis; ut autem aliis Poëtis finis fuit ſuorum poëmatum vel Urbs aliqua ut pote Roma, vel reſpublica condenda, ſic hujus poëmatis finis, Societas *inſtituenda.*



Liber



LIBERI DUODECIMUS IGNATIADOS.



TEMPLI introgreſſus limen, premit ore columnas,
Ore pavimentum, Divæque ab imagine pendet:
Nec prius abſiſtit, quàm rite perennia vota
Offerat & baculum, baculum terrâque levamen,
Aſſiduumque mari comitem, quem ſpina creavit
Pluribus horrentem nodis, & vulnere ferri
Truncatum, exuto ſpoliavit cortice flamma:
O ſo tu hoc felix, & germine nobilis arbor!
Si manus artificis docto non raſile torno
In capulum ſociarit ebur, lamnaſque nitentis
Argenti, aut fulvo nodos diſtinxerit auro,
Addidit è cœlo pretium pulcherrima virtus.
Virga fuit nuſquam clavâ, teloque potentis
Alcidæ, virtute minor: quippe ipſa colubros
Immanes, & monſtra Stygis mentita dracones,
Mota manu victrice fugam celerare jubebat.
Firmavit proprio attactu Patientia, & umbram
Eſſe crucis voluit quæ quondam morte perempta
Terruit adverſas acies Acherontis, & ægris
Expediit greſſum mortalibus ad juga cœli,
Vilis & ipſa genus ſylvæ: nec, Golgotha, veſtro
Non in colle ſtetit; tumuli quoque contigit urnam
Bethlemiamque ſpecum; & Jordanis fixus arena eſt:

Ignatius baculum conſecrat in monte Martyrum.

Baculo Dæmonem fugare ſolebat in vita Maph.

Paſſi-

Paſſibus incubuit migrantis in æthera Chriſti,
Sedibus &, bona Virgo, tuis : nunc accipe munus
Jure tuum, pelago per te terrâque remenſis,
O mihi aberranti ductrix, baculuſque cadenti.
Pendeat ad poſtes, partaque quiete fruatur :
Antoni vel ſi qua ſenis, Paulive prioris
Effigies aræ inſtiterint, ſuffulciat artus
Pondere defeſſos meritorum, & mole ſenectæ,
Sin tanto exilis ; nequeat ſupereſſe labori,
In flammas cinereſque abeat, queis fronte notentur
Chriſtiadæ, memores extremi pulveris, altùm
Ne ſapiant, humileſque Deo capita ardua ſubdant.
Tuque adeo fidum comitem depone bacillum,
Lojolide, accedet luſtris venientibus ætas,
Cum tibi longævo baculum dabit Itala tellus,
Cum Moſis nixus virga, freta lata profundi
Ducas ſociis, Indorum in diſſita regna,
Æthiopumve plagas, abruptaque littora mundi.
Hæc votiva redux figit donaria templo :
Haud aliter, tumido quàm marmore naufragus exit
Ore fluenta vomens ; ſi quod ſibi numen in undis
Senſit, & extremo diſcrimine mortis, amicum,
Rite memor facti, & tuta ſtatione potitus
Poſt ſale quaſſatam dubio, ſæviſque carinam
Fluctibus, emenſus ponto quodcumque pericli eſt,
Vota coronatus, promiſſaque munera reddit.

Pariſiis immittit ſe in lacum frigida tempeſtate quamvis poſt paſcha tempus.

Frigidus annus adeſt ; ſed non minus æſtuat igne
Cypris, & impuro juvenem conſumit amore.
Fruſtrari Lojola preces, & vota repelli
Caſſa dolet : tum perge, inquit, quo flamma vocat te ;
Sunt & aquæ mihi certa tuo medicina furori,
Tum celer antevolat, fœdas quà ducit ad ædes
Semita, prævertitque nefas : & protinus artus
Exuit, & rigidis collo tenùs abdidit undis :

Quò, dixit, periture, ruis? jam jamque vibranda
Desuper irato cuduntur fulmina cœlo,
Et Ditis tibi porta patet: quid numine læso
Accleras tela, & pendentem in verbera dextram,
Vix ea; cum juvenis, misso ceu fulmine tactus,
Substitit, & socii vocem cognovit & ora,
Ora extincta gelu, cassos & sanguinis artus:
Miratusque virum, & tantæ pietatis amorem,
Vicisti tandem, Ignati, tua flamma medullas
Exurit, castisque animam despondeo votis.
Nullo flamma loco, nullis extinguitur undis.
Monte è vicino terras procul arduus omnes
Respicit, & sublimis ubi data copia cœli,
Palantes cœlo stellas, Titaniaque astra
Haurit amans oculis, & in omnibus ingemit astris,
Impatiens donec, nec jam, quibus æstuat, ignes
Corde premens, tales dat anhelo pectore questus:
Vos æterni ignes, & nostræ conscia mentis,
Sydera, vos testor: tuque, ætheris ô domus alti
Læta, augusta, ingens: hoc molis inutile pondus
Secerne in cinerem, ire suo sine cætera cœlo.
Omnine, æthereis qui ducis semina flammis,
Hæc tibi, si nescis, patria est, & meta laborum
Ultima: fœlices animæ, quibus aurea pacis
Secla fluunt; quin me vivum super æthera fertis,
Quem moles ignava solo defigit inerti?
Hæc ubi dicta, ægro defectum corpore tellus
Excipit exanimi similem; jacet inclytus heros,
Quem non astantes acies, ferrataque quondam
Agmina, non sævi fregit furor iraque Martis,
Protinus è cœlo fulsit mirabile monstrum?
Gloria Lojolidis manibus *divina* ferendam
Quo se cumque dedit; qualem Euphratea secundum
Flumina conspexit Busides: igneus axis,
Et radii ignis erant, atque igne nitentia lora?

Stat invers. Montis-Martyrum.

Gloria divina se ferendam committit Ignatio.

Ignea

Ignea concordes ibant ad frena jugales,
Fulminibus ſimiles ardentibus; omnibus una
Et diverſa tamen facies, variata figuris.
Tum mens Lojolidis cœlo faſtigia ſupra
Erigitur rerum, mundi prævecta quod uſquam eſt
Quatuor à Geniis, quibus orbis cura regendi,
Ut videat quos in tractus, quantamque vocetur
Curarum in partem, quo tramite currus honoris
Qua currus divinæ gloriæ incedere debeat. Incedat: mox ingentis ſub imagine mappæ
In quatuor partes totus diſtinguitur orbis,
Et ſignatur iter, quo *gloria* diva feratur.
Tum genius, cuſtos Europæ, talibus infit:
Non ego te, Ignati, falſâ ſub imagine ludo,
Fas tibi magnarum luſtrare ſacraria rerum,
Genius Europæ aperit. Atque procul longæ faſtos evolvere ſtirpis
Lumine non dubio, & venientum diſcere vitas:
Ergo animum dictis adverte, oracula cœli
Edicam, lætoque explebo lumina viſu,
Subjiciens oculis ventura, atque omne quod ultrâ eſt.
Et incipit à monte Martyrum. Inferiore jugo montis, qua parte ſacelli
Surgit apex, huc vota feres; Maternaque primum
Auſpicia, & Superos poſces in cœpta ſecundos,
Jurabuntque eadem collecti in verba Sodales:
In mores ibit facinus: bis vota recurrent
Inſtauranda die certâ, quæ feſta quotannis
Dicetur vobis, & erit quæ maxima ſemper.
Vertice ab hoc ſurget mundi melioris origo,
Quæ res Chriſtiadum, quæ relligionis honorem
Excipiat labentem humeris, quæque aurea cudet
Secula, primævumque decus: locus ille, virorum
Efferet immenſam ſegetem, quæ deinde per omnes
Fuſa plagas, ſaturis cœlum ditabit ariſtis;
Non ſecus ac ſcintilla levi correpta favilla
Vix micat in foculo, ſed longa incendia major

Miſcet, & exuperat magis, atque accreſcit eundo:
Sic tenuis primùm, mox & numeroſa nepotum
Succreſcet ſeries, & avos numerabit avorum.
Montem oſtentabunt Galli, memoreſque locabunt
Colle ſuper, picto, voti monimenta, ſacello:
Ante tamen (nam ſternit iter ſibi gloria durum)
Multa manet fortuna tibi ſuperanda ferendo.
Jam gravidam dudum imperiis, populiſque ſuperbam, *Lutetia.*
Mole parem regno, non longè conſpicis urbem:
Duplice lenè fluens hanc præterlabitur alveo
Sequana, qui templi turres, atque atria regum
Summovet hinc illinc, gemino diſcrimine ripæ:
Caſtra tui ponent ultrà citraque, nec ullis
Dimittent animos turbis, quaſcumque ciebunt
Invidia, & rapidis armata calumnia linguis:
Nomine ſubnixos mundum per utrumque verendo
Rex ſuperûm teget, &, quo grandia pectora flectit,
Arbitrio, in ſocios æquum convertet amorem.
Salve, animis generoſa Phalanx, magnoque Parenti
Non impar ſoboles, ſtirpi ſignate futuræ
Oceanum, terraſque, & quidquid ubique locorum eſt
Intrà anni ſoliſque vias: ſalve una virorum
Et rerum fœcunda altrix: viden' agmine primo
Heroas bis quinque, polo capita altra ferentes?
His lacus ex guttis ingens, hoc fonte puſillo
Rivulus ingentem fluvii conſurget in alveum,
Unde bibant populi, ſiccæque rigentur arenæ,
Ardenteſque plagæ, ſuppoſtaque ſolibus arva,
Et quicumque colit montis juga, & infima vallis,
Trans caligantes ſemoto ſole triones,
Et populos auroræ, & ſumma cubilia lucis.
Prima tibi ſoboles cœptis ſe grandibus addet

Al-

Allobrogum de gente Faber, qui fulmina linguæ
Cudet, & hæresibus bella horrida bella ciebit:
Decem primi Patres.
Proximus Alphonsus, veniet qui sæpe Tridentum
Non semel orator, populos qui voce rebelles
Fulmineâ premet, & totum cum plebe senatum
Parthenopes trahet in melius: cui deinde subibunt
Codutius, Simon, Jajus, Bobadilla, Broetus:
Nec minor it campo linguâ calamoque peritus
Lainius, qui, purpureâ plaudente coronâ;
Collectos inter patres, sanctumque theatrum,
Innocuam Magnæ Matris, scelerisque paterni
Puram animam, & sanctos sine labe tuebitur ortus;
Ille rubri primus fugiet decora ampla galeri,
Crescentemque à te sobolem, regimenque tuorum
Proximus excipiet: succedet Borgia, regum
Progenies, sed major avis; dum sceptra parentum
Abjicit, & fastus supereminet altior omnes.
Illi continuò flammis majoribus usti,
Quàm quas Zona vibrat, nudos Garamantas & atros
Lustrare Æthiopas, longèque accendere flammas
Gauderent, nisi sollicitos Europa teneret.
Se Navarra tamen potiori nomine tollet;
Cernis ut Æthiopem calidis subvectat arenis
Enitens, claramque trahat longo ordine turbam
Secum Xaverius, magni unicus agminis instar?
Ille regi licet impatiens, primumque superbâ
Excutiens cervice jugum, neget ora lupatis
Aspera, & indomitus dextram detrectet herilem,
Mitior eloquiis tamen obluctantia flectet
Corda tuis, pluresque animâ lucraberis unâ.
Quo ruis, indefesse pugil; non divitis undæ
Ostrea, non dites conchas, viridesque smaragdos,
Quasque lapillorum piscatu fertilis ora
Porrigit, exuvias quæris: non futile Phryxi

Vellus

..., & Ausoniis quondam quæsita carinis
...a ipsis levior ventis, sed flamma per orbes
...e novos stimulat, quam nullis obruat undis
O...ceanus, non occeanum super omnibus æther
...bribus incumbens, & ubivis quidquid aquatum est:
...ortunatas meliori merce Molucas.
E... ...cro potiore beas, novus institor orbis.
O quantum cœli! quantum telluris obibis,
...tè oculis pedibusque orbem metitus utrumque!!
Aspice jam juvenes, Magnæ duo pignora Matris,
Qui virtute animos extendunt, tempora factis.
Quis Cypriis, Consaga, rogis impervia corda,
Atque pudicitiæ per magna incendia florem
...æ... servare dabit? non alter ab illo,
Qui juvat Assyrios juvenes fornacibus haustos
...plureis. docilemque pedes allambere flammam
...ectar, & parci sine vulnere tempora circum:
...a: domûs decus antiquum; tibi Mantua numquam
...acum culta daret, quantùm despecta reponit.
Quis tibi tum sensus, Kosca, cum lapsa supernè
... Parens geminas natum deponet in ulnas?
U... ...las ferte citi, & nimio solamen ab æstu.
Fortunati ambo, quos terris invidus æther
...merit ante diem, & virtus maturior annis:
...te citi violas, calathis & lilia plenis,
...is divos cumulabo & munere fungar inanì.
...s superi terris tantùm ostendere, nec ultrà
...ilibus famam factis producere passi,
T...nscripsere polo: jamque inter sydera fulgent,
...e agnum, quà quà graditur, comitantur euntem.
...nc docta cohors calamosque librosque coruscat
...acis amans: chartæ auxilio pennæque volatu
...ompta ruit, quo corporibus penetrare negatum est,

Aspice Canisium, Bellarminum, atque Toletum,
Et Suarem & Vasquem & quas tibi Gallia mentes
Ostendit veri fœtas, pulchræque quieti
Acriùs instantes, quibus aurea copia rerum est,
Prælaque cudendis libris toto orbe laborant.
Aspice Germanos, quos circùm plurimus ambit
Librorum numerus, seriesque immensa laborum.
Non procul Heroës, qui verba ignita, facesque
Undique spirantes, densata per agmina vulgi
Spemque metumque ferunt, & saxea corda nocentum
In melius stimulis linguæ non segnibus urgent.
Primus in Ausoniam superatis Alpibus ibit
Proventus; fixisque Almâ radicibus Urbe,
Inde Pyreneos ultra propaginis arcus
Missio in Lusitaniam. Excurret, quà clausa Tagi, Miniique fluentis
Lysidis arva jacent: dabitur transire columnas
Herculis, oceanique moras ubi remige cœco
Sole sub ardenti patefecit navita cursum;
Littora Maura leget, cuneumque ab Atlante redactum,
Donec ad extremos hominum penetraverit Indos
Missiones ad septentrionem. Parte alia se se in populos & regna refundet
Quæ te, Rhene, bibunt, fluctusque binominis Istri,
Et nivibus supposta rigent Erymanthydos ursæ.
Quid memorem abjunctos nuper fide, ut orbe, Britannos?
Quid portus, Juverna, tuos? Balearides ambas?
Quidquid vasta sinu complectitur Amphitrite
Sentiet excursus sociorum, aditusque salubres.
Corsica prædatrix, virosaque desinet esse
Sardinia, nullâ non insula peste carebit.
Divorum priùs auspiciis, & Pallade dextra
Aggrediere novum, damnata cæde, Lycæum:
Pro telis atque ense libros, calamosque rotabis
Impiger

Impiger, imbellesque inter residebis Ephebos,
Quos longùm umbrosa jubet insudare palæstrâ,
Qui rigidus sibi pensa petit diuturna Magister:
Ridebit tacite Musis operata juventus
Grammaticæ ad leges, & verba & nomina certis
Casibus inflexisse virum, quem tela decerent
Martia, & experti jam cognita signa Gradivi;
Tu ne cede malis, superi socia agmina jungent
Ocyus auxilio; facies jam si qua malorum
Debellata tibi, superandam robore mentis
Hanc restare monent, quam suggerit invidus Orcus:
Teque tuosque petet: quæ non mendacia spargent
Per fora, per populos, totoque sub aëre larvæ?
Fallaces nunc cardiacos fecisse venenis,
Si quos divino juvenes afflaveris æstu,
Fœmineoque iterum generi illusisse querentur:
Hæreseos labem aspergent: Judæus Apella
Crederis, ferri nodis frænandus, & arcto
Carcere, neve putes ignotæ in finibus oræ
Hæc subeunda tibi discrimina, prima ciebit
Gens tua bella tibi: quin extera quærere regna,
Et mutare solum subiget: comes usque sequetur
Tempestas: video virgas & fœda parari
Supplicia: ad certum Romam pietatis asylum
Confugies, rapidis instructa calumnia plantis
Mox prævertet iter; bella horrida bella ciebit
Inque caput cudet nova tela, & fracta recudet.
Nec mirere odium; stimulis namque asperat iras
Impietas: sociam se se soror hæresis addit:
Maxima dirarum invidia est: sperare quietem,
Donec erunt ea monstra, tibi, sociisque negatum est.
Quot mittet fœcunda viros in prælia virtus,
Obstabunt totidem Furiæ; quin milite vincet
Improbitas (ut progenies numerosa malorum est:)
Unum mille prement; at tu, ne robore vincant,

Certa animis, magniſque tuos hortatibus imple.
Lethifer ingruerit ſi quando frugibus annus
Et populis horrenda fames, non ſydus iniquum,
Immodicive imbres, aut fœti grandine venti
Culpandi venient, non denique Dardanus author,
Quisquis & annorum multa vibice flagellat,
Lojolidæ ſontes, & cladis cauſa ferentur.
Quid facias? numquam invidiâ laudanda carebunt;
Hac Chriſtus ſub lege fuit, ſuberuntque ſequaces.
Dixerat hæc Diva, arguto cum pollice inertes
Contingit Lojolæ oculos, ſimul exhibet ingens
Societas vario diſtincta ordine. Chryſtalli ſpeculum: triplicis dux ipſe catervæ
Stabat ſigna ferens, linoque albatus ad imos
Uſque pedes, ſeu rite ſacrum facturus ad aram:
Ponè ſenum innumeram vidit, juvenumque coronam,
Omnibus in vultu pietas, & carbaſus atra
Veſte ſuper; tunica pectus laxabat aperta
Proximus, allapſos cœlo dum non capit ignes.
Stemmata pars calcant pedibus, primæque coronas
Nobilitatis, opeſque terunt; pars altera ſacros
A capite avertunt, ceu tela infeſta, thiaras,
Et lituos, & purpureo ſplendore galeros,
Vertice qui paucorum hærent; ſed grandibus ora
Humeſcunt ideo lachrymis: crucis arma coruſcat
Crebra manus, fulmen vitiis Ereboque minantum.
Doctorum. Inflavere tubas alii, Gedeonis ad inſtar,
Et fractis referunt induſtria prælia teſtis:
Hinc abeant, acerque chalibs conflatus in enſes,
Aut ferri rigor in clypeos, nec vertice caſſis
Ærea, pilorumve ſeges conſurgat ad auras:
Talia tela gerant acies, queis pectus anhelat
Cædem hominum, dirumque nefas; ſed gloria major
Una Dei, populique ſalus decurrit inermes

Teſſe-

Tessera per cuneos: aderant & cornua & alæ; *Martyrũ.*
Nam ducis ad dextram stabat redimita coronis,
Et palmis decorata Phalanx: color omnibus ardens,
Purpura, quam Christus, ponti pro murice, tinxit
Sanguine, Sidoniisque adeo nil debet ahenis:
Lojolidem tenet affixum manus illa, stupetque
Vulnera, quæ passi ostentant, & funera tantis,
Mercedem reddente Deo, donata triumphis.
Desierat genius, cum mens sibi reddita votis
Institit: illusis si non imponit imago
Sensibus, & fallax nectit mendacia Dæmon,
Da, Diva, augurium, cordique illabere nostro:
Nam quis ego, ut cœptis valeam me fingere tantis
Muneribusque parem? tenuis tum sibilus auræ
Tres secùm tulit aligeros; & in æthere fulsit
Ignea lux, testata Dei venisse ministros:
Tum primus: depone metum; mihi cura tueri,
Quam lustrasti, Asiam: nec me tua flamma latebat
Ardentem simili, seu tu Solymæa teneres
Culmina, seu planis ferres vestigia campis;
Sæpe, quod urgebas arcano conscius æstro,
Optavi pariter, sed amato excedere jussit
Orbe Deus, patriosque redux invisere fines:
Vota tamen ne cassa putes, quæ deinde probabit
Eventus placuisse Deo: si finibus illis
Non licuit spissos vitiorum exscindere vepres,
Lucis at in patriâ, & nascentis origine Phœbi,
Perque coloratos populos Gangeridis oræ,
Æquora quà terræ cuneis audacibus intrant,
Et serere, & Christi cultum proferre licebit.
Te duce Relligio terras post longa reviset
Exilia, & patrium crimen remeabit in orcum
Cum gemitu, & lachrymis, atque horrisono ululatu:
Te duce virtútum chorus omnis, ab æthere summo
Antiquas repetet sedes; quem ponè sequetur

Tres alii genii. Genius Asiæ alios deinde expandit campos in quos excursura societas.

Missiones ad Indos.

Simplicitas, atque ingenuo ſpectabilis ore
Candor, & abjectos demiſſa modeſtia vultus.
Dura, fatebor enim, & magni res plena laboris
Quis te caſus agat, venturâ edicere mente,
Sit licet ignea mens nobis, nec lingua fatiſcat
Eloquio, aut terreni hebetent languoribus artus,
Expediam tamen, & paucis arcana recludam.
Stat prope naſcentis radioſa cubilia Phœbi
Inſula (Japoniam indigitant) quæ prima diei
Excipit albentes radios, ſed nube latentes
Perpetuâ, alteriuſque petit primordia lucis,
Purgatæ lucis, quam turbine nullus opacat
Veſper & æthereis è ſedibus attulit orbis
Aſtrorumque ſator: mundi Franciſcus Eoi
Delius, optatæ feret alma crepuſcula lucis.
Perge age, ſurgentemque diem conjunge cadenti,
Virtutis meta illa tuæ eſt, & nocte fugatâ
Fer radios, ubi prima nitent exordia ſolis,
Quòque ardor dudum vocat inſatiatus eundi,
Invictum pœnis, & inexſaturabile pectus.
Non Aſiæ pars nulla gravi ſub faſce laborat
Criminis, Euphrateſque ſtupet molimine lento,
Et ſtagnantis aquæ, pigræque paludis ad inſtar
Colligit immotus ſe ſe, tardoque gelu ſtat,
Frigore teſtatus, glacieque rigente pavorem.
Suſpendit fluidam Tigris ſtupefactus aquæ vim,
Vel refluum in fontem converſo vortice fluctus
Retrahit, & greſſum in veſtigia prima retorquens
Horret ad aſpectum, crimenque immergere tentat.
Hic Lernæa palus, hìc dira repullulat hydra:
Alcidem vocat iſte labor: Xaverius unus
Tartaream excindet, non ſegnior Hercule, peſtem.
Cernitis in ripa ſtantem, ſocioſque cientem
Mille tubis, quocumque vibrat ſua lumina Phœbus,
Ultrà Indos, populoſque alio ſub ſole jacentes?

gradit, plenoque ſubit diſcrimina paſſu,
Nec graditur, ſed calcat iter, ſyrteſque timendas
Experiens primus domat, inſultatque periclis,
Perque ſua infames veſtigia ſacrat arenas:
Hic Phaëtontæis incenditur æthra lupatis,
Icariique canis latratu exterritus humor
Cæca ſubit terræ, aut tenues vaneſcit in auras
Sævitiâ fruitur Franciſcus ſolis iniqui,
Atque omnem perfert cœli, dum fulgurat iram,
Nec ſitit, ardentes conſtantes temperat æſtus
Pleno animi de fonte bibens: converſus in illum
Roranti ſocius ſudantem flumina vultu,
Hinc bibit, extinctoſque animorum exſuſcitat ignes.
Hinc cedet nox atra Deûm, Xacæque, Amidæque,
Et Chamis, & Fotoques, quæque horrida monſtra coluntur,
Vincit enim peregrina Fides, mirata labores.
Et patriæ, & gratis miſſæ in diſcrimina vitæ
Contemptorem animum: non illum impervia clauſtra
Sinarum hoſpitibus, poſtremo in limine tardant:
Longum illuc tentabit iter: mors ſola vetabit
Ne penetret; fruſtrà tamen importuna necabit.
Et ſuper aggeſtâ condetur calce cadaver,
Vincet inextinctum decus: & quæ copia ſucci,
Aut fuerat vivo ſanguis, poſt fata manebit
Integer; ipſe animus me deportante receptus
Ad Superos, miſtuſque ſacris heroïbus, arces
Pandet adhuc clauſas, veſtigia tanta ſecutis.
Hic vir, hic eſt, tibi quem promitti ad cœpta ſodalem
Sæpius audiſti (quando omnia non potes unus)
Nulli plus magnorum operum debebis alumno.
Jam ſatis eſt, Franciſce, tibi patet orbis uterque:
Nec fruſtra in ſomnis illudit amabilis Indi
Sarcina, mole gravis: premit India tota gravatum
Athlantem, tanto qui pondere feſſus anhelat:

Non eſt, quod ſteriles doleas vaneſcere ſomnos.
Poſt Arabum campos, freta dividit inſula dives
Armuſiana Objectu laterum, & confinia Perſidis urget,
na miſſio. Incoluere Macæ, magnumque Armuzia nomen
Urbs regno dedit: huc gazas, quas ſparſit in orbem
Prælargâ natura manu, mercator avarus
Convectat, magnique facit compendia mundi;
Sed tellus pietatis inops, torretur iniquo
Sydere, vix puteis collo tenus abdita vitant
Corpora vivaces radios: inſurgere credas
Numen avaritiæ vindex, & pectore flammis
Auri avidam ſine lege ſitim: commercia cœli
Quis dabit, & male, quem neſcit gens barbara, rerum
Noſſe patrem? Batavis Zelandia mittet ab oris
P. Barzeus Barſæum juvat ire jugis, ubi nulla pateſcit
natus in Semita, & humanæ deſunt veſtigia plantæ:
Zelandia. Indomitis juvat ire fretis, ubi rara carinis
Orbita, & inſano nimium temerarius auſu
Sæpe legit ditis pelagi conchylia nauta:
Ille Arabum populos ſcelerum ſub faſce gementes
Armuſiamque trucem cœleſtia ſub juga mittet,
Donec ſumma dies, atque ultima linea rerum
Mors ſtantem pedibus pugilem, reſideſque moventem
Voce, manuque viros, meritis tandem inſerat aſtris.
Ille, vides? celſâ qui nititur arbore, telis
Rudol- Rudolphus, veluti pennis, ſuper aſtra volabit;
phus. Debita ne deſit palmarum in funere ſylva,
Pene aliam ſylvam geminata ſagitta reponet.
Aqua vi- Addentur comites, magno qui pectore fatum
va. Excipient, vitamque uno non vulnere ponent.
Cernere erat turmas, quas impius hauſerat enſis,
Pectora rimatus ferro; plagamque cicatrix
Lucida pingebat, nec non quibus ante ſagittæ

Cor-

Corporibus, vel tela locis hæsere cruentis,
Splendebat magis: hos inter clarissimus ortu *Franciscus Aranca.*
Constiterat juvenis, cui grandine densior imber
Hastarum, attulerat totos decora ampla per artus
Interpunctam auro tunicam, stellisque nitentem.
Quo, ruis Antoni? telis me figite; dixit,
Unus ego intrepidè tribus obvius ibo sarissis, *Antonius Crimmalis*
Et fidei desponso caput; mox lictor acutâ
Cuspide transadigit, caput & cervice recisum
Exuvias ostentat ovans, sed tempora circum,
Nobilis exerti capitis nota, circulus exit:
Sanguine tinxit humum primus, devotaque pulchræ
Agmina militiæ in similes audere triumphos,
Impavidoque necem docuit contemnere vultu:
Flebilibus veluti numeris ad stagna Caistri
Mœret olor, retinetque novo vaga flumina cantus
Spinola, fatidicas inter rosa regia vepres, *Spinola*
Purpureo splendore nitet, cognataque complet
Nomina tormentis: duræ post aspera brumæ
Frigora, crudelesque moras & carceris umbram,
Socius igne sacro, lentas immania flammas
Supplicia, & pigrum non una in fata vaporem
Perferet, & sociis proprio fulgebit ab igne
Tres cruce sublimi generosum attollere vultum
Aspicis? en primi Japones, gens prodiga vitæ,
Fortior & flammis, primos ad dura ruentes
Funera Christiadas referent, reliquisq; præibant.
Lojola intereà suspiria pectore mittit
Æstûs impatiens, libertatemque requirit
Eloquii: tum nacta viam vox exit in auras,
Magne sator, pars nulla tui est ut numinis expers,
Sic utinam late nomen gens omnis adoret,
Innumeræque sonent, terras per & æquora, linguæ:
O mihi vel summis contrita laboribus ætas
Accidat, & nullam Stygia cum gente quietem

Bella ſinant, ſi tanta manent ſpectacula vivos.
Pergite, cœlicolæ, totum, me ferre per orbem:
Nam quis erit ſenſus? quæ dulcior ulla voluptas,
Quam ſi parta ſolo domitoque Acheronte trophæa
Aſpiciam Chriſti! votorum hæc ſumma meorum.
Pergite, magnanimi heroes, quos æmula virtus
Ultra anni luciſque vias ſoliſque labores
Excitat, & ſtimulis mentem non ſegnibus urget.
Eſt ne aliquis, patriâ teneat quem ſede morantem
Languida ſegnities, cœlo dum ſufficit arma
Apta Deus, vireſque animo nerviſque miniſtrat?
Inſultans Erebus Cœlo, ruit omnia, veſtris
Accumulans ſua lucra moris; rapiuntur ad umbras,
Quot ſolem aſpiciunt, animæ, lucemque relinquunt;
Creditis hæc; & adhuc tardi toleratis iniquum
Regnatorem Erebi, cui mille altaria fumant;
Creditis heroas ſine curâ & numine divum
Deſertis errare plagis? rate vectus eâdem
Vela Deus Superique regunt, per tranſtra foroſque
Æthereæ volitant mentes, Zephyroſq; miniſtrant.
Ex illo geminâ chari bibit aure Parentis
Dicta memor ſoboles, quem nunc vitalibus auris
Exemptum ſtellata domus ſuſcepit, & aureo
Gloria compoſuit ſolio: quæ ſydera quondam
Suſpenſis inhians oculis, & mente legebat,
Nunc pedibus ſuppoſta videt, faſtuque beato
Deſpicit: hic illum clarâ cinxere coronâ
Illuſtres ſociorum animæ, denſiſque receptæ
E tenebris gentes, quibus ætheris intulit ignem.
Huc oculos, nati, veſtroſque intendite curſus,
Quippe parens ſpectator adeſt, pluſque ipſe laborat,
Dum ſedet, & vobis nervos & robur ab alto
Sufficit: ô quoties duro ſub pondere rerum
Conciderent animi, ni protinus ille Tonantis
Maturaret opem! quoties inferna poteſtas
Conr

Conatuſque pios, ſanctoſque infringeret auſus,
Eriperetque manu palmas, ſi plura licerent.
Mille nocendi artes fœlicior arte juvandi
Exuperat Lojola, & fretus numine vincit,
Numine, quo voluit tectas, ut nomine turmas.
Quare agite, & tantis aſſueſcite vincere cœli
Auſpiciis: ruat impietas, cadat hoſtia flammis
Fœda ſuperſtitio, terras Aſtræa reviſens:
Per populos det jura, viamque recludat olympi:
Denique per varios terræque mariſque labores
Cœlicolum æternis inſcribite nomina faſtis,
Expers prima mali vobis committitur ætas,
Et rudibus ſe ſe culturæ accommodat annis,
Vos pio hibete, malus ne culta novalia ſquallor
Protinus invadat, ſegetem neu lappa fatiget,
Spemque necent frugum, tribuli: vos ergo juventæ
Exercete animos, caſtis qui deinde Quirites
Moribus ornabunt, nomenque ad ſydera tollent.
Scilicet hoc veterem ſe poſſe refingere mundum
Speravit ſtudio: id natis ante omnia munus
Mandabat Lojola ſuis, non ille futuri
Neſcius eventûs: & nunc ſuper æthera gaudet,
Cum tot in orbe domos juvenum florere coronâ
Aſpicit, egregioſque operum vigilare magiſtros,
Ne qua ſatis afflent, Erebi contagia, virus,
Aſt alio revocat Libyæ ſitientis imago
Nuda ſinus, lacerata genas, & ſparſa capillos,
Quæ ferit exuſtis præcordia nigra lacertis,
Lamentis motura ſuis, quos ipſa Leones
Educat, exæquans patrio ſua vota calori.
Tum Libyæ apparet Genius, quem flammeus aſtris
Signifer ambibat, facieſque intexta ferarum,
Quam multas ſol altus obit, dum flexibus errans
Oppoſitis, varium trahit in diſcrimina tempus,
Seque remetitur revoluto ex orbe renaſcens,

Africa præſes quod eo expetat auxilii.

Et

Et lucem radiis mundo dispensat iniquis,
Blandis Lojolam compellat vocibus ultro,
Quò diversus abis? nostris quæ finibus arcet
Te rerum facies? cur impendente ruinâ
Deseris extremo properantis cardine fati?
Qui socios olim maneat labentibus annis
Heroasque labor, per adustos solibus Afros,
Semotasque procul Libyæ sitientis arenas,
Expediam dictis, & non audita docebo.
Africa continuis cœlum incusare querelis
Audebat, me teste dolens, quod Diva tot annos
Relligio miseræ vultum aversata negaret:
Non queror, inquibat, quod torrida semper ab igni
Infesto Titane premar; per rura relaxat
In fruges calor ille vias, ego messibus Afris
Romulidas orbemque alui, licet arida nutrix.
Quid tum, si fuscam faciem, crinesque retortos
Gens deformis habet? splendet melioribus intus
Vis animi flammis, oculisq; sub acribus ardet:
Barbaries invecta mihi, non nata, vel orta
Protinus in fines retrò caput abdita Nili est.
Quid repetam antiquas nostræ Carthaginis arces,
Indomitosque animos? aut quid miracula mundi,
Pyramidum regale decus? laus omnibus anteit,
Quod Deus hospicio exceptus, vestigia nostro
Edidicit firmare solo: fœlicia prata,
Vos, quoque, fœlices, pedibus quos pressit, arenæ,
Maximus ille puer: sed tu, fœliciorora,
Quam longo Deus exilio mortalis obivit.
At sancti fugere senes, operataque Sacris
Turba Sacerdotum paulatim excessit avitâ
Sede, secuta Deos extorres omnibus aris.
O Marce, Antonique, mihi charissima quondam
Nomina, cur vestris (licet renovate dolorem)
Exuviis etiam careo? cur barbara puppis,
Au-

Auguſtine, tuas alienum miſit in orbem?
Quis ſævus, Cypriane, tuas mihi caſus ademit?
Vos mihi & indigetum, cur cætera turba, periſtis?
Infœlix, aliena meis ditata ruinis
Littora conſpicio; ſupereſſent oſſa ſepulchris
Aut ſaltem cineres, monimentaque cætera Patrum.
Sic ait, & crebris ſingultibus Africa luget.
Ipſe, fatebor enim, ſortem hanc miſeratus amaram
Sæpe tuli Patris ad ſolium, retulique querelas,
Hæc reſponſa dedit: ſacri nunc culmina montis
Ille tenet, quò ſe rurſum ſuper æthera tellus
Africa, & antiquos ſuperis inſtauret honores,
Si poſthac quos ille viros legarit, amico
Excipiat ſtudio; nigram fervore perenni
Mutabunt pellem Æthiopes, cum pelle colorem.
Quin etiam, populis ut ſuppetat unda lavandis, *Miſſio Æthiopica.*
Ac tempeſtivæ teneris ne frugibus imber
Deſit aquæ, ſudore frequens lachrimiſque rigabit.
Ergo pone modum, pars flagrantiſſima mundi
Africa, nativos licet æquent pulchra calores
Vota tuos: gratare tibi, planctuque relicto
Pacificâ lauro, & vitris tua tempora cinge.
Ecce ſolidem cernis, circumque animoſa nepotum
Agmina, qui per iter longum Titana ſecuti
More novo inſtituent populos: mox victa recedet
Impietas, minuique ſuum Styx mœſta queretur
Imperium: mox tempus erit, cum ſupplice voto
Cernua adoratum latè colet Africa numen,
Quin & Abyſſinos cernes, Regemque ſuperbis
Inſignem titulis, veteres dediſcere ritus.
Lunæ etiam montes ultra, & cunabula ſolis
Ultima procurrens regio præconia Chriſti
Audiet, albenteſque animas tranſmittet Olympo,
Quos nigra jam facies turpat: deponere mores
In-

Incipiunt rigidi, gens ore nigerrima, Cafres:
Hæc pecudum ſola antra colens, commercia vitæ
Ignorat ſociæ, diroque intincta veneno
Arma rotat: nomenque virûm deffendere forma
Una poteſt : homini lupus eſt homo dirus, & ipſo,
Si quid forte lupo gravius ſonat: horreo fari,
Quæ jocus eſt feciſſe, quod horreat ipſe Thieſtes:
Seu furiæ impellant Erebi, ſeu cæca nocendi
Libertas, ſeu grata animis crudelibus ira.
Enceladus, licet excelſâ cervice tumeſcat,
Cafribus eſt impar, tygris licet aſperet æſtus
Deſpumetque leo, armatis occurrere telis
Formidat, plantâque probat fugiente pavorem.
Dira Thyeſteæ redeunt convivia menſæ,
Cognatæque dapes; in teſtis vina paternis
Excipiunt nati, nec Phœbus fræna retorſit
Turbidus, erubuitque nefas: jam noxius orbis
Diluvium in pœnas meruit ſenſiſſe ſecundum
Quin & Avernales tumulis exſuſcitat umbras,
Raucum voce fremens: atque execrabile ſecum
Carmen agens, ipſas meruit, quas evocat, umbras.
Tempus erit, cum, quæ innata feritate laborat,
Barbara plebs, poſito incipiet miteſcere telo,
Et docilis ſacram donaria figet ad aram,
Gonſalvus. Cum jaculis pharetras, & tincta cruoribus arma:
Gonſalvum Tagus aurifluis miratur arenis
Contemptorem auri, tempeſtatumque potentem;
Promptus ad Æthiopas, ſitibundaq; Mempheos arva
Ibit inexhauſto per confraga ſaxa labore:
Et populos luſtrabit aquis, nigramque jubebit
Æthiopas pellem mutare, alboſque renaſci;
Tu quoque fauſta fores tantis, Monomotapa, cœptis,
Ni ſegetes ortu in primo, ſegetumque ſatorem
De-

Demeteres: properè laqueos nodosaque collo
Vincla parat, gutturque premit : sed membra jacentis
Increpitant scelus, & fluvialibus abdita lymphis
Non ponto celare nefas, aut mergere possunt:
Criminis artifices produnt: & in æquore nautis
Gonsalvus sidus nitet, æternumque nitebit.
Si tumulum Clemens invenit in æquore structum
Divorum manibus; pelago quocumque peribis
Naufragus, aut Pistrix, aut te Crocodilus amico
Excipiet facilis dorso, portuque potitum
Gens pia te pulchro tumulo, tumulumque Sabæo
Thure colet, positisque frequens venerabitur aris.
Non incauta tibi, non immatura vocari
Mors poterit; cœlo veniens nam præscius olim
Mortis honoratæ tibi nuntius aliger ibit.
Hæc ubi dicta: jubet cœli convexa tueri
Lojolidem, summumque docet sic luminis ultrò
Compellare patrem: cum sol se tolleret undis
Aureus, & puro terras accenderet igni:
Quando erit illa dies, qua sol oriensque cadensque
Sub Christi pedibus vetrique regique videbis
Omnia, nec turpes aras, gentemque profanam
Expertemque Dei aspicies? ô sæcula prorsus
Aurea! quis dabit hæc olim sub sole tueri?
Quamquam ô, quid deses votis hæc segnibus opto?
Sunt, quos ardor agat, stimulisque haud indiga virtus
Præcipitat pulchræ certa in discrimina mortis:
Cernis, ut immani præfixa hostilia ferro
Excipiunt latere invicto? undantique cruore
Rubram animam fundunt per apertas vulnere costas?
Esto mihi, sol, testis; & hic, quovolveris, æther,
Lojolam cupere hoc unum, veneretur ut omnis
Terra Deum, nulloque loco tua lumina perdas.

Gonsalvus in mare projectus suprà aquas apparet.

Pelago quocumque peribis Naufragus.

Audiis

Audiit ex alto Omnipotens, nutuque benigno
Annuit, ostenditque viros, qui vomere vertant
Insuetas mora nullo plagas, atque horrea cœli
Ingenti repleant numerosæ messis acervo.
Mox sibi cæruleam visus conscendere nubem
Genius novi orbis Lojolides, Thetidisque leves equitare per undas
Auroræque ultrà, rapidique cubilia solis.
Est tellus cordi similis, quâ vergit in Austrum,
Interrupta freto, medioque arctissima tractu:
An pontus dirimat glaciali in limite mundi,
Incertum, vel perpetuis an fœdera terris
Conciliet polus, atque isthmo commercia jungat:
Mortales tamen usque latent ea vincula rerum.
O fœlix regio, propriis nisi dentibus artus
Manderet humanos, crudoque in ventre, parentum
Impia progenies, fumantia conderet exta.
Tum blando genius vultu: tam barbarus, inquit,
Mos aberit, gentem incultam cum missa propago
Divinis lustrarit aquis, ac rite piarit,
Tunc & Amycleas vincet candore volucres.
Aspicis, ut deserta suum sibi Florida nomen
Luget inops floris, poscitque inculta colonos,
Cælestesque satus? hominum tangere periclis
His olim, venientque tua de stirpe periti
Cultores, divina animis qui semina mandent.
Insepk. Anchieta. Non ego te, domitior monstrorum Anchieta, silebo,
Qui docilis mulces innoxia terga colubri
Illæsus, tutisque foves amplexibus hostem,
Ille impendentes, capitique immane minantes
Sistet aquas, placidisque dabit nova jura procellis:
Sæpius assiduo fletu vicina rigantem
Littora nec minimâ metuentem aspergine roris
Desuper attingi, suspensaque sydera multâ
Lassantem prece, marmorei velut, æquora, muri

Hunc; stabunt circũ, & super incumbentis aquæ mons
Otia securæ metuens abrumpere mentis
Pendulus hærebit rabiemque in littore ponet.
Aspicis ut Brasilus fractis impune lupatis
In scelerum omne genus ruat exitialibus ausis?
Cudere amat rixas; vel semper cæde recenti
Fervere, & alternas in vulnera mergere dextras;
Vel lento torrere foco, verubusque trementes
Infixisse artus, cognato & sanguine pasci:
Hic leges natura suas moresque requirit,
Quippe olli jocus est defuncta vorare parentum
Corpora, & effractis prædam indagare sepulcris:
Molliet hanc gentem, & positâ feritate jubebit
Josephus teneris mansuescere mitius agnis:
Græcia mentitis fictum canit Orphea monstris,
Orpheus hic, sed verus erit, qui plura patrabit,
Odrysius quàm quæ numerat miracula Vates;
Credunt hæc facta fidem, de gurgite jussi
Prosiliunt pisces, atque ex natalibus undis
Educti, exilium non dedignantur in ulnis
Mollibus, & sacris manibus deponere vitam.
Turba loquax volucrum, ceu nube repente coactâ,
Obtendent placidas æstivis solibus umbras;
Incumbentque æquo tensis libramine pennis.
Nec satis hæc; mox arva suis fœcunda fodinis
Designans, viden' ut rutilo damnata metallo
Gens gemat, & curis instet miser Indus avaris?
Heu Stygium laxatur iter! num splendida sordent
Astra? vel ad cœlum venit pandenda malorum
Jam via, cum pestem spiracula ditis anhelent?
Aspice, ut auriferis inculta Peruvia venis
Donatas male luget opes, queriturque sub auro
Stare scelus venale: magis quo viscera terræ
Rimaris, tibi sternis iter vicinius orco,
Inde audis Stygias propius mugire cavernas.

Mercibus his caput attollit fortuna superbum,
Ostentatque sinus, sed adæquant crimina fastum.
Mexica magnorum scelerum contage laborans,
Factorum sub mole gemit; licet amnis oberret
Aureus, haud sordes pretiosis eluit undis:
Nil scelus expurget: non si laquearibus imber
Ingruat è cœlo ruptis, non si Thetis omnibus undis
Abluerit scelus, & marmor lustrale piarit,
Aut juges oculis fontes volvantur aquarum:
At non hæc nullis Deus alta providus arce
Observans oculis, parat in solatia turmas,
Quæ loca sola legent, atque ignorata carinis
Hactenus, & rigidum longè semota sub axem.
Nec mare palmarum infœlix; quos ordine pulchro,
Nunc cernis complere foros & transtra carinæ,
40. Marty. Murice conspicuos, mittet trux prædo sub undas
Præcipites odio fidei, prius ense peremptos,
Illustri totidem numero, quot frigoris olim
Amne Sebasteno victores laurea cinxit.
Aspicis ut qui te cognato nomine reddit,
Ignatius Azebedo. Magnus Azebedo, medios per cædis acervos,
Bellantûmque truces pugnas, cœloque cadentum
Agmina, Virgineæ prætendens pectore Matris
Effigiem, spirat, Brasilis quos excitat, ignes,
Et socias vocat exemplis ad funera turmas?
Sic Phœbo dilectus olor, graviore senecta,
Dum videt imbelles ferri per nubila pennas,
Candidus ipse licet, se limpidioribus undis
Abluit, & secum jam proxima fata volutans,
Effœtas revocat sinuosa in guttura vires:
Excipiunt matresque vagæ, nidique loquaces
Carmina fatorum, si fors æquare potestas:
Has inter Philomela gemens, ut corpore cedit,
Sic cantu prima est, varioque volumine vocis
Humani repetit septem discrimina cantus;
Nunc

Nunc se continuo modulamine longa per aures
Musa trahit, mirâ nunc vox inflectitur arte,
Concisis distincta modis, intortave junctis:
Mox imo revocata sono, promissior auras
Verberat, aut tristes suspirat languida lessos,
Et vigili prodit meditatum nocte laborem:
Nec mora nec requies avibus si forte duabus
Quæsitum incessit dubii certamen amoris,
Exacuunt rostris numeros, Martemque lacessunt
Intrepidæ, pulchramque petunt per carmina mortem;
Usque adeo obnixæ non cedere, dum gravis illam
Aut hanc versa fugâ victrix dare terga coegit;
Haud aliter ducis exemplo, & sermonibus acti
Et juvenes pulchro inter se certamine pugnant.
Aspice nunc terras, quas pontus cogit in isthmum
...libus immissis: has circum Flora superbit
...tior imperiis; ibi nulla licentia ventis
...c nivibus concessa ulla est, ibi turbida nusquam
...ila, nec tristes aspiravere procellæ:
...iadas ibi latè, Dryadumque exercitus omnis
...situr herbosis passim colludere campis;
...tior hic lustrare solet formosa decoro
Titan arva die, tacito quæ plurimus amnis
Præter calle fluit; sacroque è colle perennes
...t violas lapsæ, per declives Hyacinthos
...spatiantur aquæ; muscosos lenè susurrus
...d scopulos ripasque sonat; christallina pisces
...la fovet; sua sunt avibus spatiosa canoris
...na, nec apricos violant mala gramina flores.
Non blandæ Zephyrorum animæ, solatia fessis
Non segetes desunt, quas vomere saucia nullo
...te sua profert, nec aratro obnoxia tellus;
...l pronis pendet circum officiosa racemis
...ea maturâ labuntur ab arbore ficus,
...uriuntque sinum, quoties violentior urget

Aura fatiſcentes nimio ſub pondere ramos:
Quodque magis mirere, levi quæ flamine nutat
Pupulus, hæc canis numquam ſtetit alba pruinis;
Nec latices hæſere gelu, quos ferre per herbam
In riguis fugitiva vides veſtigia pratis.
Æternus regionis honos, æterna ſerenos
Lilia teſtantur ſoles: ſibi vindicat annum
Majus, & expanſis luſtrat ſua rura capillis
Læta quidem hæc: meliora tamen ſuperaddita ſurgent
Semina, quæ, Lojola, leges cœleſtibus hortis,
Quæque tui in populos ſpargent hinc inde ſatores,
Sed manibus largita tuis: mirabitur orbis
Sepoſitus, refluâ ſibi fœnora ſorte refundi
Nova Francia. Artis opus veſtræ, lucemque à veſpere naſci.
Ultra autem, Boreæ quamvis obnoxia tellus
Horreſcat glacie, & teneant ſpatia omnia vepres,
Arvaque vix menſes aliquot viduata pruinis:
Hanc meliora manent, nec enim ſquallore repertus
Gallia rura ſinet, ſparſamque per avia gentem
Colliget: illa quidem, prædæ quà ſenſit odorem,
More canum veſtigat agens, ſequiturque fetarum
Corpora, & exuviis artus amicitur ademptis.
Dant virgulta domos, & acuto robore valli,
Culmina tectorum detractus ab arbore cortex,
Reticulum pedibus ſoleas, atque arma ſagittæ:
Sed Franci potiora ferent, legemque colendi
Numinis; hi paribus per frigora curſibus acti
Perque nives altas, montanaque luſtra ſequentur;
Sive opus eſt alnos remis urgere cavatas,
Adnixi ſubigent; ſeu lintres ferre, fragoſis
Cum torrens procumbit aquis de vertice ſaxi
Fuſus in abruptum, ſupponent colla carinis;
Ac ſi prædâ Hirocus, captivoque hoſte potitus
Vim ferat, aut flammis, avidove in corpora morſu
Intuà

Intereà jussi canere, & celebrares choræas;
Ora modis solvent cœlestibus, & pede ovantes
Exilient, plaudentque rogis ante ora paratis.
Captivos non ira brevis, non bellicus ardor
Præcipitante necat dextrâ; stat pascere longis
Suppliciis oculos, lentisque doloribus iras,
Hancque bibit rabiem cum lacte parentis, alumnus.
Sic pax rara illic, pacis constantia numquam,
Martius arma locus subit ipse, vel hostibus infert.
Vosne ego præteritos, Brebeæ, Alemane, silebo,
Germanas novo in orbe faces, queis concidat ustum
In cineres nemus? æquabit quis voce dolorem, P. Brebeuf.
Suppliciisque pares animos, atque ardua facta?
Quo properas, Alemane, an tutis cedere certus
Sedibus, soles alios, aliosque requires
Oppositos stellis populos? quamque omnibus undis P. Lallement.
Avida nequicquam nostro Thetis abscidit orbi,
Tutum excipiet tellus? hanc nec tibi mentem
Et amor exuerit patriæ, fratrumque tuorum
Circumfusa cohors, nec cœli hiemisque labores,
Non mare, non scopuli, non gens scopulisque marique
Sævior, atque tuos epulis feralibus artus
Protinus appositura, tuoque implenda cruore?
Exquisitus enim stomacho cibus, escaque suavis
Dentibus humanis, tenero qui corpore constas.
Pergite, Gallorum decus ambo, & lumen ab igne
Accipiat vestro tellus, quæ nocte sepulta est.
Jamque adeo exuperant flammæ, jamque intima rodit
Ossis edax, strident nervi crepitantiaque ossa,
Nec tamen obliquant vultus, oculosque retorquent,
Quo oculos multos, & præsenti morte gravatos,
Dum necis alterius, mors provocat altera, gressum.
Hic malas onerat pugnis, sude perforat aures;
Sedibus ille oculos, dentes hic ore revellit;
Hic ligat, ille vorat; secat alter, & alter adurit.

Parcendi ô feritas! productaque vita dolori!
Membra ruunt per frusta, cadunt ex ossibus ossa,
Dextraque luxatos penetrat bacchata per artus:
Non unâ stat cæde quies, & meta laborum.
Durior est, segni quæ sicca fatiscit in ictu
Languida quam quæ prompta manu properante ruit
mors:
Nuda patent sine pelle caput, sine carnibus ossa,
Et fœda ostentat, pro vultu, rudera vultus:
Forma caret formâ, nasus naso, auribus aures,
Vivere cogat adhuc, & erit sævissimus hostis.
Nec dapis humanæ crescunt fastidia labris:
Impasti procul hinc ad pabula cedite, vermes.
Fabula sacrilegus jam desinit esse Thiestes.
Parcite, crudeles, membris exanguibus, ussæ.
Hæc facies rabidos posset molliere colubros,
Exarmare lupos, nec non cicurare leones,
Dum bene luctatus, nece tandem concidat unâ,
Mille prius passus geminato in funere mortes:
Jam purus terræque expers, jam simplicis auræ
Fertur ovans animus, cognataque sidera lambit,
Quo concreta nequit carnis se tollere moles:
Uda cruore madet tellus, & gleba laborum
Conscia, centeno promittit fœnore messem.
Anne oculos fugies silvarum conditus umbris
Impastas inter tygres, dirosque leones
P. Daniel. Inque lacu medio Daniel? nil sæva moratus
Spicula, nil totis abductos viribus arcus
Irruis haud dubium in fatum, quà mille periclis
Strata via est, alacris semper, lætusque laborum.
P. Duteux. Quis canat, ut magna populi te voce tonantem
Audierint, Butæe? ut cæca in nocte jacentes
Luce redonaris, rudis ut sine nomine turba
Jura dare & capere, & tabulis incidere leges,
Publica privatis secernere, sacra profanis

Cœperit & primos per te dediſcere ritus:
Hæc ego prætulerim quæſitis Marte triumphis:
Æneæ minus eſt Capitoli culmina fauſtis
Auſpiciis fundaſſe; minus ſeptem arcibus, ...
Impoſuiſſe caput: quam conditor extruit ...
Accitis ornet ſtatuis, templiſque coronet;
Tu natos ſylvâ populos, rituque ferarum
Indociles, & adhuc duros à ſemine Pyrrhæ
Inſtituis, legeſque doces, & jura miniſtras.
O magni, Gareal de, unus dux agminis inſtar, *P. Gareau.*
Qui denſos inter fumos, flammaſque ſequaces,
Terribileſque globos, transfixaque corpora telis
Commiſſam proprio tutaris funere turbam;
Quis canat intrepidus quoties ſemeſa parentum
Corpora, dirorum detraxeris ore nepotum,
Ingluviem damnans, cognato & paſta cruore
Guttura? proh dapis humanæ veſana libido!
Heu quæ jejunos rabies accendit edendi?
Dirius haud tygris ſaltus orbata peragrat,
Ereptoſque fremit catulos; non improbus agnam
Cum rapuit ſtabulo lupus, & veſtigia paſtor
Balatu accitus celerat, majoribus ardet
Suffuſus flammis oculos; furit anxius irâ
(Uti enim deluſa fames) dirúmque per agros
Exululat, prædam increpitans à dente revulſam.
Proh quantum, Denoalde, tibi Nova Francia debet!
Arva pererrabat gens barbara more ferino, *P. De N.*
Viſque innata animis, ſub inerti mole gemebat:
Nil animo, ſolis ſed agebant omnia palmis,
Nil pietas & cuncta furor: non fœdera vulgus
Norat amicitiæ: nec erat diſcernere certam
Ambiguo patri ſuſceptam ſemine prolem:
Crimina judicio plecti, inſternique modeſtus
Lege pudicitiæ thorus, & conſulta referri
In medium non moris erat; ſed commoda nutu

Unica metiri, ſibi vivere quiſque ſolebat;
Fœturam numen genitor pertæſus egentem
Conſilii, primoque carentia pectora ſenſu,
Te rigidis, Denoalde, dedit domuiſſe lupatis
Colla reluctantum, tardantibus addere calcar,
Et formare rudes, duroque extundere, cordis
E ſilice, abſtruſam ſcintillam, & prima fovere
Furta Promethæi, divinæ ſemina mentis.
Ac tuus ut refugas linguæ ſonus attigit aures,
Undique confluxere vagum denſo agmine vulgus,
Mirati numeros, & pulchræ oracula vocis:
Denſi humeris, arrecti animis, numeroque frequentes
Ora catervatim exertant, diſcuntque quid uſus,
Quid decor, & ratio, quid jus, quid poſtulet ordo,
Promiſſis quæ danda fides, pietaſque parenti,
Et patriæ, quæ vis animi, quam provida veri;
Quámque inconſultas ſuperet ſapientia vires:
Agnoſcunt ſe quiſque reos, oculoſque pudore
Demittunt, & prima oris ſe prodit honeſtas:
Exeruere viros, atque abdita ſenſa profundis
Mentibus; erumpit ratio; & ſervanda virûm vi
Mœnia jam ſolers ſulco deſcribit arator:
Vindicibus cœptum eſt tabulis incidere leges,
Virtuti pretium, vitioque imponere pœnas,
Et licitum à vetito, à pravo ſecernere rectum;
Eſt & dictus hymen, & deſultoria nullâ
Lege Venus ſtat fixa, & adultera ceſſat haberi:
Sic honor eſt ſuperis, vitæ ſua forma, ſuuſque
Virtuti decor, atque ipſi ſibi reddita mens eſt;
An ſerus ille animi & præceps, fiſuſque incerto,
Qui Deus unus erat, docilis ſubmitteret æquo
Colla jugo, duriſque animum mutatus habenis,
Nî prius inſanum Denoaldus voce furorem,

Vimque reluctantum irarum, populique rebellis
Mollisset furias, pronisque repente secutos
Auribus, ad pulchri formam duxisset honesti?
Quis nunc eloquio victas mansuescere tygres
Dimissisque neget serpentes ponere cristis
Sibila, si positis furiis hæc monstra domantur?
Aspice quà Titan surgit, pergitque, caditque
Gallorum toto orbe choros hinc inde volantes;
Non illi vanis percurrunt aera pennis,
Ut volucrum vaga turba ruit, quas mobilis auræ
Impetus huc illuc sine lege, sine ordine defert;
Consilio calcatur iter: quò numinis urget
Gloria, gressum illuc subito mentemque reflectunt.
Te quoque anhelantem sudore, & pulvere pulchro *P. Iogue.*
Conspicuum, sylvas inter niviumque sepulchra,
Jogue, canam; non parva tui monimenta laboris
Ter centum stant fixa locis, atque arbore vivunt
Scripta super multâ: assiduis circumvolat alis,
More aquilæ, saltus varios; par omnibus unus
Esse cupit, par esse nequit; jam brachia mille,
Totque manus linguasque optet, quot in arbore longá
Sylva creat frondes; centum si juverit orbes,
Centum alios suspirat, inardescitque medendo.
Ut Clytiem agnato secum circumvagus orbe
Sol rotat, & tacitis describit amoribus horas;
Ut ferrum consurgit iners magneti de gemmâ
Ponderis oblitum, sic allicit aurea virtus.
Restabant Hiroci; nil crudæ immania gentis
Tentamenta movent, rectus cœlestibus armis
Nil metuit, totusque licet desæviat orcus,
Tartareumque chaos, se seque Acheronte refuso
Misceat, impavidus prædas è faucibus orci
Eripit, algentesque animas nivibusque sepultas
Penè suis, solvitque gelu, cœloque reducit.
Scilicet hic tellus nivibus, latet arbore cœlum,

Et densi horrificant brumæ intractabilis imbres.
Ad potum validis ferienda bipennibus unda
Sectilis, & glacies agitato pendula crine
Multa sonat, densisque riget sylva alta vepretis:
Devius hic surdos frustra inclamaveris agros,
Nullus aberranti callem monstrabit arator.
Hæc tibi, Jogue, manet sylva exuperanda malorum,
Donec parta quies hastâ, fusoque cruore
Cœlicolas inter proceres, dimittat ovantem,
Et totum in totam nemus immutetur olivam
Intereà planctuque & flebilibus lamentis
Sylva gemit, placidoque queruntur murmure frondes.
Virtutes Jogum amplexæ, Charitesque cadentem
Excipiunt dextris, omnis ruit obvius æther
Accensis facibus, quod fax cœlo altera surgat,
Quæ sylvam incendit, totumque ardoribus orbem.
Haud secùs ignipedum quondam frænator equorum
Majoris splendoris amans, lucisque paternæ
Æmulus, insuetis manibus dum lora gubernat,
Lapsus aberranti curru, radiosque facesque
Jactat inextinctus Phaeton; quacumque movetur
Contra Austrum sævit Boreamque, nec ignibus haustâ
Contentus tellure, polo superisque ruinam
Intentat, geminoque furens cremat axe quod usquam est.
Da veniam, obtestor, meritis si carmina surgant
Inferiora tuis, nec enim sublimia facta
Entheus evolvat furor, & redivivus Apollo.
Eventura cano, quæ proxima sentiet ætas:
Namque immensa vocat cunctas clementia gentes,
Una capax hominum domus est, nec clauditur ullis
Aula Dei, nisi qui renuunt audire monentem.
Quin etiam vocat & refugos, & adire timentes
Invitat

Invitat, populisque ultro sacraria pandit.
Vos, quo sol oriens properat mediusque cadensque,
Pergite ferales vitiorum exscindere sylvas
Fronde coronati, & quæsitis sanguine palmis:
Hæc vos facta decent; cingenda ad tempora totum
Fiet oliva nemus, nectendis apta coronis.
Cernitur in vestram non promptior ipse Tyrannus,
Quam vos ire necem; fessus jacet ille nocendo
Cæde fatigatus vestra; vos membra ferendis
Indefessa malis geritis, sævoque dolore
Majores animos, majoraque pectora flammis.
Ille Gigantæa qui majestate superbus,
Elatâ se mole rotat, fastuque tumescit,
Vanescet, meritasque Stygi dabit hostia pœnas:
Tempus erit, nec longa mora est, cum, sole supremum
Dante diem, rigidus veniet quæsitor Olympo,
Virtutem merces & noxam pœna sequentur.
Heroum interea cineres tantisper amico
Conde sinu, gremioque fove, stratoque cubili
Excipe, Terra parens, donec lux summa soporem
Excutiet, vigilesque tubæ clangore vocabit.
Aliger at postquam, quæ deinde gerenda supersunt,
Edocuit, qua quisque via fugiatve labores
Aut ferat, ad cœli se se convexa recepit; *Recedit*
Tunc languens Lojola animum dedit ire per artus, *Genius.*
Luminaque attollens vix admittentia lucem,
Ardet adhuc lætâ fugientis imagine monstri.
Miratur rerum faciem, quò lapsa recessit
America, & magnis comes Aliger additus ausis.
Viribus exhaustis tardo vestigia gressu
Lenta movet, modicoque cibo jejunia solvit:
Sed vatem tantis terrarum erroribus actum
Meta vocat; Lojola, tui vestigia cursûs,
Qua licuit, tentasse sat est; penetrare negatur,
Enthea vis animi quo te super extulit astris

Specta-

Spectatorem operum, quæ postera noverit ætas.
Attonitum erexit tacito Patientia motu,
Admovitque crucem dextræ, quo vivida tactu
Indita vis menti, & diros munimen in hostes:
Non secus ac scopulos & cautes inter acutas
Saxifraga exoritur, sterilique enata parente
Radicem locat in scopulis, stirpisque tenacis
Auxilio sibi pandit iter, surgitque per auras,
Ergo ubi prorupit non amplius indiga matris,
Liberiore tumet genio, serpentia spargit
Brachia, & audaci sustollit fronde cacumen,
Sed matrem superasse parum est, nam spernere ventos
Gestit, & insani molimina temnere ponti:
Nam quoties fluctu frendens Neptunus inani
Bella movet, plantamque sua statione tenacem
Concutit, & firma radice revellere tentat
Tum victrix geminat virtutem, & nescia frangi
Imbelli hostiles insultus vertice ridet.
Frustrà animos tumidus viresque ad prælia cogit
Regnator pelagi; namque insuperabilis hæret
Saxifraga, & nullis à rupe avellitur undis;
Ipsa suum miratur opus natura fidelis;
Cui statio sterilis, cui mater saxea radix:
Crux pariter per dura solet, perque aspera tolli
Altior, & superos instaurat libera cursus
Arreptura velut sibi debita præmia cælum.
Quod si Lojolidi longe ventura tueri
Magnarumque licet lustrare sacraria rerum,
Da veniam, supreme Deus, si debile vulgus
Nosque humiles animæ, lentâ dum mole gravamur,
Sidereum molimur iter, cœloque potimur,
Rex Erebi cladémque sibi sociisque veretur
Intereà, & centone rudi canisque senectam
Mentitus; tremulosque gradus firmante bacillo
Ad juga se montis referens, sic ora resolvit:

Dæmon cœptus conatur obsistere. In vita Ignat. Maph.

Serius

Serius est, aliquando tamen, tibi cognitus error,
Et migrasse piget: quid profuit orbe vagari,
Quidve remetiri verso vada cærula cursu?
Pœnitet, & plenis rerum simulachra resident
Sensibus, imperitat jam cedere nescius hospes.
Si prius audisses certo ventura monentem
Augurio, stares, nec fracta labore referres
Membra supervacuo: quid enim nisi vana recursant
Luminibus lustrata vagis, & pulchra locorum
Somnia? mirabor si jam revocata cupido
Accipiat leges, & jam patiatur habenas.
Nonne jubet longo exilio lustrare recessus
Orbis inaccessi? num Seras rursus & Indos
Te docet inconsulta sequi? spondetque superbas,
Fundere si vitam liceat cum sanguine, lauros?
Anxia quam multos alienæ cura salutis
Traxit in exitium? seu vortice sæpe videmus
Abreptos, qui mergendis succurrere tentant.
I nunc, & diris offer te, illuse, periclis:
Quanto tuta magis quæ colle aut valle sub imâ
Vita dies agitat lætos, noctesque quietas.
Antra Deo montesque placent, &, sicubi, puram
Nullus Avernalis corrumpit anhelitus auram.
Tecta procul valeant, valeant cum mœnibus urbes,
Hic Erebus sua castra locat, fervere tumultu
Regna vides, studioque domos ardere peculi
Vixque Deo superesse locum, templisque quietem.
Et mox Lojolides: quid adhuc his collibus hæres *Fortiter obsistit.*
Furcifer? ecce crucem (simul hanc manus aëre duxit)
Inanis erat, qui larva fuit; tum vertice montis
Stans summo, divina, sequi da, *gloria*, quidquid
Cœlestum vis magna jubes, da frangere quidquid
Insidiis veterator aget: dicentis ad aurem
Reddita vox: collique satis temploque dedisti
Noctis amans, rerumque alter tibi cognitus ordo est:
Audiit,

Ac se Dei voluntati totum addicit.

Audiit, & genibus nitens hinc ibimus, inquit,
Ibimus igne tuo accensi, quem monte sub isto
Excudit mihi Diva potens, quem ventus, & auræ
Usque sub Eoum jactabunt flatibus orbem:
Ardeat inclusus fibris, perque ossa medullasque
Æstuet, hoc unum votis flagrantibus opto:
Fœlix morte mea, facibus succensus amoris
Si videam mecum terras considere in ignes:
Dixit, & exscendens, montem ter contigit ore:
Faverunt superi votis, hinc extulit ignem,
Barcino quem novit, quem non Salmantica vinclis
Frænavit, sed inextinctum Lutetia vidit
In rigido fervere lacu, lymphaque foveri:
Vidit Rhotomagus pennis cœlestibus actum
Tres sine fruge dies, totidem sine munere Bacchi,
Fraudatoris opum succurrere rebus egenis,
Nec tamen ingrati morbo, vel crimine vinci:
Arsit & ipsa viri flammis repetita Pyrene,
Cum patriam antiquam, & natalia tecta revisit;
Denique Romuleis jaculantem è mœnibus ignes
Sensit Hyperboreus, sensit Gangeticus orbis,
Quæque jacet medium tellus porrecta sub axem,
Quæque cadens postrema jubar componit in undis:
Sic fore pollicitus (nec enim sententia vertit)
Rex superum, quando terris monstravit acerbas
Rerum instare vices, & tristia tempora volvi.

Meditatio de duobus vexillis dat initiũ Societati.

In vita Ign. *Dæmon prope Babylonem colligit exercitum.*

Ergo ubi Lojolides orituræ stirpis honorem
Edidicit, lætoque explevit lumina visu,
Hæret tantarum defixus imagine rerum;
Dumque flagrat prolis totus venientis amore,
Ecce supervolitant duplicis vexilla catervæ,
Dissimiles sortita duces: hinc arduus altâ
Nube supercilii, atque minax ferrugine vultûs
Rex Erebi graditur Babylonica mœnia circum,
Ille Acherontæas vocat ad vexilla cohortes

Infren-

Infrendens animis, socias cui commodat iras
Æqua duci manus Eumenidum, frangendus Olympus
Seu veniat, versoque ruant Phlegetonte gigantes;
Ad caput hinc pendet crinalis & inde cerasta,
Turbineumque apicem spirâ serpente coronat:
Ergo superfusâ nube arduus, altaque terrens
Sydera, luminibus circumspicit omnia torvis,
Ferrea sceptra gerens: post facta silentia dextrâ
Tartaream intendit vocem, quâ protinus omnes
Circumfusi adsunt, flagrantia corpora, fratres,
Concilium infelix, numeroque exercitus ingens,
Quàm multa in sylvis vesparum examina lætis
Frondibus insidunt, aut urunt prata locustæ,
Cantharidesve comas nemorum: sic deinde profatur: *Oratio dæmonis ad suos.*
Ex quo fulmineo perculsi desuper ictu
Funditus occidimus, nec habet sors prima regressum,
Una salus, socii, superest, atque una voluptas,
Perdere terrigenas, ne, quas insedimus olim,
Ætheris obtineant arces; cognataque fungis
Corpora, cui tradi sensus, terrenaque massa
Mentem hebetat, cœli supremâ in parte locentur;
Dum, quibus æthereus vigor est sublimis origo,
Et molis seniique exors, de sede paternâ
Pellimur hæredes, regnoque exire jubemur:
Quique olim totum nostris sub legibus orbem
Misimus, abjecti capitis nunc vilia facti
Mancipia, impositas leges & dura feremus
Vincula: nec patriæ segnes miseretque pudetque:
Quid flammæ, quid tela jacent? quid inertia torpent
Brachia? & effœtæ, languent in prælia vires?
Hoc uri æternum præcordia nostra dolore
Sinite: & numero & telis superatis & astu:
Mille manus vobis famulæ, quibus omnia parent,
Nec faciunt spatia ulla moras, aut corpora tardant.
Ergo agite, ô fratres, barathro detrudite solem

Palam.

Palanteſque Erebo ſtellas: ut cuique nocendi
Eſt animus, furiáſque decet, contendite nervos
Unanimes, toto pugnetur corpore Averni.
Omnis in arma patet regio, non ulla domorum
Præſidia excludunt, non ſeptæ mœnibus urbes
Acceſſu prohibent: & quæ tam ſacra coronæ
Majeſtas, quænam caput inviolabile præſtet
Infula, ſi cauti veſtras impenditis artes?
Attamen accipite hæc animis, & figite dicta:
Nummorum ſi dira fames, ſi cæca libido
Ambitioque premant homines, tum protinus omnes
Abrumpent fas atque nefas, pietatis honores
Mentibus exciderint, reverentia legis & æqui
Ceſſerit illecebris nummorum, & divitis arcæ:
Tum facilis labor ad tumidos impellere faſtus;
Sponte magiſtratum, primique ſedilia cœtus
Quiſque amat, & tacitis ambit diademata votis:
Proturbabit agens alios, cui major opum vis:
Votorum hic compos veſtris elatus in altum
Auxiliis cadat in præceps, lapſuque pudendo
Deſperet, noſtrum ut faciat vertigo ſodalem.
Sic rari vacua aſtrorum regione fruentur
Cœlicolæ; ſic in pœnas anguſta patebunt
Tartara, & ultrices Erebi ſatiabimus iras.
Sic ait, & ſpumas, colubri quas ore vomebant,
Colligit emulgens, fratrumque in pectora fundit,
Unde ardent animi, atque odiis gravioribus orcus
Horret, & inſolitos fornax ebullit in ignes.
Volvitur aſſenſu murmur; ringuntur, hiantque
In prædas avidi, volucrum ceu dira ferarum
Agmina, quas longe lituos & bella ſecutas
Denſa virum cædes, nidorque cadaveris afflat:
Atque ubi tempeſtas ferri mavortia, prædæ
Obtulit aſpectum, mox turba volatilis inſtat
Unguibus & roſtris, & toto gutture ſupra eſt:

Tum ciet horrendo Asmodæus murmura rictu;
Nos opus hortatu, quibus una nocere libido,
Et pacem terris, cœloque revellere solem,
Et chaos antiquum mundo revocare voluptas.
Imus in adversos, &, quaquam haud jusseris, imus.
...queo vacuare polum, Phlegetonta replebo
...ie virûm densa, nostri in solatia casus:
Tum subitus mugire fragor, latrare trifauci
Cerberus ore furens, Stygiæ custodia portæ.
Intremuit Phlegeton, dubioque exterritus hæsit
Flumine, & ardentes revocavit protinus undas.
Quin etiam Styx atra gemit, noviesque fragorem
Ingeminans, retrò sinuosa volumina torquet.
Denique sub terris tonitru reboantia latè
Antra tonant, vastisque tremunt mugitibus umbræ
Nec mora Tartareæ pestes glomerantur in unum,
Itaque collectis stipatur curia monstris:
Pro quæcumque latent Stygio portenta recessu,
...mas una coeunt, atque agmina complent:
Tridenti rapit arma manu fabricata Cyclopum
Prodigiosa cohors, sævo latus induit ense
Pars alia, ardentemque rapit pars altera tædam.
Hic conjuratos videas discurrere & illuc
Instructos telis manes, scissisque capillis
Fervere surgentes animis discordibus iras:
Ante aciem, primâque minas in fronte volutant
Nefandæ Eumenides; succensas vertice pinus
Sanguineis manibus quatiunt, totisque furorem
Facibus excitant, hominique Deoque minantur.
Adsunt, qui Veneris cæca dulcedine captum
Pertentant animum, & lento flagrantibus igne
Medullibus, sensim violenta incendia miscent.
Hi vanas veri mentes popularibus inflant,
Ceu folles, ventis; majoraque viribus orsa
Insinuant, trabeas, &, spe crescente, secures

Altera pars meditationis de duobus vexillis.

Fascesque, & tacitis diademata regia votis.

Christus dux alter ad Solymæ. Parte alia ad Solymam late porrecta patebat
Planities, læto quam circum margine palmæ,
Udaque mobilibus cingebant pascua rivis:
Gratia mira loci; & cœlo lux ampla sereno
Irradians, apicem Ducis insignibat honestum:
Ille virûm stabat medius, quos inclyta virtus
Ore oculisque micans, & claris edita factis
Traxerat agmen inops, numeroq; & simplice cultu
Signifer ipse crucem dextra attollebat, & olim
Dedecus hoc ligni, probrumque infame latronum
post sola terrarum, & reges virtute subactos
Figendum ætherea signabat in arce trophæum,
Si nunc optanti referat Deus ille Magister
Quid loquar, ô vanæ deinceps mihi fabula Musæ!
Dicam equidem, tanto quæ pòst audita recurrunt
O socii (sic ille suos in bella vocabat)
Quamquam impar orbi numerus, nec viribus æqua
Parva cohors, bello armatum mittatur in hostem,
Aëra qui castris, terras qui milite complet,
Quo mundi sub rege, tremunt capita ardua Regum,
Arma fremunt populi, celsis stant mœnibus arces
Et munita manu prætendunt oppida fossas:
Ne trepidate tamen signis opponere signa,
Et conferre pedem: veniens firmabit inermes
Desuper auxilium: nova bella ciere Tonanti
Sic placet, ut feritate lupis acuentibus iras
Congrediantur oves, placidique leonibus agni.
Orbis in excidium surgit Regnator Averni
Nec leges ponit furiis, castra æmula castris
Objectat, largisque animas sudoribus emptas
Raptat hians, cogitque novas in bella catervas,
Confisus virtute nova, turpisque ruinæ
Immemor, amissum veluti si speret Olympum:
Hinc late, improbitas viget, & sua cuique libido

Fit Deus, hinc currus cum semiviro comitatu
Bacchus agit, Venus inde suos cognata triumphos,
Quos refugi renuunt oculi: nam nulla pudoris
Cura super, densaque nefas sub nocte tegendum
Prodit ovans, & amat non uno teste videri:
Me duce non ferrum, nec tela ferentia mortem,
Scutaque corripite; at monitis cœlestibus acti
Ite per obstantes cuneos, & prodiga vitæ
Pectora pectoribus committite, & oribus ora:
Sub pedibus calcentur opes: quid mole metalli
Corda gravata gemunt, iter affectantia cœlo?
Nonne vident cæco terræ damnata recessu.
Erutaque immensis, & cusa laboribus, auri
Pondera quo vergant? quibus & nascantur in oris?
Talia gryphes ament, nigrisque monedula pennis:
Libertatis ament regnum, pigeatque pudendi
Servitii, tutâque humiles se valle recondant:
Insidias adeò, vastique dolosa Gigantis
Retia vitabunt, quæ mentibus alta superbis
Inserit, obstantesque moras & vincula rumpent;
Ut facile, oppositas, quas nectit aranea, casses
Nescius accipiter frangit, dum nubila tranat.
Interea, fidi, vestrâ pro parte, sodales,
Pandite res alto cœlo, & caligine mersas
Noctis adhuc: populósque rudes arcana docete,
Quæ monuisse juvat, quæ me didicisse magistro;
Dumque viris per vos melior jam vita renatis
Constiterit, dabitur vacuo succedere cœlo,
Hospitibusque novis veteres reparare ruinas.
Per populos orator eat, qui fulminis instar,
Perturbet populos, Veneris qui furta nefandæ,
Orgia qui Bacchi, inconcessosque hymenæos
Afflatu graviore premat; manesque recludat
Et cœlum, pravis pœnas & præmia justis.
Ite Stygem contra, ne cædibus aucta triumphet

Amplius; inque vicem doleat ſua regna domari;
Servarique animas per vos, quas prodigus emi
Sanguine reliquias triſtes, Erebique ſuperbi
Exuvias charas, domitoque ex hoſte trophæa:
Tantùm oculis veſtris noſtri jactura dolebit;
Tantum non vultum & præſentia cernere coram
Ora dabo, & noſtras audire & reddere voces:
Aſt ego ſuffectis oculorum damna rependam
Viribus, ipſe locis præſens adero omnibus, omnes
Luſtrabo tacitâ rerum ſub imagine turmas.
Claſſica, non tanto præcordia bellica motu
Concuſſere, tubâ belli incendente furorem;
Quantùm magna ſonans ea vox Ducis impulit aures,
Vibranteſque Dei vultus in lumine viſi.
Exarſit ſaliente animo præclara cupido
Divinorum operum, quæ nunc infixa medullis
Arma jubet properare, animumque adjungere cœptis,
Atque hæc exultans animis Ignatius haurit
Multa putans, unde incipiant, quò deinde cadant res:
Mox operi accingit ſeſe, & primordia lætus
Molitur, variâque novem de gente ſodales
Illuſtres animas, magnumque in nomen ituras
Divino monitu, & felicibus adlegit orſis,
Primum militiæ non illaudabilis agmen.

Finis hujus poematis, non urbis aut reſpublica conſtituenda, ſed Societas quam aggreditur Ignat.

Ad majorem DEI & S. Ignatii Gloriam.

OPUS-

OPUSCULA
DUODECIM.



SEPTEM PSALMI, QUI VOCANTUR POENITENTIALES.



PSALMUS SEXTUS PSALTERII, DAVIDIS POENITENTIS PRIMUS.

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua carripias me.

Misere mei Domine, quoniam infirmus sum.

ARGUMENTUM.

David gravi morbo correptus ardentissimè sanitatem postulat, ne inimici de ejus interitu lætentur: deinde de exaudita oratione sibi gratulatus, hostibus mortem suam expectantibus piè insultat.

MYSTICUS SENSUS.

Oratio est hominis anxii & animi ob peccatorum recordationem perturbati, qui tandem divinâ consolatione recreatus sanctè gloriatur.

SAT pœnis, justòque datum est, Deus alme, furori;
Si tamen ulla satis plectendo in crimine pœna,
Si furor aut ullus satis est: nil ferre recuso,

Quod jubeas, modò sit jussis vis aqua ferendis;
Virtutem, aut veniam posco: nam pœna nocenti
Est sua, suppliciúmque scelus: vix ossibus ignis,
Vix linguæ sonitus superest, vix halitus ori:
Tu labris abeuntem animam, primòque fugacem
Hospitio revoca, & moribundum subtrahe letho,
Si subitis delicta forent plectenda sagittis,
Jam tua consumptis langueret dextera telis,
In tantas angusta forent jam tartara pœnas.
Anne ego te post fata canam pallentibus umbris
Clausus, & insueto turbabo carmine manes?
Vox nulla est functis vitâ, locus ille silentum est.
Heu fateor maculasse thoros nil tale merentis
Et vitam rapuisse manu hac: sed flumina fundam
Flumina larga, quibus mens ægra ensémque, thorumque
Eluat, assiduisque pluat nox humida guttis:
Jámque oculus nimio madidus caligat ab imbre,
Et refugus nictat diræ ad spectacula labis:
Este procul, fraudum auctores, & turpibus ausis
Omnia pœnarum consumere nomina digni:
Audiit Omnipotens, primus vigor atque redux mens
Surgit, & ardentes tepuere per ossa medullæ;
Vos, scelerum artifices, & læti rebus acerbis,
Si frons, si pudor est, mutata fronte pudorem
Induite actutùm: turpi nam tincta rubore
Nostra priùs, jam lætitiis Deus ora serenat.

❧§(o)§❧

PSALMUS TRIGESIMUS PRIMUS, SEPTEM PSALMORUM SECUNDUS.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates.

ARGUMENTUM.

Psalmum hunc scripsit Propheta, cùm post adulterium, & homicidium in corporis infirmitatem, aliásque calamitates incidisset, quas immisit Deus, ut ad peccatorum confessionem, & expiationem induceret.

FELICES animæ, facilis quibus ira pepercit
Numinis offensi, & pœnas cum labe remisit!
Nec, velut inducto cineri supponitur ignis
Tectus in insidias, vis est rediviva nocendi,
Cùm semel æterno crimen velamine texit;
Nil labis superest, penitùsque obducta cicatrix
Reddidit antiquum, forma redeunte, colorem:
Fœlix illa magis, cœlo qui natus amico,
Semina virtutem, divini aspergine roris
Excoluit, quem nulla doli fraudísque cupido
Flexit in obliquas animi non simplicis artes.
Heu mihi quo constant damnosa silentia planctu!
Qui tacet, & fugiens in apertum educere solem
Noctis opus, tacitum clauso scelus ore coërcet,
Is crimen, pœnásque novis accessibus auget:
Hinc mihi nulla quies: noctúque, diúque fatigo
Et lacrymis, & voce Deum: vix ossibus ossa,
Vix carni cutis hæret, & omnis inaruit humor.
Tu tamen, ô Numen non exorabile, multo
Verbere, & usque novis terga indurata flagellis
Desuper urgebas, & me non facta verentem

Sat

Sat mea, non timidum vibratæ ad fulmina vocis,
Cuncta retexentem ſubigis delicta fateri.
Et mecum hoc; veniam ſupplex, mora nulla, requiram,
Non erit & pœnas uſquam geminare negando.
Vix ego ſic, actis adverſa prioribus acta
Et vitam in melius meditans? tu protinùs audis
Immemor actorum, gremiumque amplexibus offers
O ſtatio ſecura mihi: cùm pontus ab imo
Totus inundabit, clangórque noviſſimus altùm
Ingeminans, latè tumulis hinc inde recluſis
Excierit populos, noſtræ ô tutiſſima cymbæ
Spéſque ſalúſque, tot iratis jactata procellis
Das maria exuperare, ſacros & inire receptus,
Das & opem ſperare, & non diffidere cœptis!
Dúmque viam pandis ſolers ad ſingula ductor,
Juverit actutùm premere, & veſtigia ponè,
Non abrupta ſequi, erroréſque ſubire viarum,
Qualis equus, mulúſque videns armenta vagari,
Flectit iter gyris: donec calcaria ſeſſor
Ingeminans & fræna quatit, virgáque priorem
Dirigit in curſum; ille motæ diſpendia penſans
Agglomerat juſſos ingrato in tramite greſſus;
Sic camo ſtimulòque doma, quem devius error
Abripit in præceps; firmíſque aſtringe lupatis,
Qui fræno rationis egens ſine lege vagatur
Liberiùs, certáſque æqui non audit habenas.
Eſt ſibi pœna nocens, crimènque domeſticus hoſtis:
At ſequitur ſpem certa ſalus: vos gaudia vultu
Vocéque teſtati, patrio confidite cœlo.

PSALMUS TRIGESIMUS SEPTIMUS, SEPTEM PSALMORUM TERTIUS.

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Quæ

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.

ARGUMENTUM.

Scriptus est hic Psalmus in rememorationem SABBATI, *id est quietis in statu innocentiæ amissæ, & voluptatis, quæ ex bona conscientia percipitur.*

PERGE tuos, meritum in caput, exercere furores,
O scelerum vindex, rigidúsque ad singula censor!
Nam domini loris adigunt, sudibúsque superba
Mancipia exercent, & duros compede vernas:
Dilectam at sobolem blandâ monuisse querelâ
Sat patriæ est iræ, & molli strinxisse flagello
Infirmum genus, & pœnis gravioribus impar.
Crimina dum recolo, præcordia contrahit horror
Ignavus, vix ossa calor, vix halitus ora
Occupat; at tenuis, nunc & morientis oberrat
Spiritus, & fauces hæc ægrè in verba resolvo;
Ut malè compactâ dum quis rate naufragus altos
Decidit in fluctus, proprio se pondere mergit,
Exuperat caput unda vorax, & fluctibus ora
Multa opplens spirare vetat, dum redditus auræ
Humida ab undoso protendit brachia fluctu,
Littoráque aspiciens, socios clamore requirit;
Sic mea me rapidis pridem mersere procellis
Crimina, sic nautas, portúsque requiro secundos
Naufragus, & fauces opplet lethalis amaror:
Gratior at vacuo remeat dum spiritus ori,
Datque salum epotum vomere, atque optata tueri
Astra, memor vitam refero; si vita vocanda est,
Vulneribus cùm corpus hiat, nec clausa cicatrix
Obducit sese: sed nec mihi cura medendi:
Quin potius sævæ impatiens pruriginis, ulcus

Scal-

Scalpenti refrico dextrâ, ſicque omnis ab imo
Putreſcit jam plaga, atque unguibus aucta cruenta
Vicinos latè populans depaſcitur artus.
Si tamen (in totis ſunt unum vulnera vulnus
Artubus) acceſſiſſe queat nova plaga priori.
Nil humeri, nil dextra valent, elumbia terga
Declinant onus, effœtæque ad pondera vires.
Dejectum me cerne ſolo, gemitúſque ſupremos,
Quos expiranti, tandémque extrema frementi
Eripuit de corde dolor, tractabilis audi.
Sed quid opus verbis, linguam ſuſpiria ſupplent
Verborùmque vices; nam pectore feſſus anhelo
Langueo, deſervìtque omnes vigor, & decor artus.
Quid querar eluſam que fidem, violatáque ſacri
Jura ſodalitii, technàſque rebellis amici,
Et conjuratas injuſta in bella cohortes,
Quas magè ſperabam fidas mihi rebus in arctis?
Surdus ego intereá repetita ad jurgia ſemper
Elinguíſque, minas nullas, nec amara viciſſim
Dicta procax, contra convicia falſa, repono
Certus opis, fidénſque tuæ : nec me mea fallet
Magna fides : nuſquam fugientia terga videbit
Hoſtis ovans, ſint terga licet digniſſima pœnis:
Ille iterum pugnæ impatiens dira agmina dira:
Denſat, & innumeris unum caput impetit armis:
Te duce, certa ſalus, te defenſore, ſalutis
Palma comes, celeríque aderit victoria curru.



PSALMUS QUINQUAGESIMUS, SEPTEM PSALMORUM QUARTUS.

Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Cùm

Cùm Nathan venit ad Davidem, Propheta ad Prophetam.


PARCE, Deus! magnúmque tui miseratus amoris
Pande sinum, nam grande nefas brevioribus ulnis
Est impar, & parva gravi clementia noxæ:
Namque intentatum nihil est, nil restat inausum,
Pérque gradus omnes, corpúsque animúmq; libido
Quo tulit, ad suprema scelus fastigia duxi;
Audax heu nimium! tu criminis alta tenentem
Deprime felici casu, ter & ablue vivo
Flumine, & exundet totis miseratio rivis:
Non mea me delicta latent, sempérque recurrunt
Obvia, & horrendis referunt simulacra figuris:
Nullum ego te crimen non inspectante peregi,
Certus eris, si causa subit prætoria, testis,
Et sperare vetor: nam quâ me labis inanem
Parte canam, impuro mihi si de semine surgit
Principium, nec nulla hominum vitiosa propago est;
Cur tibi certa negem, jussus tibi vera fateri?
Tu mihi das Sophiæ clausos aperire recessus,
Et certâ ventura procul prænoscere mente:
Tu me humilis lustras hyssopi aspergine, & omnis
Abscedit labes, ac primæ reddita formæ
Mens candore nives, purgatis sordibus, anteit.
Vocibus his quicunque avidas impleverit aures,
Ille recedentem vitam revocaverit, ille
Infractos crebris solidarit ab ictibus artus.
Si te fœda oculis pigeat delicta tueri,
Avertisse sat est, & cæca immergere nube
Noctis opus germénq; Erebi, modò lucis obortæ
Vel radius tenuis divo scintillet ab igni.
Si nullum accessu, sacrísque amplexibus arces,
Cur reducem prohibes? resonet vox læta salutis

Nun-

Nuntia, quæ tergat lacrimas, quæ surgere fœda
Mandet humo, ac referens mentémque animumque priorem
Me mihi restituat, demissáque sceptra reponat.
Primus ego hortabor, monitisq; urgebo rebelles,
Ut versis studiis, melioráque signa secuti
Ire iter instituant tua sub vexilla, reversi
Unde sibi veniam, cælóque trophæa reportent.
Heu nova continuò timidum spectacula pectus
Exercent, modicam vix indultura quietem,
Pallida dum cæsi occursat ductoris imago!
At, mea magna salus, has si deponere curas
Posse dabis, memor usque tuæ præconia dicam
Justitiæ, quam tota olim mirabitur ætas,
Génsque omnis, sexúsque omnis: quæ postera surget
Relligio, alterno repetet mea carmina cantu.
Tu modò labra ciens, & fila loquacia doctæ
Contendens citharæ, quæ suggeris, excipe vota.
Hæc ego sacra feram, cadet hæc tibi victima; nam te
Non delubra juvant squallenti pinguia tabo;
Sed mens fassa nefas, & amans sua facta piare,
Uno Israëlem totum hostis sorbuit haustu;
Quâque iter ad celsæ ducebat templa Sionis
Ante hominum pedibus tritum, cùm sacra quotannis
Judæi patrio facerent de more frequentes,
Sentibus obductam passim sylvestribus horret:
At tua, quæ nullis ingens clementia metis
Clauditur, & nullo miseratio tempore desit,
Spem facit, & primos aditus ad templa recludit.
Tu, qui castigas modicè graviora merentes,
Instaura Solymas; superest vix urbis imago;
Portæ hæsere solo effractæ, vectésque revulsi;
At si dejectas miserans erexeris arces,
Illic te innumerus civis, génsque advena passim
Sacrificúmque colent dextræ, votivàque figent

Dona

Dona tholis & thura focis; tibi lecta cremabunt
Barbati gregis, & balantum pinguia cædent.
In primis taurus generosa in cornua surgens
Iam primùm, crescénsque animis, tibi victima sæpè
Multa cadet, rubróque flueut altaria rivo.



PSALMUS CENTESIMUS PRIMUS SEPTEM PSALMORUM QUINTUS

Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam à me.

Oratio pauperis, cùm anxius fuerit, & in conspectu effuderit animi sensus.
Id est,

Formula orandi, qua debet uti pauper in angustiis positus.

QUÆ frustrà toties cœli convexa pererrat
Irrita vox, fractis subeat penetralia portis:
Túq; Deus, lacrymas, quas suggeris, annue, & udo
Pectore manantes gemitus placabilis audi,
Ulterius nec verte meis tua vultibus ora;
Sed quocumq; loco, quocumq; & tempore posthac
Surgentes cum voce manus ad sidera tollam,
Desuper inclinans lapsis succurrere rebus
Appropera, promptâque manu fulcire ruentem.
Nam veluti torris cùm se fert fumus in altum,
Si flavere noti, collectæ nubis ad instar
Et fit continuò, rarúsque repente sub auras
Canescit; sic vita fugax dilabitur, ossaque

Aresa-

Arescunt sensim vacuis exsucca medullis.
Sicut & in pratis, rigidâ quæ gramina messor
Falce secat, mox deficiunt; ut solis ab æstu
Flos languens, lasso cervicem in caule reponit;
Sic ego deficio, panis, vitreíque liquoris
Immemor : exhaustæ gemitu, assiduísque querelis
Stant fauces, mutòque hæret vox cassa palato.
Qualis & umbroso silvæ velata recessu
Noctua, desertíque volans per rudera tecti
Exercet vacuis carmen ferale sub antris;
Aut veluti, nidis vigilando loquacibus, abdit
Passer inaccessis, implumia pignora, tectis?
Talis ego humanæ fugiens consortia gentis
Ingemo, dum clamosa fremunt convicia gentem.
Cernis ut immundo coopertus pulvere canos
Abjectúsque solo, fletus in pocula vertam,
In panem cineres : dum summa sede locatum
Subruis in præceps, & adhuc in verbera pendes!
Ast, Æterne parens, nullo qui deficis ævo,
Si qua manet te cura mei, miseresce Sionis,
Dum civis rogat, & spatium non abnegat hostis;
Si facias, quot erunt lapides, tot signa salutis
Marmoreis impressa notis, in sera micabunt
Sæcula, & arx nullas stabit veritura ruinas.
Hæc ergo æternis memores intexite fastis
Nunc vobis, vestrísque legenda nepotibus olim.
Namque Deus terras oculis dignatus & aure,
Audiit ex alto gemitus, & mœsta querentum
Carmina. Si rursus versas erexeris arces,
Nostra tibi grates referent post funera nati;
Nam me vita fugit. Breve cur mihi contrahis ævum,
Et properas mediæ abreptum divellere luci,
Cùm tua non ullis declinet vita sub annis?
Per te præcipiti gyrat vertigine cœlum;
Firma manet tellus, & pondere fixa suo stat,

Interitura tamen, senióque datura tributum:
At idem es, nusquam absimilis; non labile carpit
Tempus & adversi vertunt decora inclyta casus;
Sed dives, plenúsque tui es; non copia dando
Deficiet; sed tria poli vestigia pressans
Posteritas bibet hoc refluos de fonte liquores,
Nec lacus exhaustis siccus rarescet ab undis.
Felix mens nimiùm, tam rerum oblita suarum
Quàm confisa tibi, quæ divite ab ubere pendet!
Defectum tua sola penus non novit alendo.



PSALMUS CXXIX.

SEPTEM PSALMORUM SEXTUS.

De profundis clamavi.

CANTICUM GRADUUM,

Id est.

Psalmus unus ex gradualibus, quo deploratur exilii calamitas. Recitatur pro defunctis. Omnia enim quæ continet, conveniunt animæ in purgatorio degentæ, quæ inducitur loquens.

Carmen elegiacum, quia lugubre.

CLAMOREM è latebris, imóque è pectore misi;
Audi humiles celsa desuper arce preces:
Nec satis est votis utcumque advertere mentem,
Acriùs intentam sollicitámque peto.
Sæpè renascentes levet auris amica querelas,
Votáque luctificis ingeminata sonis.
Si castigato pendas examine lancis

Crimina, quis pœnas, quas meruere, feret?
Pacis habes templum, fumatque tibi ara ſalutis,
Spem mihi, quæ damnat lex ſcelus, ipſa facit.
Suſtinui, promiſſa licet ſuſpenſa morentur,
Tantáque non potuit ſpem minuiſſe mora.
Fide Deo, Iſacide! primo dum mœnia mane
Luſtrat, & excubias veſpere miles obit.
Qui dominus, pater ille idem, cui pectus amicum
Cui bonitas levibus non ſuperanda malis.
Vindex Iſacidas exosâ ſorte levabit,
Solvet & admiſſi probra relicta mali.



PSALMUS CXLII.

SEPTEM PSALMORUM ULTIMUS.

Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem.

Quando Davidem proſequebatur Abſalon patrem filius.

DA precor, ærumniſque manus, & vocibus aures
Alme ſator! ſtet certa fides, nec vana locutum
Arguerit quiſquam: ſcio crimina, & agnita damno,
Inſectórque odiis: quid me ad ſubſellia rursùm
Abripis, atque iterùm vis faſſum nota fateri?
Si ſcelus æquato pendas examine libræ
Æquiparans pœnas, rigido te judice nullus,
Propitio ſed patre nocens abſolvitur omnis.
Aſpicis ut nudum latus urgeat impiger hoſtis
Undique, libatæque petat ſpolia ultima vitæ?
Scilicet obſcuris, ut funus inane, ſepulchris
Conditus, in tenui lateo diſcrimine mortis,
Veſtigórque neci: Spes, ô certúmque mearum

Præſidium rerum, tot inexpectata ſalutis
Gaudia dum recolo, memor, ut me mille meóſque
Ante modis, meriti abſtuleris de faucibus orci;
Tunc ego telluri ſimilis, quæ pendula aquarum
Stagna ſitit, crebróque imbres ſuſpirat hiatu,
Libatum repeto noto de fonte liquorem.
Tu mihi ſydereos, cœli arbiter, implue rores,
Nam pereo, ultricéſque ſtygis præſentio flammas:
Accelera; tu namque Deus, Dominúſque, Paterque es.
Tu mihi ductor eris, rectâ & regione viarum
Certus iter capiam, ſpernámque innoxius hoſtes.
Te duce, proſtratáſque acies, infractáque colla
Aſpiciam, victórque hoſtilia tela repellam,
Servus ego, domini veſtigia ponè ſecutus.





STATUA LUDOVICI REGI[S] DECIMI QUARTI.

HUC opifex; sculpto Lodoicum in m
re siste:
Ars quanta est, & quanta manus mihi
laboret.
Sit talis, qualem in bello pallantia cernunt
Agmina, dum fœtos irrorat sanguine campos,
Ad bases faciem obsidii, castellaque circum,
Et positas undis obices, sylvasque natantes,
Implexasque trabes, docto describe labore,
Et vastas operum moles in marmore signa.
Gallia diversis niteat cælata metallis:
Ductilis argenti per agros se lamina fundat,
Multiplicique errore vagos sinuetur in amnes.
Innumeræ emineant auratis mœnibus urbes,
Quas inter, celsum Regina Lutetia tollat
Ambitiosa caput: quam proxima ponè sequatur
Æmula Rothomagus; reliquas hæc celsior urbes
Despiciens, uni tibi, magna Lutetia, primas
Cedit, & innumeris rapit invidiosa secundas.
Hîc super elato surgat Lodoicus in auras
Marmore, cui regale caput tegat aurea cassis:
Crista superfusis hinc atque hinc nobilis umbris
Temperet horrorem galeæ, blandoque volatu
In fontem cruvata cadat; neque tempora ob
bret
Illa tamen, frontisve decus regale; sed illam

Pin

ivini vetitam confinia tangere vultus,
tremis galeæ reverentia sistat in oris:
extra ferat nudum, præsentemque offerat ensem
ostibus: obvallet rigido munimine thorax
ectora, vibratus quem contra plumbeus imber
ecidat, illiusque pedes frustratus adoret,
edere sacrilego quem pertentaverat ausu.
Addere cornipedem, & lauros, palmasque juberem,
nisi te dudum, & dextræ labor ipse doceret.



ARCHIMEDES.

llia Syracusii, certa sub imagine, cerne
Fata senis: doctosque manet qua meta labores.
n nova cœlestes furatur machina flammas
enitens alieno, & quanquam lucis egena
cat in gremium solem, cœloque revellit:
mque una radii spiculo coiere recurvo,
inus ignescunt, lateque incendia jactant
nbustina rates, queis denegat unda levamen:
tamen alma ruit: portis bipatentibus hostis
edit, strictoque furens mucrone minatur.
enex operi incumbit, doctæque mathesi,
litus multos animo dissolvere nodos
niosus homo, & rerum cognoscere causas:
Hæc inter Romanâ Phalanx, atque ense cruentus
s tecta subit, rabidoque hæc intonat ore,
mecum, moriture senex: placabo meorum
e tua manes, meritas dabis, improbe, pœnas,
ebes cæsorum umbris; Marcellus in ædes
ocat, accelera: quid nostra, ducisque moraris

Imperia? an nudi gladii, totque agmina terrent?
Ibo prior, ſequere: obtutu defixus in uno
Palladiaſque imo verſans ſub pectore curas,
Hærebat; donec tua, dixit, juſſa capeſſo,
Te ſequor; at noſtro vix ultima & una labori
Linea jam ſupereſt, hanc per te mihi ducere detur.
Vota placent, inquit, mors ultima & una labori
Linea, quam ferro duces: ferro excipe mortem:
Sic ait, & crudo pectus tranſverberat enſe.





DIVÆ ANNÆ QUÆ IN AGRO VENETENSI

Armorico magna veneratione colitur.

SOTERIA.



NNA ſalus populorum, & magnæ digna parentis
Ipſa parens, vati, quæ ſuggeris excipe vota,
Et canere incipiam memori tua munera verſu;
Non ſecùs ac tumidis dum naufragus exit ab undis
Totus adhuc madidus, patuloque abſorpta fluenta
Ore vomens, ſi ſenſit opem diſcrimine tanto,
Ad ſacras votiva ratis defigitur aras
Aurea, in aëreo quæ fluctuet æquore, filo
Penſilis, & ventis argentea carbaſa pandat.
Addit, ſi tamen ars effingere novit in auro,
Quos adiit caſus, tranſtris ut in æquor ab altis
Decubuit præceps, ſummis ut pendulus hæſit
Fluctibus, & divæ miracula cætera dextræ. *Narratio.*
Exangues miſerè febris graſſata per artus
Sævit inexpletùm, ſolitoque potentior ardet:
Alternat non illa vices, fugitiva ſubinde
Temporibus certis, certis reditura diebus.
Torquet inexhauſtùm ſitis, ardeſcitque bibendo
Acrius, & medico vires aſſumit ab hauſtu;

Non secus atque hydrops distendit turgidus alvum
Nequicquam, quin & nitidi spiracula fontis
Rupe sub umbrosâ nactus, frustrá obvius haurit
Undantem lympham, & toto se proluit amne,
Non potis eluere, & rabiem sedare medendo.
Quem fontem intactum, aut quæ illibata reliqui
Flumina, quæ vanâ rabiem solatus ab unda
Fingebam, simulacra animum per inania pascens?
Si quis erat visu, aut auditu cognitus annis,
Mente recursabat; si quis garriret aquæ fons,
Obstreperetque loquax per saxa sonantia rivus
Ante mihi notus, tunc ore videbar aperto
Exsiccare vadum, & totum exsorbere liquorem,
Instar erat potûs, fauces perstringere dulci
Illicio, fictâque boni, gaudere sub umbrâ:
Sæpe recurrebat Ligeris, puerilibus annis
Et notus potusque mihi, quà proximus intrat
Occeanum, Nereoque patri vectigal aquarum
Debitor exsolvit, prius & quam littore amaro
Insulsas mordace nitro corrumperet undas,
Sistere fingebam fluctus molimine magno:
Tunc adeo immensosque lacus & stantis aquæ vim
Non lento in fauces potu, tractimque liquare
Ductilibus guttis, madidum sed gurgite toto
Funditus immersare, vadoque innare profundo.
Illusisse meæ, mea per mendacia, menti
Dulce fuit, lætâque animum sub imagine pasci.
Turbine in hoc rerum, dubiâ sub morte trahebam
Ægram animam, properi languens in cardine fati.
Conveniunt medicorum agmen, venamque micantem
Non semel explorant tactu, linguamque gravatam,
Agnoscunt taciti vitium; mussatque vicissim
Et fere inauditus furtim breviore susurro
Alter in laterius, de me quid senserit, aures,

Doct

Pectaque motatâ cervice silentia servant:
Unde tacent, timor inde venit, novique magistram
Deficere hic artem, cassosque in pharmaca succos?
Ast ope Pœoniâ, medicisque potentius herbis
Desævire malum, propiusque instare periclum.
Spes igitur referens aliò, mox talia mecum:
Quæ mihi causa metus, si juverit Anna clientem
Utilior succis, totâque Machaonis arte?
Vidi ego templum ingens, quo primus & ultimus ordo
Confluit, huc nati atque patres, huc innuba proles,
Matres atque nurus, huc denique supplice voto
Turba ruit, nescitque pari frustrata repulsam:
Ibo animis & votis, quò passibus ire negatur.
Tum cœlo crudum ostentans & debile pectus
Auxilium Divæ inclamo, morboque levatus
Votivum statuo pro luce rependere carmen,
Salvam animam paruâ sub conditione paciscens.
Anna, recedentem vitam, primoque fugacem
Hospitio revoca & moribundum subtrahe letho:
Adjice servatis per te tot millibus unum,
Quæ potes invitis animare cadavera Parcis.
Mox Raphael, Medicina Dei (vox talia signat)
Adfuit auxilio, lenique per intima lapsu
Ossa manum ducens, acres è pectore morsus
Temperat, & rabidos febris refrigerat æstus,
Sic jussit superum rector, sic Anna rogavit,
Anna oculis præsens, & sic solata jacentem;
Coram adsum, quam voce vocas. Deus arbiter unus
Necis & vitæ, properantia fata moratur,
Pone metum, vives, memor at data munera lucis
Damnatus voti, festo modulabere cantu:
Hinc tibi carmen erit, quamvis desueta fatiscat
Vena situ, haud tali tractabilis amplius arte:
Nec mora, magna quidem, quamvis non tota recessit
Sævities morbi, & vitæ spes certa recurrit:

Paulatim ponente sitis cum febre remittit
Importuna comes; repetit vigor & decor artus:
Qualis post hyemes, Austrique insana furentis
Prælia, se tenui primùm sub lumine prodit
Auricomus Titan, frontique obducta serenæ
Sensim vela secat, donec per cærula pleno
Lætus eat curru, & lucem depromat Olympo.
Non erit ulla dies, quæ me, dum vita manebit,
Arguat immemorem, non si intra viscera lethum
Condidero hoc potu, quo flumina tota vorabam.
Quod per te reparata salus, quòd munere vivam,
Anna, tuo, & memini, & nunquam meminisse pigebit,
Quid privata cano, quando non publica desunt?
Auræum juxta, quà latum excurrit in æquor
Planities, templum celsis se nubibus infert,
Quod cœpit pietate novâ, plebisque recenti
Relligione coli; sed jam Dea læta per ora
Circumfert populi, serisque nepotibus olim
Posteritas canet, & mortis secura vetustas.
Hic cantum alternant rite, atque altaribus astant
Perpetuis & amata cohors & amanda, clientes,
Virgo, tui: genus hoc Eliæ atque ignita propago.
Haud patri absimilis, cui grandia nomina fecit
Carmelus, tantis sese qui jactat alumnis,
Unde per immensos populos, per plurima retro
Sæcula, quà Phœbus madidis oriturque caditque
Vectus equis, cœpit decus inclarescere famâ,
Accensique procul fulgere Parentis ab igne.
Tecta ministrorum templis affinia surgunt,
Cætera sunt pagus, rarique ignobile vulgi
Hospitium, nisi posteritas magalia vertat
In melius: sperare quidem dedit Anna, relictis
Quæ circum laribus sacram hìc superextulit ædem,
Aptavitque locum templo, propriumque dicavit
Icone ab inventâ, media inter viscera quercûs:
Hi

His visa est gaudere locis, ubi monstra malorum
Ad postes captiva gemunt, luctusque dolorque,
Nigraque debilitas membrorum, & mentis egestas,
Mille necis facies, pœnarum nomina mille:
Sub vinclis cernis domitas infrendere pestes
Nequicquam, febresque suo intumuisse veneno,
Indocili quæ frœna pati cervice recusant,
  Quis referat vel quot lacrymis indulta precantum
Auxilia? optatam vel quot reperêre salutem?
Omnia nec memorare decet, nec nulla necesse est;
Namque catervatim populos & limine ab omni
Aspicias miseros intrare, redire beatos.
  Agmina languentum tremulo vestigia gressu
Lentantes tardant, effossa cadavera credas
Reptare, aut tumulis manes languere reclusis;
Ast ubi fidentes animis, & supplice cultu
Templum introgressi Divæ dixere salutem,
Ilicet orta salus; non promptior ipse dolorem
Expulerit Pœan, quodcumque vel hybla ministrat
Vel vario fœcundus Erix medicamine nutrit:
  Viribus exhaustos videas insistere firmis
Mox pedibus, nulloque domum ductore reverti.
Plura quid enumerem? nullus, si prodere tentes
Voce, recensendis modus est, cum copia se se
Fundat inexhausta, & cunctis sermonibus impar.
Tam variæ nec habent numerum, nec nomina pestes.
  Anna potens morbi, & miseris succurrere sueta,
Das & opem sperare iterum, & confidere cœptis.
Interea memor hæc meritorum charta tuorum
Duret ad augustos æternùm pendula postes,
Argumentum ingens animi, & certissima testis,
Inverso donec Ligeris retrò amne recurrat.
  Vivere non tanti, sed per te vivere dulce est,
Et doni meminisse tui; quod & Anna profudit,
Fatidica, hoc iterum repetens, iterumque precabor.

CAN-

CANTICUM ANNÆ MATRIS SAMUELIS hic accommodatum.

1. *Regum. cap. 2.*

Exultavit cor meum in domino &c.

SPiritus exiliit divino percitus æstu,
Seque supra, sortisque vices, & inertia vota
Carpit iter procul ignotum mortalibus ægris,
Orbe relegato longè, & tellure relictâ:
Ac veluti tollens sublimia cornua taurus
Per querceta levi, saliceta, arbustaque cursu
Implicat innumeros repetitis orbibus orbes;
Sic ego nil dubitans montes enitor in altos,
Flammea prævertens celeris vestigia cervæ
Jamque solo, & membris terrenâ mole gravatis
Altior, infernæ fugiens contagia labis
Extra me rapior, mundi transvecta quod usquam est.

2. *Dilatatum est &c.*

Est mihi, fidenti quod in hostes voce reponam;
Quæque mihi ingenuo fuerat suspensa pudore
Lingua diu, tandem servata silentia rumpit,
Acceptamque tibi docet uni ferre salutem.

3. *Non est Sanctus*

Sanctior haud quisquam est, aut observantior æqui
Numine, quod summâ scelus à radice revellit.
Huic alium nemo Divis ex omnibus ausit
Ferre parem; tantæ solers miracula dextræ

In-

Intuitor: quisnam tali par robore? vel quæ
Si ſemel exuerit, valeat reparare poteſtas?
Si quis & æquali ſimilem ſe tollere contra
Majeſtate velit, vicina & ſede locare;
Quisquis is eſt, caſum fruſtra eluctatus, ab alto
Audax præcipiti deſcendet in ultima lapſu,
Et ſummis meritus ſpatia ad poſtrema revolvi.

4. *Nolite multiplicare.*

Ne temere effundas, quæ te dixiſſe pigebit.
Præſtiterit damnaſſe leves, linguaque animiſque
Comparum, illecebras, quæ te perſtringere norunt
Vitio, ſictâque boni fulgere ſub umbra.
Ore procul monſtra hæc abeant, longéque per auras
Acta volent, celeres velut orto ſole pruinæ

5. *Recedant vetera.*

Parce loqui, quæ mentis inops convicia jactat
Turba: nec in cœlum blaſphema reſolveris ora;
Ut quondam Iſacidæ per teſqua & inhoſpita ſaxa,
Damnataſque ſiti calidæ regionis arenas
Exacuunt queruli pronas in verbera dextras.
Næſcius humanâ Deus haud deluditur arte,
Et voto ſuccedet opus, quodcumque parârit.
Conde caput cœli penetralibus, ipſe rotator
Aſtrorum, patriâ vindex de ſede vibrabit
Fulmina, telluris gremio, cæciſque cavernis
Abdere, repperies armatam in pectora dextram.
Et Deus audaces oculos majore retundens
Lumine (nam contra non eſt impune ſuperbis
Ferre) te circum fusâ caligine merget
Humanæ ſuper audentem faſtigia ſortis.

6. *Arcus fortium.*

Fulmineum qualis quantuſve aſſurgis in enſem;
... tuus Ægyptus didicit, quid robore poſſes,
Dum movet arma tuis non reſponſura lacertis.
Hic jaculo expertus fidat, levibuſque ſagittis:
Alter

Alter in incurvo temere ſpem collocet arcu:
Obriguiſſe manus didici, quibus ante potenti
Grandia ludus erat jaculari ſpicula cornu.
Vidi ego, qui nuper levior ſaliente locuſtâ
Prata pererrabat, vix internodia læſi
Inflexiſſe pedis, tremulaque horreſcere plantâ,
At contra infirmos robur rediiſſe per artus

7. Repleti prius.

Vidi ego ſolantem parco jejunia pane,
Cui cumulata prius disjecerat horrea meſſis;
At contrà qui fonte ſitim, ſolaque levabat
Glande famem, lætis undam mutaſſe falernis,
Et ſiliquas viles in acervos pinguis ariſtæ:
Tu, qui divitibus cumulas tecta aurea gazis,
Tempus erit, fruſtrata miſer cum vota dolebis;
Sive coles ficum, ficus male grata colenti
Infortunatâ vix proferet arbore groſſos.
Seu potior fuerit vitis tibi cura putandæ,
Nulla tuis iſtinc veniet vindemia prælis;
Seu tibi centenis glebæ vertantur aratris,
Inde leges triſtes deceptus meſſor avenas.

8. Donec ſterilis

Infœcunda diu ſteriles quæ duxerat annos,
Jam vacuos implet numeroſa prole penates,
Et longa cingit menſamque, focumque corona;
Uſque adeo fortuna levi variata rotatu
Volvitur incertùm, mutatque adverſa ſecundis,
Sive ſecus, varios induta repente colores,

9. Dominus mortificat.

Summe Deus, mors & pharetras ſubmiſit, & arcus
Exarmatâ tibi: fatique retundere falcem
Non opis eſt noſtræ: lex illa adamante notatur.
Ergo gravis ſi forte dolor lethale minetur,
Abſit, ut adverſas iſtis languoribus herbas,
Mixta peregrinis vel quæram pocula ſuccis;

Hoc pecudum eſt: Cervos medicaminis edocet artem
Lucis amor fugitiva hærent dum ſpicula dorſo:
Tu mea magna ſalus, me gurgite mortis ab imo
Eripies, & lucis iter remeare docebis.
Hoc de te ſperare jubes, & fidere dictis.

10. *Dominus pauperem facit.*

Si gravior premat accisis te rebus egeſtas,
Parce ſequi, quod avarus Arabs cumulaverit aurum:
Uni fide Deo, ſit te penes omnis opum vis;
Undique volve oculos circumque, infraque, ſupraq;
Quidquid luna ſuo mutabilis orbe coërcet,
Fluctuat incertum, nec habet ſors ulla quietem,
Sed Deus ablatis unus majora reponet.

11. *Suſcitat De pulvere.*

Divitiis cumulat miſeros, & honore carentes
Evehit; excurrunt in equis per publica ſervi
Compita, & erectis figunt veſtigia plantis,
Vidimus inſuetis manibus prodire ſecures,
Tergaque cæſa flagris trabeas geſtare ſuperbas.

12. *Vt ſedeat cum Principibus.*

Namque catenatum dura de compede ſervum
Sæpius excepit non expectata poteſtas,
Jura det ut populis, ſolo ſublimis eburneo;
Aurato contrà jacuit qui molliter oſtro,
Turpiter è ſolio, ſceptriſque excluſus avitis
Huc illuc panem per compita quæritat erro,
Regaleſque manus ad ſceptra domeſtica natas
Demittens, quæ olim dederat, ſtipis æra repoſcit.

13. *Domini enim ſunt.*

Qui ſuper aſſiduâ vertigine mundus agit ſe,
Intenditque duos æquatis nutibus axes,
Te dominum agnoſcit, qua ſol mortalibus.
Mane diem radiis aperit, ſeroque recondit
Aſpice qua cœlumq; patet, telluſque, profundumque
Et longe ſpatio immenſo diffunditur orbis,

Nu-

Numinis hoc opus est: Deus ipse repertor & au[...]
Curat opus studio intendens, atque omnibus [...]
Absolvit numeris, purumque exegit ad unguem

14. *Pedes Sanctorum servabit.*

In te præsidium, tutâ velut arce, reponunt,
Inveniuntque pii, quos per discrimina mille
Tutus inoffensos ad culmina ducis honorum:
Non scelus auctorem merito tutabitur ictu,
Aut dominum impietas sua plurima proteget ol[...]
Putrescet mutæ sub iniquo pondere terræ,

15. *Dominum formidabunt.*

Exere terrificum robur, dextramque tremendam
Hostibus: injectâ stet hebes formidine sanguis,
Deficiant languore manus, exceptaque totis
Artubus eductos ignavia serpat in enses:
Nam, quia non subito vindex sententia sontem
Castigat, summâque scelus radice rescindit,
Aut modica attingit pœnâ graviora merentem,
Impunita lues, lapsusque in lubrica serpit.
At quamquàm crimen geminet sceleratus in horas,
Servatur pœnis, iræque in certa futuræ
Tempora differtur pravorum quidquid ubique est.

16. *Dominus judicabit fines.*

Cum Christus Patris æterni suprema potestas,
Quæsitor rigidus, justosque, reosque tribunal
Ante suum sistet, trutina bonus exiget æqua
Seu benè sive secus facias, preciumque reponet:
Virtutem merces & culpam pœna sequentur.
Tunc aderit funesta dies, cum Phœbus opacâ
Nube caput condet, cum cursibus ultima Phœbe
Explerit spatia, & cœlum revolubile sistet.
I, metire oculis cuneos, populique capacem
Totius caveam, mundòque æquale sepulchrum.
Aspicis ut pelago pisces, animalia sylvis
Deficiunt, opera in fumos mortalia sidunt?

[illegible]æ animæ cineri ſuperant, exutaque rurſum
[illegible]ali ſe ſe ſua quæque in corpora motu
[illegible]nuant, noruntque ſuos in millibus artus.
[illegible]lla deeſt; quæcumque ſemel ſe corpore quondam
[illegible]iſcuit, hæc ſe ſe cum corpore ſiſtit eodem
[illegible]rrificam ad ſedem, clangore excita tubarum:
[illegible]ponſant gemitus miſerorum, & pectora pugnis
[illegible]nſa ſuis: optent terræ penetralibus abdi,
[illegible]captare fugam latebraſque, ſed omnia flammis
[illegible]cumquaque ſonant, pœniſque ſequacibus obſtant.
Summe Deus, ſi nulla ſatis, te judice, pura
[illegible] poteſt virtus, ſed nec prævertere dextram,
[illegible]bra lues jam dira voret, tuaque omnia venas
[illegible]abibant, ſatientque iras, modo luce ſupremâ
[illegible]pediant noſtro ſaturata cruore furorem.



DIVO VICTORI IN AGRO NANNETENSI, Ubi vixit & devixit ſanctiſſime, Sepulto.

SOTERIA.

VIctori pulsâ canimus de febre triumphos,
Et meritam laurum aptamus: tu, Maxime VICTOR,
Qui dociles morbos, & nomina mille dolorum
[illegible]equioſa tuo cogis parere ſepulchro,
[illegible] iterum per te redivivo ſuffice vires,

In parœcia Combiboni.

Fama refert procul æquoreâ regione profectum
Victorem Armoricis fixisse sedilia campis:
Est pagus, quæ sylva fuit: templique superbus
Cœlo surgit apex, non fulmine tactus ab uno,
Nec semel, invidia astrorum, quibus imminet a...
Ventorumque gravi, quos provocat æmulus, ...
Stat tamen alta Pharus, certum regit unde viato...
Mensus iter; stabit frustra indignantibus aust...
Monstrabitque vias longè VICTORIS ad ædem

In templo S. Victoris docentur pueri Nannetenses.

Dive, tuo hic templo, non fictâ in Apollinis æd...
Me Musæ excepere sinu, studiisque futuris
Aptavere manus faciles & molle labellum.
Hic ubi se primis dudum collecta juventus
Exercet studiis, pulchroque in pulvere sudat,
Hic ego formandæ cytharæ, doctæque palestræ
Prima rudimenta, & magni parva orsa laboris
Auspice te duxi, teque auspice ducere pergo.
Tempore ab hoc, quo prima dabas elementa d...
Et signare notis apices, dignoscere voces,
Nomina cum verbis diverso inflectere casu
Grammaticæ ad leges, pensum repetente magistro,
Continuata pari studio, aut majore sciendi
Cura fuit, semper spatiis addicta Minervæ.
Nec tædet suscepti operis; majore cothurno
Instructus, librisque artes & voce magistrâ
Edocui, quibus hoc dedit incunabula templum:
Tuque adeò hic paribus Musis operata juventus
Æmula doctrinæ, tua quo primordia curet,
Victorem exora: prior hæc sit cura colendi
Numinis integritas, & non violabile certæ
Obsequium mentis, cum matutina cubili
Exibis, seroque dabis tua membra sopori.
Dum templũ ingrederis, templi divo hospite dign...
Funde preces, memor ante Dei consistere vultus,
Victorique sacrum non longè extare sepulchrum.

Tab...

[illegible] sit Phœbus, sint & mendacia Musæ,
VICTOR tibi verus & unus & omnis Apollo.
Vos, populi circumpositi, quos proxima spectat
[illegible] tutela loci, tali gaudere patrono
[illegible]utis memores; vestros non altera cœli
[illegible] subit fauces spiranda, nec altera tellus
[illegible]icitur, quam quæ tali se jactat alumno.
[illegible] bona si nostis, tanto vos cive beatos!
Ast agite, atque animis, manibusque oculisque fa-
vete:
[illegible]itis, ut veteri stat Religione sacellum
[illegible]ere quod tecto, vix & labente cohærens
[illegible]te, vicina casum cum clade minatur?
[illegible]is ut manibus delubra extructa paternis,
[illegible] la jam, rimis hinc inde patentibus, imbri
[illegible] tristes aditus, ventisque cubilia præbent?
[illegible] ego destitero vos supplice voce, piasque
[illegible] manus, quas fabrica muta propinquo
[illegible]itat casu, muris & hiantibus, altum
[illegible]dit patulo, buccisque inclamat apertis:
[illegible]ique, hospes, qui tigna vides putredine sensim
[illegible]e, & imbricibus ruptis tabulata labare,
[illegible]i labentis onus, molemque caducam
[illegible]e, virtutis columen, templique columna.

Templum S. Victoris ex parte ruinam minatur.

Esto tui pariter victor, vexilla sequutus
[illegible] num tali dubitas ductore mereri,
[illegible]m victrix sequitur signata in nomine palma?
[illegible]rtale nihil, curisque affine profanis
[illegible]tat aut sensu indulget, studiisque caducis:
[illegible] animi sensus excelsa avertitur omnes,
[illegible] supra assurgit, penitusque in se ipsa recedit:
[illegible]ubi semotam terra, seseque fruentem
[illegible]tet turbat mortale, urgetque deorsum.
[illegible] superos versantem animis, sedesque quietas,
[illegible]pensumque polo, & precibus longinqua trahentem

Otia conſpiceres, niſi conſcia ſilva vetaret,
Invidaque obſcuris hæc facta reconderet umbris,
VICTOR ut hæc oculis hominum caligine densâ
Subtraheret, ſaltus & inhoſpita culmina legit
Humanis major ſociis, ſupparque beatis.
Quid dicam, ut ſecum certamina longa ſeverus
Miles init; neque pugna levis, vel inutile ferrum
Stringit iners animi; at nudatos ſæpe per artus
Deſcendit latè vulnus, corpuſque cruentat
Quæſitor ſcelerum in ſe ſe, rigiduſque miniſter.
Sed quota pars operum? quæ ſi dignoſcere tentes,
Vel libare levi faſtigia pollice rerum,
His majora ſcies cœpto ſupereſſe labori.
Reddamur tumulo, quo tanquam carcere clauſi
Exululant morbi, captivaque monſtra tenentur.
Huc denſi accelerant populi, quibus ægra trahuntur
Corpora, queis ardens lentâ contage perurit
Tabentes artus, moribundaque viſcera febris.
Sed quid ego hæc tantum, non nomine debitor uno?
Sit mihi fas privata loqui, & ſolviſſe tributum;
Hoſtia namque moras, fraudes aut victima neſcit,
Exanguem febris flammâ me carpit edaci
Uſque tenax, ſine lege furit, rediтuſque fugæque
Neſcia, & alternæ negat intervalla quietis.
Tuſſis anhela premit, ſiccat ſitis aridat fauce,
Et bellum commune ferunt ſociaſque ſagittas.
Noctes atque dies hæc dum me inſomnia torquent,
Tum fuit immenſos Chriſti, meminiſſe dolores;
Ut ſudore fluens totus, lapſuque frequenti
Languidus, & roſeos fœdatu pulvere vultus,
Feſtinavit iter, qua triſtes Golgotha monſtrat
Relliquias cæſorum, albentiaque oſſa, doloris
Horrificum regnum, mortiſque infame tribunal:
Liveſcunt colaphis tunſa ora, genæque tumeſcunt

Auctor febre corripitur ardenti.

Solatur ſe recordationis paſſionis Chriſti.

Ictibus

stibus, accenditque sitim cruor undique fusus,
Nec bibit oblatos latices, mirrhinaque vina,
Scimus captare moram, aut solatia mortis.
Volvebam, sitis Ægyptum quàm dira premebat
Arida fata ferens, siccamque in viscera pestem,
Quæ furit exsuccos defecto humore per artus.
E thalamis Pharao se matutinus agebat
Ad virides Nili ripas, ubi plurima longe
Dædala vim Phœbi sylvis vernantibus arcent.
Tum Moses: sitiisti, inquit, gens dira, cruorem
Cum molles fœtus & adhuc à ventre cadentes
...libus absorpsit Nilus, nunc ille cruentis
...ticibus fluit, unde sitim satiata coerces.
...iusti latices & labris cognitus humor
...fecere vadis, & jam Mareotide tota
...eribus late propriis consternitur amnis:
...ilium quærunt procul à natalibus undis
...inosque vomunt fluctus immania monstra:
...nguida sternentes super herbas corpora Phocæ
...tore anhelanti & querulis hinnitibus instant:
...avere greges mutati ad fluminis oras,
...quicquam oblatum questi balatibus imbrem.
...menta increpitant furtum convallibus imis,
Murmure & horrifico sibi nota fluenta requirunt.
...fodiunt Pharii puteos, & viscera terræ
...imantur ferro, sed nullo vena cruore
...lla fluit, nullus sine sanguine defluit humor:
Exprimit hic lentis arentes ignibus herbas,
...posititque focis rorem, tenuemque vaporem
...tatim excipiens, dulci ceu nectare, gaudet;
... Moses notos latices, atque humida primis
Restituit chrystalla vadis, potusque salubres:
...es Pharios dixi, quo unda revisit
...ura sitim, & finem factura dolori;
...nos unda fugit, sed deficit omnibus undis

Auctor & meminit sitis Ægyptiacæ.

Vis pulſura malum, vis non auctura calorem.
Dum ſitis exhauſtas talis coquit arida fauces,
Obteſtor VICTORIS opem, qui dura coërcet
Monſtra Erebi, peſteſque domat, febreſq[ue]
pultas
Ad tumulum prohibet nocuiſſe huc vota ferenti.
Tum properè feſtino animis, qua ſede morantem
Oblitumque ſui ſæpe, oblitumque ſuorum,
Suſpenſumque polo mirata Britannia vidit:
Huc ubi maturus longævæ exacta ſenectæ
Tempora concluſit: cœli & ſuper ardua vectus
Spiritus innocuos artus, ſacrumque reliquit
Pignus, ut Armoricæ genti volventibus annis
Præſidium foret, & rebus tutamen in arctis.
Dum precor, ecce mihi venerandus cultor ete[...]
Majeſtate gravis blanda, longâque verendus
Canitie ſtetit ante oculos, tactuque medetur.
Continuo egeritur virus, ſe temperat æſtus
Aerior, & vegetæ redeunt in priſtina vires.
Non ſecùs ac gravidâ Titan cum nube laborat
Certatim auricomos vultus educere, pugnat
Invida nox contrà, & tenebras caligine denſat,
Evaluit donec, glomerataque nubila victor
Diſpulit, aut latè pluvium diſſolvit in imbrem;
Sì mihi (nam furuis morbus conſederat alis
Circum triſte caput) fugiunt è corpore febres,
Pallenteſque metus, redeuntque ſaluſque quieſque,
Priſtina mens curas ſe libera findit in omnes.
Votum ſolvit. Et nunc vota memor pactumque exſolvo trib[u]
tum
Verſibus his, quanquam pariter mea carmina la[n]
guent
Non vultu meliora meo, mecumque laborant.
Ite procul genus inviſum, qui crebra ſoletis
Vota ſub ancipites caſus ſuperaddere votis,

ec præstare tamen: stabit sua semper apud me
atia VICTORI, cantu fidibusque salutem
ceptam refero, sæpe & retulisse juvabit.
ud aliter quam qui pœnarum ex gurgite vasto
e inter syrtes saxisque hærentia saxa
oribus proram obvertunt, sedesque quietas
aufragio ex medio subeunt, patriamque vocantem,
Debita mox reduces, rerum tibi maxime Rector,
runt rite, & tutâ statione recepti
nduut votiva sacris donaria templis.
que corporibus tantùm inclamate levandis
CTOREM; suus est animis vigor, & suus iisdem
Morbus inest, mentem vitiet qui corpore clausam,
osque habitantem artus, & membra trahentem;
suus invidiæ morbus, qui seminat inter
ales iram; & comitem comes invidus odit:
io sitis est, laudumque insana cupido
fames, quæ corda dies noctesque lacessit:
uno premitur morbo, certantibus intùs
studiis agitur: curisque perennibus ardet,
isi nomen habet vitæ, sunt cætera mortis:
t sana nil mente prius, curâque salutis,
TOREM si rite colis: convolvere cœlum
edico gemitu, precibusque sepulchrum:
ICTOREM sequere, & victrix te palma sequetur.
cis, & pacis amans, parcusque ciborum
t cyathis repetitos grandibus haustus,
, & vina calent, & mors tecum ebria ludit.
n etiam lites, Ereboque enata profundo
n, Tysiphone diris lactata venenis,
quæ turbant, armantque in prælia fratres,
abit procul, & patrium remeare sub orcum.
Hæc fuerint prius, at monstris jam certa peremptis
Palma redux, celerique venit victoria curru.

Adhortatio ad animi morbos fugiendos.

Hoc ſperare dedit VICTORIS nobile ſemper
Nomen, & auguſti virtus mihi nota ſepulchri.
Perge igitur, tanti menſuram nominis implens
VICTOR ova: domitas peſtes febreſque ſubacta,
Et morbos genus omne tuis adjunge quadrigis.
Quin etiam peſtes animi, captiva libido,
Ambitio nodis conſtricta tenacibus artus,
Atque catenatis per vincula mille lacertis
Bacchus, & ira ferox, & cætera monſtra ſequantur.

Triumphus D. Victoris.

VICTORI dicamus Jo, qui tempore ab omni
Mille triumphatâ retulit de febre coronas.
VICTORI dicamus Jo, qui corpus ademptum
Lumine, præſidium Armoricis, & nobile pignus
Eſſe dedit, rebuſque diu ſolamen acerbis.
Quamquam ô jam nobis ſit adeſi corporis una
Sola ſuper, quam barbaries ſaturata reliquit.
Victori dicamus Jo, qui vindice dextrâ
Sternit equos, quos nocte, velut præſepibus altis
Dux jubet Armoricus ſacra intra ſepta locari
Poſthabitis aris & religione ſepulchri.
Victori dicamus Jo qui longius arcet

Injectam terram tumulus reſpuit.

Indignatus humum tumulo, prohibetque repleri
Mole peregrinâ, ne fons contage laboret
Terrenæ maſſæ, impuro ſe corpore miſcens.
Victori dicamus, Jo, qui geſtat in ulnis
Nos patriis, velut alituum regina ſub alas
Dulce onus, & teneros mater vehit anxia fœtus.
Vivat Neſtoreos felix ter & amplius annos,
Victori qui thura dabit: ter dicite, vivat.
Plaudite ter manibus, pueri, ter plaudite ſaltu,
Jungite bis dextras, dextras attollite cœlo.
Tollite jam ramos, ramos innectite ramis,
Ite per amplexus, tumuloque aſpergite flores.

OVIDIUS

OVIDIUS CHRISTIANUS.

I.

LIBER FASTORUM,

ſive

HEXAEMERON & DE OPERE ſex dierum.

II.

DE TRISTIBUS,

ſive

LAMENTATIONES IEREMIÆ.

III.

DE PONTO,

ſive

DE *CANADENSI BARBARIE.*

IV.

EPISTOLÆ HEROIDUM,

ſive

AD REGEM, REGINAM & alios.

VIDE METAMORPHOSES in noſtra Eloquentia Poetica plurimas.

LIBER FASTORU
ſive
MOYSES DE OPERE SEX DIERUM.

PRIMO DIE,

CREAVIT Deus cœlum empyreum, terras, & aquas ex nihilo, quibus acceſſit lux.

SECUNDO DIE,

HUJUS ſecundi diei opus eſt firmamentum, & cœlum ſtellatum inter duas aquas , accedunt o elementa ignis & aër.

TERTIO DIE,

FACTUM eſt ut appareret arida, & mare loc ſuum teneret ſeparatum, & germinaret terra.

QUARTO DIE,

FACTA ſunt luminaria in Firmamento, q nunc ſyderibus inſignitur : hoc etiam die ſolem eſſe productum veriſimilius eſt.

QUINTO DIE,

PRODUCTA ſunt aquatilia, piſces & volati

SEXTO DIE,

FORMATA ſunt jumenta, reptilia, feræ & dem qui omnibus imperat, homo, & eodem die E

Di




DIES PRIMUS.

IN *principio creavit Deus cœlum & terram.*

Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi : & ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.

Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona : & diviſit lucem & tenebras, appellavitque lucem diem, & tenebras noctem : factùmque eſt veſpere & mane dies primus. Geneſ. 1.



DIES PRIMUS.

TEMPUS adhuc nondum ſignabat tempora, nondum
Annus ſecla, annum menſis, & hora diem;
Sed Deus æternâ regnator pace vigebat
Æquævus nato, Spirituique Patr.
Ipſe ſibi Deus hoſpes erat, ſibi regia ſolus,
Idem dives erat, divitiæque, Deus.
Totum erat in toto, ſed totum parte carebat:
Idem finis erat, principiúmque ſimul:
Tum Deus artifici mundum producit ab ore,
Sermo potens faber eſt, materiéſque nihil.
Illud ab æterno Triadis ſibi præſcius ævo
Spiritus, unanimi mente movebat opus,
Congeries rerum paſſim indigeſta jacebat,
Et turpi moles infabricata ſitu.
Terra polúſque fuit, nec terra polúſque fuerunt,
Dicere nec licitum eſt, en polus, ecce ſolum.
Cuncta ſuperfuſo horrebant revoluta baratro?
Omnia, inexplicitum, ſemina, ſemen erant:

Potens orbis erat, quem denſior umbra tegebat,
Et vaga centenis verſa figura modis.
Sic Deus implicuit confuſo fœdere mundum,
Volveret ut ſuperis inferiora locis.
Frigida pugnabant calidis, & acuta rotundis,
Certabant duris mollia, & alba nigris.
Non color informi reſidet, non vultus in orbe,
Nulla figura ſoli, nulla figura poli;
Quàque erat & tellus, illic & pontus & aër:
Unda, aër, tellus, unus acervus erant.
Imperfecta ſitu macies, ſine nomine corpus,
Et ſine perfecto corpore, nomen erat.
Haud ſecus informes catulos, lambendo figurat,
Urſáque ſe matrem perpoliendo probat.
Invidioſa quibus partes natura negavit,
Ingenioſa ſuam lingua rependit opem.
Materno plusquam ſtudio indefeſſa laborat,
Quæque noverca fuit, ſit modò vera parens:
Tum divina duæ ſteterunt ad juſſa ſorores,
Umbrarum una comes, luminis una parens,
Protinùs ecce ambæ variâ ſe fronte tulerunt,
Emicat hæc oculis, altera lucis eget:
Una nitens radiis dat mille & mille lepores;
Hæc horret tenebris undique cincta ſuis;
Una coloratas radiis fulgentibus alas
Explicat, & rutilo tegmine clara micat:
Altera nigranti ſquallet deformis amictu,
Clauda pedes, oculos horrida, manca manus;
Non videt orba oculis; verùm fugit ipſa videri,
Quærit & obſcuris cæca latere plagis.
Tum Deus? alternâ mundum ditione premetis,
Lux, pelles noctem, nox reditura, diem,
Túque, dies, tot clara oculis, tot ſplendida gemmis,
Mox lucem radio præveniente feres:
Ponè tuos greſſus nox regnatura ſequetur,

Tem-

Terrigenûm curis impositura modum.
Dixerat, Imperium lux prima facessere cœpit,
Nox subit alternas obsequiosa vices.

DIES SECUNDUS

DIXIT *quoque Deus, fiat firmamentem in medio aquarum: & dividat aquas ab aquis.*

Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant supra firmamentum. Et factum est ita.

Vocavitque Deus firmamentum, cœlum: & factum est vespere & mane dies secundus. Genes. 1.

QUID juvat adversâ lucis discrimen ab umbra,
Si deforme tamen restet ubique chaos?
Cor..a si quatuor coalescunt corpore in uno,
Unum si quatuor corpora corpus habet?
..erat ergo Deus dignam se surgere sedem,
Et surgit sedes digna satore, polus.
Conficiet solitum sine fine volubilis orbem
Annorum cursu non peritura domus.
..m Deus ætherei sinuosa volumina cœli,
Et totum largâ luce serenat opus.
..hina constanti sub cardine fixa rotatur;
Circinat & gyris tempora certa suis.
..lvebat nondum Arctoo temone Bootes,
Nec violenta trucis flamma Leonis erat.
..lquis nondum radiabat flexibus Anguis,
Pendula nec justas Libra tenebat aquas.
T..x Aries nondum aurato velatus amictu

Tem-

Tempora nocturnis æqua diurna dabat.
Nondum inclinatam fundebat Aquarius urnam,
Aſt æqualis erat lucis ubique tenor.
Mobilitate aër, flammis polus, aſtràque curſu,
Neptunus lapſu, mole carebat humus.
Tum mandante Deo cœli per aperta liqueſcit
In raros aër extenuatus agros:
In ſedem ſurſum excelſam levis evolat ignis,
Vicini lambat quò propiora poli.
Terra pilæ ſimilis, mediam ſortita cavernam
Aëris, in denſum ſtat glomerata globum.
Néve ignis noceat, duplex hunc dividit orbis;
Arbiter eſt aër, arbiter humor aquæ.
Solverat omne chaos pater altus; & unica moles
Confuſa æquoreo terra tepore madet:
Undaque mox ſuprà curvum ſinuatur in orbem,
Et mare perpetuo flumina fonte petunt.
Nunquam mobilibus ſaturum fuit amnibus æquor;
Salſáque perpetuam provocat unda ſitim;
Tum miranda fuit commercia cernere primùm
Stantis telluris, deſilientis aquæ.
Altera pars ſuperos meliori ſorte ſub axes
Fertur, & aëriâ pendula ſede manet.
Æquora quis referat ſtabili pendentia fluctu;
Quis pretium ſuperis carmine ponat aquis?
Denique denſatur vitreâ polus omnis ab undâ,
Stilla priùs fluxit, quæ modò ſtella micat;
Tum primùm aggeſtis nimbi concreſcere guttis,
Et pingui exſuccas rore rigare plagas.
Deciduis inde erumpent torrentibus imbres,
Queis dives fructu luxuriabit ager:
Hinc caput in dirum letalia fulmina ſurgent:
Horreat armatas impia turba manus.

DIES

DIES TERTIUS.

DIXIT *verò Deus congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum unum: & appareat arida, & factum est ita.*

Et vocavit Deus aridam, terram, congregationésque aquarum appellavit maria. Et vidit Deus quòd esset bonum;

Et ait: Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxtà genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita.

Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen juxtà genus suum, lignúmque faciens fructum & habens unumquodque sementem secundùm speciem suam. Et vidit Deus quòd esset bonum. Et factum est vespere & mane dies tertius.

CUNCTA suis elementa Deus considere regnis
...luperit, haud uno mixta jacere globo.
Quatuor educti fratres sua regna capessunt,
Currere, diffundi, stare, volare vides;
...n flamma petit, propiùs spirabilis aër
...spiritu, ima tenet terra, fretúmque supra est,
...nova divino surgunt miracula verbo?
...ita non novit fundere jussa sator.
...super fuso lympharum gurgite tellus
...fi...ra, sepositis libera surgit aquis.
...ingens rupta tellure cavatur hiatus?
Sparsæ congeries huc, Deus inquit, aquæ.

Auritæ

Auritæ undarum moles sensere jubentem;
Quò divina vocant jussa, repente fluunt.
Inque cavernosos, tellure extante, recessus
Declives cursu præcipitantur aquæ:
Flumina signatos quærunt partita recessus,
Et solvunt Nereo prima tributa patri:
Oscula tum matri diverso tramite libant
Sequana, Lædus, Arar, Mosa, Garumna, Tagus.
In mare tum ducis fluviorum volvitur unda,
Quæ falsum ut tetigit marmor, amara redit.
Conditur exiguæ sub aquis pars maxima terræ;
Insula, quod superest, innatat Oceano
Pars jacet humano indocilis mansuescere cultu:
Quantula mortales pars habitanda manet!
Ast ubi congesto vastum æquavere barathrum
Vortice, præsago subdidit ore Deus.
Te mare venturæ dicent de nomine gentes,
Iræ fræna tuæ littus inerme dabit.
Fluctibus alternis refluos convolvere fluctus
Incipe, & ad notos disce vocare specus.
Debita natorum quamvis mare pensa receptet;
Haud tamen à nimiis pontus inundat aquis.
Cynthia cum pleno fraternum corpore lumen
Hauserit, iratis sæviet unda vadis:
Cumque renascentem cornuta retraxerit orbem,
Impete sedato mitior æstus erit:
Volve tuos fluctus, rursúsque in te ipsa reside,
Et contenta tuâ currere, curre viâ.
Siste hìc illisi replicatas vorticis iras,
Néve inconcessas depopulare plagas.
Ulteriùs tentare veto, nec jussa rebellis
Despice, sit regno murus, arena, tuo.
Non fractos tardant objecta repagula fluctus,
Nec tumidas reprimunt invia saxa minas
Terminus in planâ jacet inviolatus arenâ,

Quem tibi signatum præteriisse nefas.
Undarum implacidos domuit lex ista furores,
Et Thetis ad nutus obsequiosa fluit.
Cogere nam passim montes, tellúsque cavernis
Hiscere, & humori pandere prompta sinus.
Aëra sic ignis, sic undam subjicit aër,
Sic terram levior comprimit unda gravem.
Atque orbis speciem gravitas sua fecit utrique,
Humida pulvereo dum coit unda globo.
Immodicum passim tellus erectâ tumorem
Montibus hinc premitur, vallibus inde jacet.
Nam gravia in massam proprio coïere deorsum
Pondere, pulvereum vinxit & unda globum.
Quatuor esse pari cernes elementa figurâ,
Non simili cernes quattuor ire gradu:
Ista volant sursum, descendunt ista deorsum,
Illa effert levitas, pondus at ista premit.
Tamquam unũ est omni corpus sibi parte cohærens,
Corporis haud unum est partibus ingenium:
Regia nam cœli vultu invariabilis uno
Perpetuat leges inviolata suas:
At quæcunque sinu, lunæ complectitur orbis,
Incerto currunt irrequieta gradu
At terram Sator omnipotens conversus inanem,
Nunc age, quid nudâ pendula mole jaces?
Sit tibi multicolor facies, sit lætus amictus;
Gramen inexhausto prodiga funde sinu.
Dixerat, & varia tellus se fruge coronat;
Fundit opes jussus, non renovatus ager.
Jamque gemmato frondescit vertice planta,
Ut sua, quod peperit, vix ferat arbor, onus.
[…]itia odorato sudantur balsama ligno:
Et lachrymosa suo cortice myrrha cadit:
Prata colorantur multis variata figuris,
Pabula de nulla semine nata virent.

Inculto se sponte ferunt è caudice flores,
Pictaque multiplici gramine redit humus.
Et semen voluisse, fuit; namque ubere verbi
Frondescunt sylvæ, luxuriavit ager.
Sic florum vario ludit natura colore,
Hinc odor efflatur cernitur inde color.
Densántur pictus rubicunda papavera campis,
Albentes vincunt lilia cana nives.
Solsequium curvo comitatur tramite solem,
Cognatam parvo circinat orbe diem:
Nititur & Phæbi cursus æquare sequendo,
Quo veniente nitet, quo fugiente cadit:
Nomiue sunt similes, similes cursu atque recursu,
Ille suis radiis cingitur, iste suis.
Perpetuos retinet vernans Amarantus honores,
Non æstas uret, non violabit hyems.
Nec te transierim, pretiosa colore Tulippa,
Ut color est mirus, sic tibi nullus odor.
Pallescit, rutilat, flavescit, purpurat, albet,
Et folio fulgens versicolore nitet.
Vallutâ natura rosas in sede reponit,
Spinarum sed enim sub statione locat.
Hinc atque hinc densis, armato ut milite, spinis
Obsita, purpureas sanguine vendit opes.
Si qua rapax roseo manus insidietur honori,
Occurrens furem cuspide spina fugat:
Spargit odoratas animas, gratésque vapores
Murice luteolo delitiosa parit.
Diversum ostentat variata Anemona colorem,
Cui fulget radiis orbicularis honos.
Purpurat, albescit, flavet, passimque nitescit
Simpliciore modo, multiplicique modo:
Jam glandes querceta ferunt, pomaria fructus;
Ulmus habet montes, littora pinus amat.
Densantur rigidis dumeta revincta catenis,

Mordacésque acuunt sæva rubeta stylos.
Ingeniosa Islanta suo dat ab ubere fontem,
Cereus unde fluit, nec datus arte, latex.
Ferveat ille licèt, fundóque exæstuet imo,
Duratur rigido desuper unda gelu.
Ammonis fons nocte calet, de luce rigescit,
Non tantùm gemmis, sed preciosus aquis.
Ardet inextinctum gelido sub monte Gagates;
Ignis in hostili vivit amicus aquâ.
Conjunctis adversa locis elementa feruntur,
Non nocet unda rogo, nec nocet ignis aquæ.
Quæ dirimit natura, latex commercia jungit,
Infensóque hostis sanus ab hoste viget.
Quà riget extremo Thule circumdata ponto,
Et quà postremam limite claudit humum,
Undique sulphureos ructat mons Hæcla vapores,
Proximáque ignitis verberat arva globis.
Rumpunt piceæ glomerata volumina flammæ,
Quâ pavet unda sibi, quâ sibi terra pavet:
Omnia cùm flammæ rapiant, mirabile dictu,
Illæsum montis, nix tegit alta, caput:
nec accenso resoluta liquescit ab hoste,
Regnat at in mediis inviolata focis.

DIES QUARTUS.

DIXIT *autem Deus, fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem: & sint in signa & tempora, & dies & annos.*

Ut luceant in firmamento cœli, illuminent terram: Et factum est ita.

Fecitque Deus duo luminaria magna; luminare majus ut præesset diei: & luminare minus, ut præesset nocti: & stellas.

Et posuit eas in firmamento cœli, ut lu[ceant] super terram: & praeessent diei ac nocti, [& divi]derent lucem ac tenebras: & vidit Deus q[uod es]set bonum. Et factum est vespere & mane, [dies] quartus.

ERGONE, cærulei sinuosa volumina cœli,
Vos Deus ornatu sola carere sinet?
Invidiæ procul este metus, probríque timores,
Ornatam cœli gratia vincit humum
At vereor, ne sydereis mea penna liquescat
Luminibus, cœli dum propiora lego.
Penna vola, mea penna vola, non usta liquesces;
Non vivace Deus quem ferit igne, perit.
Tum Pater omnipotens fœcundo subdidit ore,
Ire placet geminas impare luce faces.
Luminis ista parens, umbræ comes illa feretur:
Hæc noctem alternans dividet, illa diem.
Phœbe, hominem ad duros animare memento labo[res]
Defessum placido, Luna, sopore leva
Consona præscripto sic ducite tempora cursu:
Formam adimes rebus, Delia; Phœbe, dab[is].
Dixit, & ecce duo largâ prægnantia luce
Corpora, sydereis emicuere plagis.
Sol radio meliore nitet; quia lucis origo,
Et breviore minor lampade Luna micat.
Præpete sol cursu redeuntes dividit annos:
Contracto menses cardine Luna facit.
Sol modò brumales vergens declinat ad Austros;
Tramite mox verso torrida regna petit.
Atque ubi tellurem radiis accendit acutis,
A sole ardenti dicta perusta plaga est.
Æqua dies illi semper cum nocte recurrit,
Cuncta illi surgunt sidera, cuncta cadunt.
Et lux bissenis, totidem nox clauditur horis,
Dividit æquales nóxque diésque vices.

Quà geminos lentus circumfluit ambitus axes,
Zona duplex pigro à frigore nomen habet.
erno consurgunt his longa crepuscula mense:
Unica nox annum præstat & una dies.
igora quà flammas hebetant, & frigora flammæ,
Nomen temperies huic moderata dedit.
diversa trahit varium in discrimina tempus,
Obliquo oppositas, dum petit, axe vias:
ocregnante, levi zephyrus spiramine flabit,
Paulatim vivax imbuet arva tepor.
rida tunc tenerum sensim exeret herba cacumen,
eputris ruptâ gleba resolvet humo.
e aderit longis ignita caloribus æstas,
Siccatósque gravis Cancer aduret agros:
ora caprabit patulà pecus omne sub ulmo,
Exustóque gregi gratior arbor erit,
pla repleturus meditabitur horrea messor,
uurâque seges falce, resecta cadet.
oximus Autumnus sectis succedet aristis,
Deciduas pones languida planta comas.
ia calcatis spumabunt præla racemis,
Uva suos fœtus exonerata dabit:
horrescet hyems glacialibus aspera nimbis,
Nec poterit stantes scindere remus aquas.
a cadet nemorum species, miscebitur æther,
onglaciata pigras unda negabit aquas.
m revehet Phœbus repetito tempora cursu,
t reduces noto calle reflectet equos.
rcà ducens filatim argentea Phœbe
Cornua, fraterno è lumine lumen habet.
gida mox pleno splendescit Cynthia vultu,
Plenus & accepti luminis orbis adest:
itæ que iterum patiens discrimina lucis,
Lumine decrescens debiliore nitet.
petuam constans tenet inconstantia lunam,

At ſolis facis invariata manet.
Sol radiis fœtus conchâ de matre ſuperbos
Exeret, & mirâ luce nitere dabit.
Nutriet ignito precioſa metalla receſſu,
Quódque tegit tellus, quod tegit unda ſinu,
Quod tegit unda ſinu, tellúſque amplectitur orbe,
Hoc radio Titan parturiente dabit.
Tum Deus accendit tectis cœleſtibus ignis,
Et duodena polo ſigna micare jubet.
Jam duo conſurgunt è vertice cornua Tauro,
Attollítque caput Solſtitiale Leo.
Squammiferi findunt cœleſtia marmora pinnis
Piſces, hoc uno ſydere ſigna duo.
Non igitur ſtellas, animæ vis vivida torquet,
Nam conſtante volant aſtra citata gradu.
Aſt animâ quidquid vegetante & ſponte movetur,
Ut placet, ad nutus ſtat, properátque ſuos.
Vicinum terris lunæ tenet orbita cœlum,
Et breviore minor circinat orbe polum.
Proximus huic modico, ſed proximus intervallo
Mercurius: ſequitur ponè propinqua Venus:
Non longè Mars ſanguineum vomit ore cruorem:
Juppiter aurato purior igne micat.
Saturnus nigra pallet fuligine tinctus:
Denique mille oculos ultimus orbis habet:
Ne ruat ignotis per opaca viator in umbris,
Navita ne cæcis devius erret aquis:
Ne vigil excubitor noctis non dividat horas,
Ne famulas laſſent penſa moleſta manus.
Et quo ſtella magis ſeptem conjuncta trioni eſt,
Se magis anguſto tardior orbe rotat.
Cardinibus geminis ingens ſtat machina mundi,
Dicet poſteritas ingenioſa polos.
Alter vicino ſumet cognomen ab Auſtro
Alteri ab adverſo tardior Urſa dabit.

...na dies ſex ſigna tegit, totidem retegit nox,
Dimidiúmque patet, dimidiúmque latet.
...ar, geminis brumis, duodenis Jupiter annis
Finito tardum conficit orbe polum.
...urnus triginta annis, ter Luna novenis
Lucibus; hæc propero, tardior ille gradu.
...ercuriúſque Venúſque anno: Sol flectit eodem
Averſos ſpatio ſemper anhelus equos.
...imus in occaſum reliquos ſi concitet orbis,
Huic reliqui obſiſtunt, injiciúntque moram.
...in etiam cœlum nulla non parte rotundum
Collige, quòd properè ſe per inane rotet.
...ſileo, cœli concentus verberat aures,
Dulcius & noſtro carmine carmen init.

DIES QUINTUS.

DIXIT *etiam Deus: producant aquæ reptile ...mæ viventis, & volatile ſuper terram ſub ...mamento. Creavitq; Deus, cete grandia, & ...nem animam viventem atque motabilem, ...am produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne ...latile ſecundùm genus ſuum.*

Et vidit Deus quòd eſſet bonum.

Benedixitque eis, dicens: Creſcite, & multi... ...amini, & replete aquas maris; aveſque mul... ...icentur ſuper terram.

Et factum veſpere & mane, dies quintus.

NONDUM culta ſuis ſteterant elementa colonis,
Et ſterilis nullas Juno ferebat aves.
...m ſplendenti fulgebat fornice cœlum.
Pictus erat reliquis horror ubique locis.
...ior ego, natos video ſub gurgite piſces,

Piſces. Indigenáſque ſinu mater aquoſa fovet.
Vix Deus omniparas fœcundo è pectore voces
Miſerat, æquoreis plebs ruit uda plagis.
Rex Delphinus ovat; ſocii comitantur euntem,
Mille ſequi viſi, mille præire ducem.
Mille ſupra, & totidem juxtáque infraque ſodales;
Regali Princeps cum legione natat.
Nunc bifidæ lentat greſſum curvamine caudæ,
Nunc, velut ex arcu miſſa ſagitta, ruit.
Agglomerant ſe ſe Paganellus, Purpura, Cancer,
Salpa, Lepus, Cucumer, Cernua, Perca, Scorus,
Aurea cui caudam cervice excurrit ad imam
Linea, cæruleas tranat Julis aquas.
Et tu fluctivagas inter celebrande cohortes
Gobio, per patrios exſpatiaris agros.
Cerno reluctantes nequicquam marmore nautas
Remora. In Remoram, immoto dum tenet ore ratem.
Huic circumſeptam fluitanti carcere Romam
Siſtere cum ſummo Principe ludus erit.
Aurea purpureis ſtellatus tergora ſignis
Sulmo flagellanti verbere findit aquas.
Sulmoni ſimilis, rubeis maſculoſa figuris
Menſæ honor, adverſo flumine Trulla natat.
Multiplici Muræna rotat ſinuamine corpus,
It, redit, implicitas torta, retorta vias.
Flexibus incurvis Anguilla volubilis errat,
Et Panther tergo verſicolore nitet.
Lucius obſcœnas alga torpente lacunas
Obſidet, & pigrâ Rana palude ſalit.
Nativis ad ſaxa tenax ſtat Coclea teſtis,
Vellere quam fluctus, quam maris ira nequit:
Nunquam exul, ſempérque ſuis in ſedibus hoſpes,
Per regna humanis invia quærit iter.
Unde immane trahit per plana liquentia dorſum
Monſtrum ingens, æquans jugera mole novem!

Arduus

Arduus hic Cetus populosum territat agmen,
Ventosisque tumens mole, triumphat aquis.
Ore duo ex omni surgentes ordine dentes
Caucaseam vincunt robore duritiem.
Gutturis ingentes quando diducit hiatus,
Marmora tota haurit, marmora tota vomit.
Dum timidus fugio portentum immane profundi,
Trajectis tutum sentio littus aquis:
Jámque fatigatis purus se faucibus æther
Insinuat, pulso mens recreata metu est. *Aves.*
Expansis proh quale genus secat aëra pennis,
Alatisque equitat turba canona notis!
Mille volando sinus, millena volumina torquet,
Et resonis tremulum complet inane modis.
Nata Aquila audaces in cœlum tollere nisus,
Se liquidis agili corpore librat agris.
Illa tumet fastu, & primæ sibi conscia sortis
Erigit ante alias imperiosa caput.
Explorat Phœbum, & non caligante tuetur
Lumine, mentito fulgura sole vibrat,
Incurvíque pedes falcatis unguibus horrent;
Nam consanguineâ vivere gestit ave.
Improba se bifidi protendunt cornua rostri,
Pars incurvatâ cuspide summa riget.
Pavo coloratis fulget maculosus ocellis,
Non tot picturas discolor Iris habet.
Æmula floriferis caudæ spectacula pratis
Pandit, & astriferis invidiosa plagis.
Se rotat & plumas, & se miratur euntem,
Colla tument, fastu crista superba tremit
Et, modò mireris, stellata volumina gyrat,
Si tacitus spectas, protinùs abdit opes.
Nescia magnanimos Perdix tentare volatus,
Demissam celeri remige radit humum.
Turba Gruum facto volitat per inane trigone,

Et vigiles errat pondere onuſta pedes.
Subtiles Veſpertilio de pellibus alas
Geſtat, cognati cætera Muris habet.
Porphyrio rubet ungue, vires tu, Pſittace, dorſo,
Cujus in humanos lingua movenda ſonos.
En graditur Gallus metuenda leonibus ales,
Purpurat huic criſtâ verticis altus apex.
Per calamos currit gemmarum argenteus ordo,
Et palea aurato murice tincta micat.
Vox immanè ſonat, ſtrepitúmque imitata tubarum
Sopitum vigili ſuſcitat ore diem.
Par ſuperis Phœnix vitale requirit Amomum,
Una olim proles, & pater ipſe ſibi.
Flumineus prenſat per ſtagna loquacia Cygnus,
Vicinamque canet præſcius ipſe necem.
Nec noſtro te prætereo, Philomela, canentem
Carmine, tecum ambit muſa ciere modos.
Garrula mentitas hinc lingua movetur in iras,
Lenior audaces mitigat inde ſonos:
Cantum hebetas, acuis, dilatas, contrahis, urges,
Concidis, brevias, porrigis, articulas.
Sic ludit faciles vox una induſtria ludos,
Docta vel innumeros una referre modos.
It galeata caput, doctóque per aëra gyro,
Carmine vicinum mulcet Alauda polum:
Glotterat elingui officioſa Ciconia roſtro,
Et nullo ſimplex felle Columba gemit.
Accipiter pipat, pulpat cum Vulture Falco.
Hinc Aquilæ clangunt, Milvius indelipit.
Bombilat hinc Apis, inde fritinnit rauca Cicada,
Zinzilulat Progne, Regulus atque Merops.
Inclamat crocitans rauco de gutture Corvus.
Cúm tergo ad patrias gratitat Anſer aquas
Cucurit Gallus, Gallina gracillat, Hirundo
Trinſat, pupillat Pavo, tetrinat Anas,

Cacabat hinc Perdix, & plausitat inde Palumbes,
 Et querulum Passer pupilat ore modum.
Dum loquor, ex oculis tenebrosus in abdita sylvæ
 Bubo volat, calidas lustrat Hirundo plagas,
Quærit congeneres in amico flumine turmas
 Tam velox pennâ, quàm pede segnis Anas,
Jamque catervatim volitans per florea tempe
 Densa Apis, æstivas depopulatur opes;
Exprimit & lachrymas, lentumq; ex gramine gluten,
 Constructura suis Dædala castra favis.
Præcipiti Alcinoë festinat ad æquora ductu,
 Arbiter & tumidas sistere gaudet aquas.
Sensit adesse ducem pelagus, fracta ira resedit,
 Passim cuncta silent, tu quoque, Musa, sile.

DIES SEXTUS

DIXIT *quoque Deus: producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, & reptilia, & bestias terræ secundùm species: factúmque est ità.*

Et fecit Deus bestias terræ juxtà species suas, & jumenta, & omne reptile terræ in genere suo, & vidit Deus quod esset bonum.

Et ait: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra.

Et creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam: ad imaginem Dei creavit illum, masculum & fœminam creavit eos.

Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, &

universis animantibus, quæ moventur super terram.

Dixitque Deus: ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.

Et cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & universis, quæ moventur in terra, & in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum. Et factum est ità.

Viditque Deus cuncta, quæ fecerat; & erant valdè bona. Et factum est vespere & mane dies sextus.

SEXTA dies aderat post nati exordia mundi,
Bisque recèns natis sol novus ibat equis:
Cùm Deus; ite (inquit) totis animalia terris,
Tu quoque fœta graves exere, terra, sinus.
Omnigenos fundit tum jussa repentè colonos,
Hinc armenta ferax parturit, inde greges.
Animalia terræ. It vastâ se mole ferens genus acre Leonum,
Et cervice jubas excútiente fremit.
Cauda minax dextrùmque latus, lævumque flagellat,
Oréque de rabido spumea flamma salit.
Lentanti gressu tardant Eoi Elephantes,
Grandia gibbosus terga Camelus agit.
Pulvereum bellacis equi terit ungula campum,
Et, fræno huc illuc non remorante, ruit.
Tesqua petunt umbrosa Lupi, ramosáque Cervus
Arduus elatâ cornua fronte gerit.
Ima Lepus quærit sepis penetralia: versat
Innatum Vulpes ingeniosa dolum.
Naturæ vigilantis opus Formica laborat,
Erudiet natos docta magistra viros:
Materiam ingeniti perquirit ubique laboris,
Atque suum mirâ colligit arte penu:
Privatos doctâ componit legit penates,

Tam

Tam bene conſtructi provida cura foci eſt!
Ipſe ſua Bombix tumulum ſibi fabricat arte,
Qui mox in formâ Papilionis erit.
Evomit auratâ veſtes ſpumoſus ab alvo,
Quas hominum rabies ambitioſa ſitit.
Serpentum criſtata cohors atròque veneno
Colla tumens, Afris ſibila tollit agris.
Funereus Libycis reptans Baſiliſcus in arvis
Se variis ſpiris in ſua membra plicat.
Tortilis inflexos ſinuat ſe Vipera in artus,
Officioſa ſuis, exitioſa ſibi.
Audires (ſi nata ſonos admitteret auris)
Unà ululare lupos, atque ululare canes.
Frendet Aper, rugítque Leo, Pantheráque caurit,
Mugit Bos, Elephas barrit, & hinnit Equus:
Hircus olens medio caprarum ex agmine mutit,
Blacterat hinc Aries, indéque balat Ovis.
Fœdus quiritat Vervex, Sus hiſpida grunnit,
Hinc Vulpes gannit, vagit & inde Lepus.
Sed quid ſydereo deſcendit ab æthere numen,
Et facilem artifici pollice verſat humum?
Grande aliquid præſtat, dignumq; tonante laborem;
Majus, quàm quod adhuc vivere cœpit, opus. *Creatio hominis.*
Fingitur humanum mirâ compagine corpus,
Sunt aptata ſuis ſingula membra locis.
Supremâ ſedet arce caput, ſpectare paratum
Sydera, & ad patrios lumina ferre Lares:
Dein paribus porrecta humeris ſe brachia trudunt,
Accedit digitis articulata manus:
Inde patet ſtomachus, venter turgeſcit in orbem;
Coſtarum duplex contegit ordo latus.
Crura columna duplex, hinc inde trahuntur in imum,
Fundamenta pedes inferiora tenent.
At frontis proh quale decus! duo ſydera fulgent

Sydera,

Sydera, quæ ſolis lux peregrina juvat.
Deſuper hoc modico deflexus acumine naſus
Leni colle tumens inter utrumque ſedet.
Auris hiat patulis ſinuoſo fornice conchis,
Acceptura datos januabina ſonos.
Extremum tegitur molli lanugine mentum,
Et rubeis ſerpit barba decora genis.
Deductis video quæ propugnacula labris?
Quæ miris ſepes ſurgit eburna modis?
Obliquo dentes claudunt præſepia ductu,
Effrenis clauſo carcere lingua manet.
Quis referat, totam ſuſtentet ut offea molem
Machina, ſéque æquo fœdere membra ligent?
Cognati paſſim coeunt in vincula nervi,
Vivida concepto ſanguine vena tumet.
Dúmque loquor, Deus ecce Deus ſpiramina vitæ
Affundit cunctis inſinuata locis.
Vitalis tunc membra rogus calefacta perterrat,
Flexibiléſque artus entheus ardor agit:
Languida membra licèt terrenâ mole graventur,
Alis nixa ſuis mens ſuper aſtra volat:
Non illi obſiſtit, terræ penetrabile corpus,
Non altæ tenebris obſita regna Stygis.
Corporeis quæcunque oculis natura removit,
Hæc meliore ſagax lumine cuncta videt.
Exors principii, ſpatiis non clauditur ullis,
Sed tota in totâ, par, ſimiliſque ſui eſt:
Mobilis en facili verſat ſe cardine cervix,
Figitur inque ſolo, figitur inque polo.
Eminet arx capitis, nam nobiliora locantur
Quæque loco, ratio provida, ménſque ſagax:
Naſus odoratur, manus ingenioſa laborat,
Venáque ſubſultu perpetuante micat:
Flexilis arctatur camerato lingua palato,
Vóxque repercuſſo fornice pulſa ſonat.

Illa

Illa per alternos diducti dentis hiatus
Omnigenos docto format in ore sonos.
Splenem risus habet, tumidas fel suscitat iras:
Sanguificum ignitus possidet hepar amor.
Palpitat æternum jecur almi sanguinis auctor
Et veluti flabris aëra pulmo ciet:
Cruribus, ut binis, moles adnixa, columnis
It facili, & facili mobilitate redit:
O felix nimium sua si bona servet Adamus,
Otia si placidâ pace quietus agat.
Conjugis ast errat malesuadâ uxorius arte,
Et Deus inclamat voce tremendus, ubi es?
Perjuro appetiit malum inviolabile morsu,
Quod malum extemplò crevit in omne malum;
O oculi loculi merito potiore vocandi!
Est animus vestri facta rapina doli:
Vendidit ille cibis cœlum puerilibus Adam,
Stultitiamque istâ venditione probat.
Ex illo vindex morborum turba nocentem
Cingit, venturæ nuncia certa necis.
Ex illo infirmos justus dolor occupat artus,
Febrili languent membra perusta lue,
Noxius in vitæ spiracula liquitur humor,
Guttur & occlusum tussis anhela premit:
Inde gravedo premit, capitis furiosa tyrannis;
Inde podagra, pedum carnificina, furit.
Avolat æterno lugenda dolore voluptas,
Advolat & nullo pœna levanda bono.
Hic cunas nati expectat, vovet ille sepulchrum,
Conjugis hic vitam postulat, ille necem:
Imus, & emenso nos sistit tramite meta,
Déque via comites Crœsus & Irus eunt.
Vita caduca fugit, sensimque resolvitur ætas,
Ut vapor in faciles extenuatur aquas.
Illa procellosis furit interjecta periclis;


Nil

Nil non quod fugitur, nil quod ametur, hab
Hic cum morte gerit bellum natura, peremptum
Nato restituens exoriente patrem:
Omnia sic, fragili quamvis è stirpe, perennant,
Æternâque genus lege propagat amor.
Hoc tibi solamen, quod nil sub sole diurnum est,
Omnia sed filo deproperante ruunt,
Pennatæ volucres ludunt per sydera lapsu,
Quas fata in laqueis implicuere suis.
Mille, latus leti, jaculis armatur acutis,
Errat in intentum nulla sagitta caput.
Quot mare rectores spectat, quot terra dinastas,
Sorbet tot dominos terra, fretúmque suos.
Cerno mori Alcidem, cujus sensere leones
Robur, & in partes dilaceratus aper.
Heu jacet hic princeps regum, jacet ille soporum
Magnus Alexander, major Aristoteles!
Fidentes animi movere insana gigantes
Prælia, at invictæ succubuere neci.
Sparta superba ruet: quid erunt nisi nomen Athenæ!
Rudera lucifugis aut habitanda feris?
Occidet ipse Maro, Cicero, Plutarchus, Homerus,
Hippocratèmque teget non medicina suum.
Occidet & Christus, soboles æquæva parenti;
Jam nulli post tot funera Parca nocet:
Nec tamen hoc duri clauduntur fine labores,
Altera mors superest, vita secunda manet.
Cladibus illa jacet, partis tumet illa trophæis,
Illa superba bonis, hæc metuenda malis.
O læta & tantis vita exoptanda triumphis!
O gravis, & tantis mors fugienda malis!

❧§(o)§❧



DE TRISTIBUS JEREMIAS LUGENS.



D. Hieronymus de Jeremiæ Lamentationibus.

HABES & in Lamentationibus Jeremiæ quatuor alphabetha, è quibus duo prima quasi Sapphico metro scripta sunt, quia tres versiculos qui sibi connexi sunt, & ab una tantùm litera incipiunt, heroici comma concludit. Tertium verò Alphabetum trimetro scriptum est & à ternis literis sed eisdem terni incipiunt. *Ità D. Hieronymus Epist. 155. ad Paulam Urbicam.*

Gregorius Nazianzenus.

EQUIDEM, ut de me loquar, quoties hunc libellum in manus sumo, threnósque lectito (id autem facio quoties secundarum rerum insolentiam coercere hujusmodi lectione studeo) vocem mihi intercludi sentio, lachrymísque obruor, eámque calamitatem velut ob oculos positam videre videor, ac Jeremiæ collamentor. *Gregorius Nazian. Oratione 12.*



THRENI SIVE LAMENTATIONES JEREMIÆ PROPHETÆ



Quomodo ſedet ſola civitas plena populo? Facta eſt quaſi vidua Domina gentium.

ALEPH.

UNDE Sion, populoſa priùs, ſedet orba colonis,
Amiſſo conjux ut viduata viro?
Quod priùs exegit, ſolvit nunc ſerva tributum,
Hoſtíque, ut domino, penſitat æra ſuo.

BETH.

Quæque vocat ſomnos oculis, nox provocat imbres,
Udáque perpetuis ora liquantur aquis.
Spreta jacet propriis, quos muro texit, alumnis,
Factus & eſt hoſtis, quis modò civis erat.

GHIMEL.

Quæ priùs obſequio populos Judæa gravabat,
Cogitur externo figere caſtra ſolo.
Nec dum ibi tantorum ſtat meta reperta laborum:
Exul at incerto quærit in orbe fugam.

DALETH.

Quod pedibus tritum Solymæa ad ſacra ferebat
Obductum ſpiſſis ſentibus horret iter.
Sunt ſine thure foci: rapido ruit enſe Sacerdos:
Quíque miniſter erat, victima dira cadit:

Virgi-

Virginéique chori turpi se pulvere fœdant,
Et cineres laxis imposuere comis.
Nulla manent veteris vestigia cognita formæ,
Queis nullus pulchro corpore nævus erat.

H E.

Hostis, jam dominus, captæ gravis incubat urbi:
Divinæ eventu non caruere minæ:
Impubes traducta cohors ante ora Potentum,
Erubuit miris ludificata jocis.

V A U.

Eversâ blandæ Charites fugere Sione,
Ore lepos, vultu gratia, fronte decor.
Hostilem ad nutum proceres sine sedibus errant,
Gramine ut impasti deficiente greges.
Cunctúrque senes lassis vestigia plantis
Promptiùs ante suos accelerare duces.

Z A I N.

Robbata captivæ ridentur inertia plebis,
Quidquid & augustâ relligione sacrum est.
Istata festivo siluerunt carmina cantu,
Imbuit & siccos victima nulla focos.
Nuta templa patent, & nuda altaria lugent,
Nulláque stat nostris ara relicta malis.

H E T H.

Prima novis Solyme cumulavit crimina noxis,
Spiritus hinc tepidis mergitur æger aquis.
Neverunt, qui laude priùs super astra ferebant;
Nec tulit è multis millibus unus opem.
Sed quos crediderat fidos malè cauta sodales,
Contemptam turpi deseruere fugâ.

T H E T H.

Mæret, ad usque pedes lugubribus obsita pannis,
Nescia quo fato, quo peritura die est
Ergo depositæ similis, Deus, aspice, dixit,
Erecto quantus surgat ab hoste timor.

IOD:

Diruta quæque cadunt; totâ pretiosius urbe
Quod fuit, hostiles diripuere manus.
Templa Moabites violat, temerarius Ammon
Sacrilegos infert in loca sancta pedes.

CAPH.

Plebs gemit & gazas optet pro pane pacisci:
Pro minimo expendat maxima quæque cibo.
Condit & humanas cognata in viscera carnes
Non diuturna minùs, quàm violenta fames.
Tardior auxilium cur longa in tempora differs,
Promptam olim votis ferre paratus opem?

LAMED.

Aspice, sitne meo similis sors ulla labori,
Hoc quicumque facis calle, viator, iter,
Me Deus attrivit, maturam ut vinitor uvam,
Quis tormenta meis æquiparanda tulit?

MEM.

Flamma vorat teneras cœlo demissa medullas,
Vitæ emendandæ flamma magistra meæ.
Subdola composuit fugitivis retia plantis,
Et refugam emensa compulit ire viâ.
His ego suppliciis studia ad meliora vocabar,
Nec documenta tamen mens rudis illa capit.

NUN.

Crimina nam rigidus numeravit singula censor,
Colla catenarum mole gravata gemunt.
Vincula luctando nequicquam demere coner,
Nam nodos nodit implicuere novis.
Subtendit plantis laqueos, retróque supinam
Mœstitiæ duro turbine stravit humi.

SAMECH.

Ut sit virginibus vincli spes nulla jugalis,
Sitque puellarum nulla futura parens.

Præla velut vino, juvenum sic sanguine fuso,
Latè spumantes intepuere lacus.
Ut mare calcatis fœdatum spumat ab uvis,
Sic noto exundat sanguine pinguis humus.

AIN.

Proinde fleo, largíque fluunt è pectore rivi,
Uda retrò in patrias ora reflecto domos.
Dúmque gemo, tum se se hostis jactantior effert,
Et plausum à lacrymis lætitiámque capit;
Huc illúcque vagi cives sine viribus errant,
Cœpit ubi hostilis prævaluisse furor.
Nostra à clade decus, laudémque à vulnere sumit,
Ingens hoc veluti, gloria, fonte fluat.

PHE.

Poscit opem superos, motis pro voce lacertis:
Irrita plangentis vota Sionis eunt.
Illa jacet, ceu virgo lues quam menstrua turpat,
Cui tabo circum palla fluente madet.
Omnibus est miseranda, nec est miserabilis ulli;
Fervida nec stimulos temperat ira suos.

SADE.

…s meruit dudum scelerata superbia pœnas,
Heu nimis in cultus ingeniosa novos.
…e quibus assimilas, ac me quibus arbiter æquas?
Quælibet est longè quàm mea, plaga minor.
Discreta simul delectu ad funera nullo,
Sublati ante diem procubuere suum.
…ibus atque oculis nostros haurite dolores,
Servit ut externo virgo puérque solo.

COPH.

Quósque magis fidos sperabam rebus in arctis,
Incautam laqueis implicuere suis.
Grandævósque senes passim, sacrósque ministros
Longior obsessâ it urbe fames:

Quod vix in pueros ferrum intractabile tentat,
Hoc facit, in gremio matris, acerba lues.
Vix utero surgunt, & tantùm ad funera nati,
De tumulo in tumulum prosiliere novum.
Et vitæ foribus, matrum quos ubera lactant,
Matrum ante ora, cibo deficiente, ruunt.

RES.

Respice quàm pœnis, genitor, malè vexer amatus!
Vix tuta interno viscera ventre tremunt.
Omnia stant inimica, gravique similima morti,
Dura fames intùs me premit, arma foris.

SIN.

Audivere quidem, haud exaudivere querelas,
Irato gaudent me cecidisse polo:
Quod Deus inflixit, non est curabile vulnus,
Et tale humanâ plus valet arte malum.
Quæ cruciat nos ira, reos vertatur in hostes,
Luceat innubi purior axe dies.
Sive adversa premant mentem, seu prospera laxent,
Fit nihil ignaro, vel renuente Deo.

THAU.

Ad tua se rea mox BABYLON prætoria sistat,
Ut cives pœnas, quas meruere, luant.
Deficio sed enim, mens ægra fatiscit ab ictu,
Viscera ab exangui contremuere metu.



MUSÆ

MUSÆ TURONENSES
IN MORTE
ILLUST. ET REVERENDISS. DN.
D. BERTRANDI
D'ECHAUS
ARCHIEPISCOPI TURONENSIS
MOERENTES ET AFFLICTÆ:
IN ADVENTU
ILLUST. ET REVEREND. DN.
D. VICTORIS
BOUTHILLIER
ARCHIEPISCOPI TURONENSIS
RECREATÆ.

EPITAPHIUM.

HIC SUNT FODINÆ NON SEPULCHRUM.

LATET.

Cor charitate aureum, manus Regiis Eleemosynis argentea, pectus constantiâ adamantinum, corpus sanitate æneum; sed meliùs disces ex eo quod non fuit, quid fuerit.

BERTRANDUS D' EÇHAUS.

NOn fuit natalis soli incola, licèt desideratissi...
Quia Navarra eum sorori Galliæ commoda...
Non fuit Cardinalis, nisi per regem designatus,
Quia si optavit, non ambivit.

SED.

Fuit apud duos nostros Navarræ Reges in honore ma- (xima,
Quia ejus familia duos primos Reges Navarræ dedit
Fuit dignissimus per viginti annos Turonensium Episcopus
Quia per totidem annos in Episcopatu Bajonensi ty- (rocinium posuit.
Obiit alterâ post Pentecostem die.
Quia Ordinis sancti Spiritus Commendator erat.
Obiit post suscepta Ecclesiæ Sacramenta sanctissimè,
Quia vitæ speculo mortis species respondet.

IMO

Vivit potiùs etiamnum in terris nobilissimè, (comite
Quia in Nepote vivit vigesimo tertio familiæ Vice-
Vivit potiùs apud cœlites gloriosissimè,
Quia hîc cælestem vitam inchoavit.
Ad quos virtutum alis, gregis precibus, indigetum votis est asportatus.
Vixit si tempus spectes, diu: si moriendi necessitatem, satis: si merita, abundè.

VALE.

UT MORIENS VIVAS, VIVE UT MORITURUS.

MUSÆ



MUSÆ MOERENTES.

ERGO ſacrilegis gaudes, Libitina, rapinis!
  Et metis auratum, ferrea, falce pedum?
O fera mors, & adhuc à cæde cruenta nepotis
  Ecquid inexpletâ cuſpide tollis Avum,
An majori auſu, clarâ ſplendeſcere prædâ
  Appetis, ô noſtris ambitioſa malis?
Debueras unâ ſaturari cæde: recenti
  Imbre exhauſta, novo lumina rore carent.
Aurea quæ rupit pretioſæ vellera vitæ
  Dextera? quid dixi, dextera? læva fuit.
Impia nocturno veláſti crimen amictu,
  Horruit ipſa nefas exitiale dies.
Veſpertina dabat ſolitos campana receptus,
  Ferali cecinit cum Libitina tuba.
O nox Cimmeriis pluſquam damnanda tenebris,
  Quæ ſuprema tibi, quæ mihi dira fuit!
Veſpere fata ſubis: ſol veſpere conditur undis:
  Deliquium fratri Cynthia ſola creat.
Nocte cadis: pullo tellus ſe veſtit amictu,
  Et præit exequiis pompa paranda tuis.
S. ò oculos claudis, claudit tunc lumina ſomnus,
  Ul ima perfecti meta laboris erat.
Subſequeris ſolem, comes indiviſus ad umbras:
  Phoſphorus alter eras, veſperus alter eris.
Vere cadis, flores tumulo ne forte deeſſent:
  Pullulat ac mœſtis una cupreſſus agris.
Turo floris amans, florem ſibi plorat ademptum:
  Dumus erit, regni quæ prius hortus erat,
O utinam noſtro redimatur funere funus,
  Et vindex vitæ ſit mea vita tuæ:

Nepos paulò ante obierat.

Funereo Phœnix ſurgit redivivus ab ortu;
Ipſe ſibi proles, & pater ipſe ſibi:
Sit tibi mors rediviva, ſit & vitale ſepulchrum,
Aut tuus, aut noſter, ſit tibi vita, cinis.
Pectora quid fletu, quid rumpimus æthera v
Heu lacerum nunquam Parca retexit opus.
Flere vetas, dum flere jubes: ſibi juſſa repugna
Námque peris oculus, quo mihi flendus eras;
Ipſe tibi pugnax prohibes & poſcis amorem:
Cor mihi namque cadis, quo fluit omnes am
Exigis & renuis mandato diſpare cultum:
Nam caput occumbis, quo reverendus eras.
Sed quid ego undoſis lacrymoſa trophæa fluentis
Erigo (quod nixum eſt flumine, ſtare nequit,
Vos ergo Aoniæ fratrem plorate ſorores,
Si lacrymæ legem verſibus eſſe ſinunt.
Veſtrum eſt è gelidis manes revocare ſepulchris,
Ferre triumphatâ, viva trophæa, nece.
Pergite ferales ulciſci carmine parcas:
Sit veſtro, mortis ſica retuſa, ſtylo.
Surgat & educto compoſta cacumine moles,
Quæ ferat æternis Præſulis acta notis,
Túque, Erato, cæmenta feres ex divite gazâ,
Quam Ganges alveo verſicolore rotat.
Deſcriptio ſepulchri ejus. Affer Erythræis, Clio, conchylia ſaxis:
Materies raro rata paranda viro.
Marmoreos poſtes atque ære loquentia ſigna
Dædaleâ prudens Pallas in arte dabit.
Deſuper æthereos Chriſtus petat arduus axes,
Aliger accenſam geſter utrinque facem.
Vir divine, peris, tecum & divinus Apollo:
Hinc poni in tumulum debuit ara tibi.
Signetúrque loquax victuro carmine marmor:
Diſce haud divinos poſſe perire viros.

Interiit, si sancta fides, si gentis avitæ
 Gloria, si pietas interiisse potest.
Vixisti, Bertrande, Polo, sacræque Minervæ:
 Téque Polus prohibet, téque Minerva mori.
Vivet honos, nullo & virtus interlita fuco,
 Læsáque non ullâ suspicione fides.
Nil genus attingo: Laudem superavit avitam
 A gestis virtus nobilitata suis.
Sceptrigeros signat Proavos tibi fama, tuósque
 Navarræa refert sceptra tulisse patres.
Ter septem binósque Nepos recto ordine complens
 Procomites tantos colligit unus avos.
Quin etiam Patribus major superaddit honorem;
 Quæque aliis fuerant singula, solus habet.
Nec te consiliis regnum juvisse silebo,
 Et studiis Proceres demeruisse tuis.
His meritis ex parte dedit sors præmia: quanquam
 Sæpe malis extet prodiga, parca bonis.
Prima Diœcesis Bajona, Turóque secunda,
 Tertia perpetuus debuit esse Polus.
Tironi Bajona, Turo prælusit Olympo,
 Mercedi, ut meritis, quo suus ordo foret.
Hic quaterdenos bis vixit, & ampliùs annos:
 Sic Martinum annis, ut pietate, refert.
Vix mors ausa virum dubiis tentare sagittis,
 Nescia, Mortalis, Semideúsne foret:
Aggreditur trepidas, læso vix pectore plantas;
 Decrevítque domo claudere, deinde thoro.
Conatum virtus & inexpugnabile pectus
 Sustinuit, victi succubuere pedes.
 Pedibus diu laboravit.
Pallor abest: nescit fato expallescere virtus;
 Occiduo soli concolor ore rubet.
 Rubicundus facie.
Et nota virtutis vivit morientis in ore:
 Exuitur mortis forma, sed arma manent.
Corpore defesso, mens indefessa vigebat,

Et

Et cœli ambibat liberioris iter:
Odit degeneres artus, & inertia membra,
(Nam caret officio pésque manúsque suo)
Indignata premi, torporis & inscia cessit,
Ut requiem membris irrequieta daret.
Exiit in superos, quo mente revolverat, orbes,
Factus & est hospes qui peregrinus erat.
Die ascen. Chr. Spiritus æthereo descenderat igneus axe,
Libera quo scandit spiritus astra, die.
Divinum in terras celso venit æthere Pneuma,
Bertrando ut rectam monstret in astra viam,
Sydera jam propiore oculo cognata recenset:
Dividitur; cœlo pars sua, pársque polo est.
Illa quaterdenos diademate cincta per annos,
Funestâ cervix fronde revincta jacet.
Illa manus, quæ regis opes dispersit egenis,
Frigore ferali conglaciata riget
Illi oculi bina astra bonis, duo fulgura pravis,
Ante diem extinctes occuluere faces,
Ante diem! fallor virtute gravatus & annis,
Maturúsque polo non cadit ante diem.
Purpureo centum voluissem vellere lustra,
Si me ducta tibi stamina nente forent.
Sed malè lanificæ vitæ dant jura sorores,
Et pudet à sexu debiliore regi.
Quid non tota suis Turo bombycina textis
Sufficit expletis serica pensa colis?
Dives opum Turo sacræ cur aurea vitæ
Stamina, pro lanâ deficiente, negat?
Sed superûm invidia est: verbis ignoscite divi.
Mens incauta magis, quàm scelerata fuit.



MUSÆ RECREATÆ
IN ADVENTU
D. D. VICTORIS BOUTHILLIER
ſucceſſoris.

O Dolor! ô caſus! proh non ſolabile fatum!
Sed, qui ſcit gemitus vincere, VICTOR adeſt.
Extinctam reparat VICTOR, lux altera, lucem;
Sydere, ceu ſydus deficiente micat.
...a te novit, novítque Bononia teſtis,
Quam vigili cures ſedulitate gregem.
...tibi trina, licèt non ſit Romana, Tiara;
Ter magni nomen trina Tiara facit:
Primus amor ſacro venerari numen amore:
Proximus eſt agnis invigilare tuis.
...turus populis exempla ſequacibus anteis:
Reſpondent verbis æmula facta tuis.
...ecropiam ſtudiis animas, Latiamque Minervam,
Paſtorale ornas nobilitate Pedum.
...ſeges ampla tibi, ſed virtus amplior extat:
Elige quídve prius, poſteriúſve velis.
...is certa fides longo ſe prodit ab uſu,
Ménſque miniſteriis intemerata ſuis.
...i ferre nequit, nec rerum mole gravari:
Sed ...uras mirâ dividit arte ſuas.
...cit innumeris unus ſimul impiger actis;
I...que labore quies, inque quiete labor.
...e tu Muſas primus Turone dediſti:
Te memor æternúm vivere Muſa dabit:
Ille tuos plectris Helicon celebrabit honores,

Quos

Quos audire minùs, quám meruisse cupis.
Acta videns ne quis mensuram ponat agendis,
Præteritis tenebras adjicienda dabunt.
Urbe pererrantes in claustra reducet egenos,
Qui cingunt tritas obsidione vias.
Cerno importunas templis exire phalanges,
Mendica hospitiis agmina stare suis.
Hunc onerare colos, hunc exonerare videbis,
Hunc digitis lanas extenuare suis.
Jam facit attentus, pulso crabrone, Sacerdos,
Pacatísque silent verba profana sacris.
Et cum mendicis communi carcere frænas
Juramenta, dolos, otia, furta, neces.
VICTORIS titulum claris virtutibus æquas;
Et nomen morum nobilitate reples.
VICTOR ades: Præsente latet VICTORE cupressus,
Mutatis VICTRIX pullulat arbor agris
Surgit PALMA, viget LAURUS, revirescit OLIVA
Cedit & Alcinoi luxuriosus ager.
Quo fers cumque pedem, volucri VICTORIA penna
Advolat, & cœptum prævia sternit iter.
VICTOR ades, sperat palmas Ecclesia VICTRIX,
VICTOR Jo, Tnro, concine, VICTOR Jo.





DE PONTO OCCIDENTALI
sive.
DE BARBARIE CANADENSI FRANCIADOS
LIBRI DUO.

LECTORI BENEVOLO.

QUOTIES *Novam Galliam loquentem audieris, intellige Poëtarum more quasi* [...]*am Novæ Franciæ Præsidem, quam imitatus* [...]*audianum aliquando doctam, & peritam re*[...]*um, aliquando barbaram, & incultam induco;* [...]*que eo quidem ordine, ut primùm incommoda* [...]*, miseriásque exponat* DELPHINO, *ab* [...] *Elegiarum initium, & finem paucis faciens;* [...]*unde verò auxilium fusè postulet.*

[...] *Novâ Franciâ D.* JOSEPHO *dicata.*

[...]epho arboribus dives Nova Gallia sacra est:
Quippe venit gnaro sylva secanda fabro.

FRAN-



FRANCIADOS

LIBER PRIMUS

Incommoda & calamitatem Novæ Franciæ explicat.



ELEGIA PRIMA AD DELPHINUM.

Bella & crudelitas Canadensium in captivos.

ASPERA si scribam, si legeris aspera, parce,
Attramenta cruor, pennáque sicca fuit,
Gnosia contorto didici torquere lacerto.
Mars doctor, bellum lectio, tela libri.
Sanguineo bellum calet insatiabile campo:
Dux milésque pedes, nemo meretur eques.
Hanc rabiem sugit cum lacte parentis alumnus,
Ille furor teneris prima fit esca labris.
Sic pax rara mihi, pacis constantia nunquam,
Martius aut infert, aut subit arma locus,
Captivos non ira brevis, non bellicus ardor,
Impetus, aut dextrâ præcipitante necat.
Pascere stat ferro rabiem, pœnísque furorem,
Tormentis oculos, suppliciísque manus.
Parcendi ô feritas! productáque vita dolori!
Non tam pœna necis, quám mora tanta premit.
Improvisa minùs, quàm mors prævisa fatigat:
Telo illa, at telis hæc ferit atque minis.

Mitius atroci servus damnatus arenâ
Cingitur Armeniis præda voranda feris.
Nonnunquam religat sylvestri brachia trunco,
Turbáque certatim docta ferire, ferit.
Sylvicolæ in misero ne desit funere sylva,
Ecce aliam sylvam densa sagitta facit.
Mortis & alterius, mors provocat altera, gressum:
Ut pingues saniat carnificina boves.
In promptu pes tela facit, manus arma ministrat,
Dente terunt, laniant unguibus, ore vorant.
Hic malas onerat pugnis, sude perforat aures;
Hic quatit evulsis tempora nuda pilis.
...dibus ille oculos, dentes hic ore revellit:
Hic aures gladio truncat, & ille manus
...c ligat, ille vorat, secat alter, & alter adurit
Brachia, frontem, oculos, ilia, crura, pedes.
...que ubi fuscatæ crepitant ferrugine carnes,
In rigidas ustæ præcipitantur aquas.
Succedunt gelidis alterna incendia membris,
Pérque humeros errat titio, perque sinus.
Membra stupes animata lacu, solidata favillâ,
Non resoluta rogo, non liquefacta vado.
...er aquas ignésque, queam ut superesse dolori,
Frigida flagrantem temperat unda rogum.
Membra ruunt per frusta, cadunt ex ossibus ossa,
Et luxata ferox dextra per exta meat.
Non est hic, quæ meta solet mors esse dolorum;
Hic unâ non est cæde redempta quies.
Parior est segni quæ sicca fatiscit in ictu,
Quam quæ prompta manu deproperante ruit.
Dextra renascentes geminant moderata dolores,
Prodiga quæ plagæ est, mortis avara manet.
Mortuus en spirat: nec mors, nec vita relicta est,
Dimidium vivit, dimidiúmque perit.
Nuda patent, sine pelle caput, sine carnibus ossa

Et larvam facies excoriata facit
Sanguis abit venis, de pectore labitur hepar,
Illa ventre cadunt, oſſe medulla fluit.
Depile ſtat mentum, vultûs vacat area pelle,
Non ſecus ac pingi mortua calva ſolet:
Ora patent, patulóque horrent deformia rictu,
Oſſea pro vultu rudera vultus habet.
Forma caret formâ, vultus vultu, auribus aures,
Et votum à toto corpore corpus abeſt:
Denique cuique ſuus parti dolor, omniáque unum
Vulnus membra uno juncta cruore fluunt.
Vivere cogat adhuc, & erit ſæviſſimus hoſtis;
Ipsâ, plus vitæ gratia, morte nocet.
Nec dapis humanæ tortori eſt nauſea; ſanguis
Dat potum, pellem veſtis, & oſſa rogum.
Impaſti procul hinc ad pabula cedite vermes,
Nil mox, quod vobis eſuriatur, erit.
Pejor adeſt verme, in ſpirante cadavere tortor,
Cui parat humanas viva popina dapes.
Quin etiam ſua membra reo ſorbenda ſecantur,
Ut tumulent artus viva ſepulchra ſuos.
Fabula ſacrilegus jam deſinit eſſe Thyeſtes,
Quique Prometheam viſcere paſcit avem.
Non ſejuncta quidem natorum membra reſorbet,
Pejor at innatas congenitáſque dapes.
Quod mirum eſt, placidus, non ut furiatus Oreſtes,
Imperturbato gutture membra vorat.
Ut Saturnus edax ſua ſe per membra trucidat,
Sic lanio ipſe ferox, ac laniena ſibi eſt.
Nulla labris creſcunt propriæ faſtidia carnis,
Pes conſanguineo dente, manúſque perit:
Illius partis tumulus pars corporis iſta eſt,
Cognotæ veniunt, intima menſa, dapes.
Fœdera diſſolvit fraterna domeſticus hoſtis,
Pars ſua comparti præda voranda venit.

Quid

Quid miser interea? ridet, sibi plaudit, & ultro
Aspera dum suffert, asperiora petit:
Non gemitus ferro, lachrymasque opponere pœnis.
Quid tua mitis, ait, dextra, quid ensis hebes?
Tortorésque jacens invitat, ut altius ensem
Lectâ parte sui nobiliore locent:
Si faciant, plagam ridens sensisse negabit,
Mille dabit vultu dissimulante jocos:
Vulnera sunt leni fomenta medentia tactu;
Dira tamen factus erubet hasta neces.
…a gravia, hæc graviora; per ista, gravissima poscit
Semper & inventis ulteriora cupit.
Qua nece cumque perit, leviore perire videtur,
Et stolidè patiens in sua damna volat.
…atatus velut expertâ dulcedine plagas,
Poscit & illæsus vulnera, læsus amat.
Liquitur accensa sensim pinguedine tostum
Corpus, ut admoto cerea tæda rogo
Risus erit mutili supremus anhelitus oris,
Collusor tortor, plaga fritillus erit.
Eruit hic sensum pietatis, & ille doloris;
Mutua communis gaudia culter alit.
Expirante nihil nisi risus corpore restat:
Dic ubi materies risibus apta tuis?
Dum lacerum pectus rimis hiscentibus extat,
Tum jocus exangui lætior ore sonat.
Quâ mage clade perit, mage cladem deperit ipsam,
Et sibi posse hosti displicuisse, placet.
Quid rides? quod nulla manent quæ damna minentur?
Quod bona, quæ valeant tollere, nulla manent?
…bilis heu risus, scutúmque imbelle! retundi
Obice num risu ferrea sicca solet?
Mors adeóne parum est? hostis tibi funus acerbas,
O nunquam ærumnis exsaturande tuis!
Parcite crudeles membris exanguibus ursæ?

Nil cutis, aut carnis quod repetatis, habet.
Parcite vos oro, neque enim pro se ipse precatur,
Sed placet in varias mors geminata neces.
Cedite languentes, vel cædite fortiùs iræ,
Este minus segnes in pia fata manus.
Si nondum saturata sitis, tibi perpete fauces
Ubere vitalis vena cruoris alet.
Altiùs effosso de vulnere rivus abibit,
Uberiore sacram prolue fonte sitim.
Hæc facies rabidos posset mollire leones,
Exarmare lupos, & cicurare tigres.
Non tanta Armenias rabies exsuscitat ursas,
Non similes claudunt amphitheatra feras.
Cyclopas tortor superat feritate gigantes,
Mitior est isto Trinacris Ætna loco.
Singula quid memoro? si millia mille referrem
Tormina, mille mihi millia tecta forent.
Nam nec habet numerum, nec pœnæ copia nomen,
Non datur inceptis ultima meta malis.
Crebra cruentatis geminantur vulnera membris,
Plura tamen votum est, & graviora dari.
Dum bene luctatus nece tandem concidat unâ,
Passus, in assiduo funere, mille neces.
Quod præstare audet, tibi scribere dextra veretur,
Quæque dolor non est ferre, referre dolor.
Quid necis ingenium, & falcis renovamus acumen?
Est necis ingenium, falx & acuta satis.
Vita tuis lacrymis, & nostro digna pudore,
Sceptra cruenta fugit, sceptra quieta petit.
Si mihi pax tecum cunis nascatur eisdem,
Tota tibi totum fiet oliva nemus.



ELEGIA



ELEGIA SECUNDA.

Convivia & fames Canadensium.

DELICIÆ Regum venatu pellere curas,
Junctáque Dianæ, Martis & arma sequi.
Concolor omnis ubi niveo velamine tellus
Dedocet errantes antra laremque feras;
Reticulis ego cincta pedes, & brachia telis,
Martem vinco manu, Mercuriumque pede.
Et cautâ pontes niveos indagine lustro,
Plagiferísque noto crura manúsque rubis.
Suppositas de monte ruens examino valles,
Num tegat errantes cæca caverna feras.
Tam juvenes vepreta citi, salicetáque calcant,
Per quercceta volant, pérque vireta ruunt.
Nec saxeta gradum, spineta, rubetáque sistunt,
Lustráque ferrato vix adeunda pede.
Iam circum clamare viri, latrare molossi,
Formidare greges, & trepidare feræ.
It fuga, sternuntur per inertes agmina campos,
Pars sude victa cadit, pars cane capta ruit.
Spicula quot cornu, tot habet sibi funera campus,
Ni geminet multas una sagitta neces.
Qui prædam capit, ille vorat; dubitatque frementes
An feriat citiùs dente manúve feras.
Et placet exiguis leviter caro tosta favillis,
Qui cibus, est dubium, sistat alátve famem.
Aut avidus prædam spreto vorat igne; nec escas
Provida per longos contegit arca dies:
Quque die hodierna capit, non crastina cernet;
Si mihi res desit, spes mihi semper adest.
andia tunc non parca manus, sed opima ministrat

Optima de toto fercula tota penu.
Quanta dies cumque eſt, epulis exæſtuat omnis,
Continuam æternat longa culina dapem.
Haud ſecus indulget genio, pinguíque polentæ
Anſer Francigenis eſca dicata labris.
Sæpe dies cœnâ, menſæ ſunt carne minores,
Nec tam victa citò, quàm revocata fames.
Carnes delitiæ: ſolæ bellaria carnes,
Queis ſuus à ſe ſe, non datus arte, ſapor.
Carpo cibos, ut aperta poteſt compingere dextra,
Ut diſtenta dapes viſcera ferre queunt.
Quod carnis cumque eſt, id ventre reconditur, omnes
Et modios, omnes & ſuperante modos.
Fercula quot, quantum, quæ quiſque liguriit ore,
Ipſo non levis eſt ore referre labor.
Non prius abſcedunt, quam nauſea pallat edentes,
Ingluviéſque cibos exſaturata vomat.
Fercula quid fertis, rurſúſque & fercula? vultis
Suavia ferre mihi fercula? ferre famem.
Faucibus unum illis & idem omnibus argumentum,
Fercula: fauce vocant fercula, fauce vorant.
Materies facit ipſa modos dulceſcere labris;
Et quæ voce ſonant carmina, dente probant.
Gens quoque tota bibax, & tota in prælia fervens,
Si qua peregrinis bella gerenda ſcyphis.
Diſtrahat & vitam, ſi fortè licebitur emptor:
Vinum vel propria parte ſalutis emat.
Credit aquam præſens, vino præſente, venenum,
Hoſtibus & ſolis pocula digna dari.
Quin cadit, ut ſacro quondam caper hoſtia Baccho:
Iſte eſt pernicies vitis, & ille meri.
In vino vel lingua levis, vel inane cerebrum,
Dicere cùm neſcit, cúmque tacere nequit.
Surdior eſt Surdo, Picáque loquacior ipſa,

Cùm reticenda refert, cùm referenda tacet:
His ſtudiis menſes abeunt & primus & alter,
Dum neget obſtructas nix liquefacta vias.
Tunc, ſed ſerò nimis, ſtat parcere rebus adeſis,
Concilium vacuis aptat inane labris.
Oſtrea tunc virus pelagi, mænaſque relict.
Putre pecus, ponto diffugiente, legunt.
Expiat impranſum convivia lauta palatum,
Conditur ſuavi, ni ſapit eſca, fame.
Siccatas pelles, & ſcortea tegmina mandunt,
Nucida ſemeſi fragmina piſcis edunt.
Duratam fumo anguillam coquit olla recoctam,
Qui cibus in ſtomacho perſtat inerte diu.
Attonitæ longæva ſtupent jejunia quercus,
Labraque mortali non reſoluta cibo.
A patre fruſta puer ſi carnis edenda repoſcat,
Fruſta parens puero carnis edenda negat.
Si panis potúſque forent ſuſpiria, poſſet
Ebrius à lacrymis, & ſatur eſſe ſuis.
Poſcitur æthra pecus, ſed inops pecus æthra recuſat,
Terra rogatur opem, terra recuſat opem.
Penſilis ingratâ vix hæret in arbore fructus,
Quæ macra jejunus prandia venter amat.
Sola ſed infami fructu vepreta redundant,
Sylváque glande ferax exſuperante pluit:
De quercu lectæ veniunt in prandia glandes,
Excuſſa in cœnam de vepre mora cadunt.
Nudantur ſpineta ſuo, quercetáque fœtu,
Et ſapit humanis eſca ferina labris.
Exangues artus, exſuccáque tempora pallent,
Infidiſque labant oſſa ſoluta fibris.
Alterno trepidant & terrent obvia viſu,
Spectra, quibus nudat decolor oſſa cutis.
Nunc macie ſidunt, nunc carne triclinia pinguent,
Nunc ſupereſſe cibos, jamque deeſſe vides.

Mox cibus oppleta fugiens ex fauce redundat,
Mox labra quæ fugiant dicere, labra vorant.
Mutua ſuccedunt, vincúntque alterna viciſſim
Ingluviémque fames, ingluviéſque famem.
Mitte (maris princeps) famulos in prandia piſces,
Auget dum regnum nix liquefacta tuum.
Mitte cibos, potúſque, quibus non paſceris infans,
Sat tibi lacte ſitim pellere, lacte famem.



ELEGIA III.

Difficultas itinerum in ſilvis Canadenſibus.

PARCE precor: ſi ſermo rudis neget ſe poëtam
Non ero: vera loquar, ficta poëta canit.
Tu mirare meos; ſimul & miſereſce labores,
Sat, qui miretur, non miſeretur, erit.
Mille bis æterna protenditur arbore leucas,
Umbroſus totus, nec cerealis ager:
Nec mirum, haud aliâ reſecatur ſylva ſecuri,
Quam quâ tempus edax omnia falce metit.
Qua parte aſpicio ſylvæ, mihi ſylva malorum eſt,
Sórſque mihi trunco durior arboreo.
Æterni horrificant brumæ intractabilis imbres,
Marmoreóque rigent vincta fluenta gelu.
Sunt & inacceſſi Phœbo, Phœbéque receſſus,
Súntque ſepulcrales in mea tecta nives.
Sylva catenatis denſatur opaca vepretis,
Et negat obſtructas illaqueata vias,
Nulla viatoris trito patet orbita greſſu,
Nec leve ſignato calle notatur iter.
Flexilis incurvos ſinuat labyrinthus in orbes,
Sum Theſeus, ſed quis provida Gnoſis erit?
Vix tot vorticibus conſtat Mæandricus amnis,

Her-

Herculeum vix tot flexibus erat iter.
Vix tot inexpliciti Cretea volumina ſepti.
  Quémque ſuus præceps terror, & error agit.
Neſcio num fluviis vovear lapſura, vel antris,
  Tot loca deluſo ſunt pergrata pede.
Dum vagus à tecto deflectit calle viator
  Unum, vota Deo fundere, reſtat iter.
Prolem mater Olor, matremque Ciconia portat,
  Dum metus eſt dubias, vel labor, ire vias.
Deſeror, ut triviis exponit adultera natum,
  Quem lactare probrum, quemque necare metus.
Nix albet quocumque oculos intendere conor:
  Quoque pedem, aut dextram figere, ſpina riget.
Vix Scythicæ vepreta colant impune ſorores,
  Queis ferro vultus fluxit, & ære manus.
Non labyrinthei tot habet fallacia luci,
  Sylva quot ambiguos curva recurva dolos.
Quæque petita via eſt curſu, repetenda recurſu,
  Ipſa ſibi gyris obvia facta ſuis.
Non movet in rectum, ſed curvum obliquat in orbem,
  Confectum repetit pes vitioſus iter.
Ut mola perpetuos iterat circumvaga curſus.
  Ut levis æterno vertitur orbe rota.
Haud ſecus implexo revolubilis orbe viator
  It, redit, emenſum ſæpe remenſus iter.
Fallaces præter dubiis erroribus orbes,
  Vallibus hinc premitur, montibus inde tumet.
[illegible] pygmæo, qui ſe putat ire gigantis,
  Et quod habere putat, vix habet ullus iter.
Devius at ſurdos fruſtra inclamavero campos,
  Nullus aberranti monſtrat arator iter.
Metior aſtra oculis, linguáque remetior agros,
  Sed neque vox aſtris, vox neque prodit agris.
Cedite ſyderеæ moles, atque ardua ligna,

Latior

Latior ut cœlo, sit Cereríque locus.
Quis mihi det certo tam constet semita ductu
Quàm petit intentum recta sagitta scopum;
Tam facili, Delphine, levem da tramite cursum
Quam faciles peragrat piscis in amne vias.



ELEGIA QUART[A]

AD DELPHINUM.

Nix, & frigus Canadense.

QUID nive non possim, potuit si pulvere scribi
Candida namque mea sepia facta nive,
Littera quippe suo fulget depicta colore;
Et merus in niveo carmine candor inest.
Non habet externum, proprium gerit illa colorem
Quæ niveo, proprio charta colore nitet
Sit procul hinc minium, tyrium procul abit & ostrum,
Unus erit niveus, si color ullus erit.
Nix mea me decuit, donec dabis ipsa colorem,
Cœpero dum vultu nuda rubere tuo.
Tres nive marmorei frigent constante Decembres,
Æquales aperit lubrica testa vias,
In pontem pontus glaciali fornice cessit,
Et lacus à rigidis stat solidatus aquis.
Mentitur durum concreta fronte metallum
Nereus, & rigido ferrea terga vado.
Justius haud unquam dictum de marmore marmor,
Æquoris aut nomen justius æquor habet.
Nix infrà durata pedes & spina fatigat,
Desuper intectum densa pruina caput.
Cuncta rigent, cuncta albescunt: dubiumque relinquunt

Num mage dura gelu, num magis alba nive.
Quæque prius cymbam, nunc accipit hospita plau-
strum
Unda, negátque undas conglaciata suas.
Sæpe sonat glacies agitato pendula crine,
Sæpe gelu mentum candidiore nitet.
Sectilis ad potum ferienda bipennibus unda,
Et putei duris effodiuntur aquis.
Terra latet nivibus, densa latet arbore cœlum,
Non oculo cœlum, non pede tango solum.
Orbis jure novus, meritò novo Gallia dicor,
Bis duo sunt aliis, hîc elementa duo:
Terra latet, riget unda; unus juvat ignis & æthra:
Si fumo, & ramis, ignis & æthra juvant.
Me miseram! totis nunquam mihi vertitur annis
Vel nox cum somno, vel sine nube dies.
Fallitur, & niveum laudat vulpecula corvum,
Qui mihi vel niveum dixerit esse diem.
Crastinus albus erit, dico; non crastinus albet:
Miror; dico, dies proximus albus erit.
Tertius est isto nigrior, primòque secundus;
Nulla serenato lux mihi sole micat.
Labra sitis, premit ora fames, membra omnia frigus,
Vixque pigra surgit debile corpus humo.
Nix ab Anaxagora sapientiús alba negatur,
Atra quidem dici nix mea jure potest.
Nix quoties fœtis tegit æthera turbida nimbis,
Lætior innubi mox nitet ore dies.
Nix mihi perpetua est, neque nos albescimus illa:
Mens mihi cum nigro corpore nigra manet.
Nostra rigere queror, nunquamque albescere corda,
Non mage tecta gelu, quàm nive terra latet.
De nive, qui decorent, niveos geris ipse colores;
Et mihi, quod cruciet de nive, frigus adest.
Veste negat pullum nivea convertere peplum

Quæ

Quæ ſibi conſtans eſt lacryma, quæque mihi:
Nulla dies vitam niveo candore ſerenat,
Nix ut adeſt oculis ſemper, obéſtque meis,
Ite, nives, & primo vere liqueſcite in imbres,
Solvite vobiſcum corda revincta gelu.
Aſt ubi nix, durúmque gelu ſolvuntur in undas,
Putreſcit mixto ſordida lympha luto.
Caſta ſitis non tam turpi ſatiatur ab hauſtu,
Sydereo extingui non niſi fronte poteſt.
O calor exoriens ex te, revolubilis in te
Ipſe tibi lignum ſolus, & ipſe focus;
Ardor edax, abſume nives: caſtúmque liquorem
Exprime flagranti qui levet ora ſiti.
Huc, Delphine, veni: lacti nix concolor albet,
Nil Plato, quàm liquidam lac docet eſſe nivem.
Molles terra dapes, & lactea fercula ſpondet,
Mamma polus, nix lac, quo fovearis, erunt.
Sydereo qui mira trahit cunabula cœlo,
Ubere cœleſti, lactéque debet ali.
Nix etiam ſponſi æthærei caput alba pererrat
Et tegit intactos alba pruina pilos.
Cerne nivem, quam ſi temnas, cœleſtia temnis,
Scilicet æthereis nix venit iſta plagis.
Eſt niveus pueris candor, vultúſque benignus,
Ah meliore meam lumine cerne nivem.
Cerne nivem, ſaltem caſtos habet illa colores:
Ipſe eſt virtutis dignus amore color.
Lenta ſeneſcentis tardet tibi verticis ætas,
Et videant Pylias tempora cana nives.

ELE

ELEGIA QUINTA
AD DELPHINUM.

Domus, & umbra ſilvarum Canadenſium.

DET licet umbra thoros, ſine te non apta ſopori eſt:
Creditur eſſe quies, ſed labor umbra mea eſt.
Sedibus incertis dubióque erratica curſu.
Huc illuc comites inter oberro feras.
Et me nulla dies cernit, nulla aſtra ſedentem.
Nulla ipſa dies cerno, nec aſtra ſedens.
Dorſum currus, equíque pedes, mihi dextera culter:
Quolibet ebullit geſta culina loco.
Pelliceo contexta mihi centone ſupellex,
Nudáque ſemoto limina poſte patent.
Quæque viri domus eſt, magis eſt ſpelunca leonis,
Quíque vir, ille viri nil niſi nomen habet.
Congenitum domiporta trahens ut Cochlea tectum
Errat, in exilio nullibi, ubique domi.
Non terit immotis eadem veſtigia plantis:
Stánſque nequit noctem, ſtánſque videre diem.
Ita ſæpe movet bis caſtra volatica luce,
Vincit ſolem, æquat mobilitate mare:
Quamque domum extruxit Cynicus, verſavit eandem:
Iſta novo cogor condere ſole novam.
Vilibus crates ſurgit compacta quaſillis,
Virgea clauſtra domus, fiſcina clauſtra thorus.
In medio dicámne rogum, fumúmne calentem,
Quo pars illa calet corporis, iſta riget?
Junceis ut aves caveis, ſic mœnibus arctor,
Si caveis aditus, ſi reditúque patent.

Tota

Tota domus rima eſt, domus eſt mihi tota tamen,
    Tota domus porta eſt, tota feneſtra domus.
Frondea, quem mittit fumum, domus ipſa reſolvit:
    Humida ligna, virens herba, nivéſque fovent.
Intus agit circum niger atra volumina nimbus,
    Nix flammam alterant ſolvere, flamma nivem.
Turget olorinis numquam mihi culcitra plumis,
    Arboreis ſummum eſt incubuiſſe thoris.
Membra nefas farto præbere levanda grabato:
    Sed gravis eſſe ſibi ſarcina membra ſolent:
Et jactata novam quærunt hinc inde quietem,
    Neſcis quémve locum, quémve tenere ſitum.
Nunc ſtare incumbens, nunc ſtans incumbere nitor,
    Sed locus ex æquo diſplicet, atque ſitus.
Nix ubi cœnoſam peperit reſoluta paludem,
    Plus natat in ſtratis, quàm cubet hoſpes aquis.
Jam ſceptri, Delphine, tui reſidebo ſub umbra,
    Hoc, tuto ut lateam tegmine, ramus erit.
Hactenùs aëriam pro corpore prendimus umbram,
    Brachia complexu luſa fuere ſuo.
Umbra diem ſaltuſque rogos expectat amoris,
    Hæc eſt materies ignibus apta tuis.
Perpetua memoris, vitiíque in nocte moramur,
    Hanc geminam noctem, quot doulere dies!
Non habet has populus tenebras Schyticúſque ſilentiumve,
    Hi ſolem abſenti ſole deeſſe vident:
Hìc denſæ horrificant ſpiſsâ caligine noctes,
    Nec poſſum noctem nocte videre meam.
Sed tu ſol oreris, ſempérque remetiar uno,
    Teque oriente meum, téque micante diem.

❧ (o) ❧

ELEGIAS EXTA AD DELPHINUM.

Incommoda, & commoda Canadensium.

NON fingam, DELPHINE, solent quæ monstra Poëtæ.
Quid portenta velim fingere? vera sumus.
Monstra pavent pueri, at puero puer Hercule major,
Indomitâ frangis monstra cruenta manu,
...cte Medusæos cunísque virilibus angues,
...pumantésque domas ubere pastus apros.
...ec monstrum est, quod monstræ nigris habitantia sylvis.
...rancigeno flectant Hercule victa caput.
...x putor humano de stirpite surculus ortus,
Quisquiliæ terræ, res inhonora sumus.
...n similes Getula feras Massyláque gignunt,
Bina licèt monstris lustra timenda suis.
...nque senem occidit, quando non occidit ultro,
Matrem nata, patrem natus, avúmque nepos.
...revoluta parent abscindere stamina Parcæ
Impatiente parens prolis ab ense cadit,
...nque cibis nolit, semel uno funere pascit,
Qui matris vixit lacte, labore patris.
...tas, quæ sic pietatis dona rependit!
Hæc pia si soboles, impia qualis erit?
... lupus & tigris, leo sum, sum vipera, & ultrà
Si fera quid tellus hoc grege pejus habet.
... tigris patrem laniat, sic vipera matrem.
Sic armenta lupus, sic leo mactat ovem.
...qualem præbent homines, & monstra timorem,

Desti-

Destituórque feris præda, scopúsque viris:
Occidunt parentes. Quis credat; morbus scelus est, & noxa senectus,
Sed scelus hoc fato, nova luenda nece est;
Debilis æger ubi lentatur anhelitus oris,
Pallescítque suis purpura dempta genis:
Denique cùm tenues servant vitalia pulsus,
Vicinámque notat vena quieta necem.
Succorum vires lectásque Machaonis herbas
Hippocrates nullus, nullus Apollo parat.
Cedat vana procul Podaliria turba, Melampus,
Herodes, Chiron, Clinius Hippocrates.
Unus adest, medicus, natus, vel fidus amicus,
Morte brevi longum qui levat omne malum,
Germina nulla creant meliores sanguine succos
Non scalpro venam natus, at ense secat:
Occisor medicus, mors est panacea dolenti.
Vicini veniunt prompta sepulcra rubi.
Qui bello viguere duces, sublimè putrescunt,
Claudere victores terra subacta timet,
Ductorum temerare manus & brachia parcit
Pulvis, & augustum lædere terra caput.
Scilicet ingentes æquaret ut urna triumphos,
Unicus urna capax debuit esse polus.
Terrane quod monstris me terreat, ista vocatur?
Dicitur? an cœlum quod mihi celet opes?
Argillam figulus madidâ dum molliit unda,
Perniciémque cito movit ut orbe rotam:
Fabricat artifici circumvaga pocula gyro,
Mater ut ipsa rota est, sic pater ipse faber:
Hydria sed primum delapsa recurrit in ortum,
Támque citò moritur, quàm citó nata fuit.
Nullus homo cunis olim melioribus ortus.
Prodiit lutea fictile corpus humo:
Est pulvis, qui sponte levem vanescit in auram,
Auráque, quæ nullo pressa sequente fugit.

Non queror, auctori nec opus convicia jacto,
  Facta tamen videor deteriore luto.
Nomina vix vitæ mihi ſunt, ſunt cætera mortis,
  Vita minùs vitæ, quàm necis iſta tenet.
Sæpe eſt durato potus ſugendus ab amne;
  Quæque nequit mandi, ſæpe voranda caro eſt.
Sola ſitim, ſolúmque famem premit unda, pecúſque,
  Et fluit hinc potus, currit & inde cibus
Non redit alternis gemitus riſúſque choreis,
  Provocat aut madidos lachryma ſicca jocos:
Lætitiis quoties volui componere luctus.
  Lætitiis luctus obſtrepuere meis.
Cœlum adamante mihi, vitrea tibi fluxit ab unda,
  Et mihi ſanguineo ſtella colore rubet.
dera mœrentes rebus ſolantur in arctis,
  Sed mihi, ut Atlanti ſydera, pondus habent:
it & infeſtum primis natalibus aſtrum,
  Fiat ut innubi lumine nulla dies.
Te peperit lux alma, diem quâ ſydera reddunt;
  Me nox, nigreſcit quâ tenebroſa palus:
la fuit tibi vita parens, quà numina vivunt,
  Non dicenda parens vita, noverca fuit.
Et quamvis tot cœlo oculi, quot ſydera fulgent,
  Sunt oculata aliis, cœca ſed aſtra mihi.
ille patent circum, cœlorum ad aperta, feneſtræ;
  Ad lumen nobis rimula nulla patet.
Depluit ipſa tibi nitidis pretioſa lapillis,
  Quæ mihi ſaxoſis grandinat æthra globis.
er juga ſylveſtrem, & per Acroceraunia vitam,
  Durior ipſa meis quercubus hoſpes ago.
úmque Licanthropos pecudumque propago virorumque,
  Eumenidum ſoboles, Gorgoneúmque genus.
Monſtra ſumus naturæ, eſtis miracula cœli:

Gratia vos eſtis Numinis, ira ſumus.
Hæc rigidus poterit qui lumine cernere ſicco,
Cernere nil ſicco lumine dignus erit.
Uſque malum nihil eſt, ſua ſunt & commoda da...
commoda. Nec tibi continuis ſum miſeranda malis.
Ultrò terra dapes, aut arcus donat inemptas;
Nullos luxuries dat nocitura cibos.
Piſa, fabæque meo rident, tibi ſpreta, palato,
Dulcis & eſca mihi, quæ ſit amara tibi.
Non ego divitias, tormenta benigna, requiro,
Lautáque magnificos quæro venena cibos.
Sibilat undoſo vocalis ſilva ſuſurro,
Factáque de volucrum voce diſerta ſonat.
Vernantes texunt umbracula frondea rami;
Muſcoſúſque venit menſa ſuperba lapis.
Quod ſummum, eſt, non ſum rutilo pretio metallo:
Caſtoreæ pelles, aurifodina mea eſt.
Tartarei non hîc aperis penetralia ditis,
Aurum quo ingenita te gravitate trahat:
Nec mea maternæ violas præcordia terræ,
Nec propere vivus mortis in antra ſubis.
Non vultus conchis redolet, non dextra Sabæis,
Myrrha nec infectum lenit odora caput.
Non timor, adductas ne contrahat area rugas,
Aut aret informes fœda litura genas.
Non labor, an parvo tumeat verruncula clivo,
Aut ſimulata levis vulnera muſca tegat.
Quod fuit, hoc remanet, vitiumve aut gratia frontis,
Nec ſit fucata vultus ab arte novus.
Anne ſupercilii pilus aptum circinet arcum,
Nec vitrum, vitreas nec ſpeculatur aquas,
Decitis inſanas, qua cœlo ducitis, arces,
Quæ propior terræ, ſanior ergo caſa eſt.

Si mihi jura ſilent, pura eſt incuria rerum,
  Quæ tamen à cura curia nomen habet.
P oſcripti procul hinc poſuere ſedilia lites,
  Clamoſique ſilent jurgia rauca fori.
Si bene, qui latuit, vixit; probus incola ſylvæ eſt,
  Virtuti ſacras hæc facit umbra domos.
Dura tamen tellus & barbara nomine dicor,
  Fac nomen mendax, ut decet, eſſe meum.

ELEGIA SEPTIMA.

Religio, mores, & vitia Canadenſium.

VIRGINEI, DELPHINE, tuo de ſtemmate flores,
  Lilia nondum iſto proſiliere ſolo.
antes inter tuas haud jacet arcus, Apollo,
  Nec tuus inter tot ligna, Cupido, rogus.
que maritatus vitiis, viduata pudore
  Uxor, quid præter monſtra pudenda ferent?
xuria eſt genitrix pueri, cunæque labores,
  Pauperies nutrix, barbariéſque cibus.
antum villíſque feræ, plumíſque volucres,
  Eſt arbor foliis, gramine tectus ager;
lle tegor, multo potiùs me corpore nudam
  Sylva verecundis velat opaca comis.
o vinclis veſtes reputo, pro carcere tectum,
  Hinc fugit inſolito tincta rubore Venus.
n diuturna duos inter connubia durant,
  Sed qui mane venit, ſerò recedit amor.
on hic ſtella Venus ſtat fixa; planeta ſed errat:
  Ut mare ſic fluitat, quæ Venus orta mari eſt.
n pudor ore ſedet, pulchróque modeſtia vultu,
  Aſt ubi, cum caream fronte, ſedere poteſt?
ulta quidem Mavors armatus prælia tentat,
  Plura tamen miſcet funera nuda Venus.

Mulciber ignipotens, rursus tua tela, tuásque
Sentiat implicitus Mársque, Venúsque plagas.
Nulla dies sibi nomen habet; sed rite vocari
Mercurii, aut Veneris nomine quoque potest.
Dixeris aut nullos, aut festos dixeris omnes,
Namque pari veneror relligione dies.
Sylvicolæ, templum sylva est, sunt concio rixæ,
Ira preces, rabies vota, libido Deus.
Quíque Deum sibi posse nihil prodesse precanti,
Sic quoque peccanti credit obesse nihil.
Perpetuos si vita dies ducenda daretur,
Alterius vitæ vis foret ullus amor.
Sidereæ divûm, creduntur somnia, sedes:
Creditur infernus, fabula vana, rogus.
Pro doctore mihi magus est, pro numine dæmon,
Pro veris credi vatibus ambo solent.
Dicere sed vates de rebus vera futuris,
Hi de præteritis non nisi falsa solent.
Vindictam præter, Venerem, geniumque, gulámque,
Nullum suscipimus, suscipimúsque Deum.
Ipsa tamen trepidant mihi crimine corda peracto,
Cui scelus, ante scelus non nisi ludus erat.
Occinit auctori ferali carmine crimen:
Ante oculos, sceleris larva vagatur iners.
O Deus, haud fulmen, fulgetra at sola timetur.
Unum illud sævit, dum nihil ista nocet.
Percute corda metu, tali mens indiget ictu,
Ille mihi clypeus, quo tegar, horror erit.
Viribus haud ullis, haud tempore flectitur ira,
Nec prece, nec pretio, fraude nec arte rigor.
O Rhadamantæâ solium constantius aulâ,
Testis ubi Judex, Causidicúsque reus.
Frigidus ad memorata riget subsellia sanguis,
Quo, vel sancta Themis, judice, lite cadat.
Si dubiæ nutant trepidante cacumine laurus,

Si Libanus cedris consita sylva timet,
Quo dumeta gradu, virgulta viretáque stabunt?
Quo myrrheta situ, quo saliceta pede?
Si metuunt altæ tectis nutantibus arces,
Rudera nónne solo, jam ruitura cadent?
Quæ secura mihi multis de millibus arbor,
Servet ut excusso fulmine, laurus erit?
Anne viros mutare nequis, qui tempora mutas?
An sum facta tibi deteriore manu? [gnat,
Lex mihi nulla fere est, quæque est sine vindice re-
Jus nullum, nisi quod judice ab ense datur.
Lex iter est luteum stulto, via libera cauto:
Quæ culicem innodant stamina, vespa secat.
Vivit & ingenii celebratus raptor honore:
Queis locuples abiit legibus, hæret inops.
Atque graves haurit puteis uxorius undas.
Ligna domum mulier secta virilis agit.
Hic vir, & hic mulier verè sunt: omnia curat
Femina agenda foris, & vir agenda domi.
Velifera vastum nunquam mare findo carina,
Tota sed exiguo cortice, & amne mora est.
Quæque ferunt gerulas remis impello carinas,
A fuste ut geritur, quem gerit ipse, senex.
De me mira tibi, de te mihi mira feruntur,
Mirus uterque suis mos inolevit avis.
Hos mihi si mores, hæc si miracula solvas,
Quid mea relligio, quid tua, testis ero.
Omnia causa hominum, Deus ipsum condidit orbem,
Orbe quid in toto nos elementa premunt?
Unde globum tellus unum componit & unda:
Ista quid æternùm manat, & illa manet?
Cum sedeat medio res abjectissima tellus,
Cur virtus medio res pretiosa sedet?
Damnatas quid quæris opes, quas patrius Orcus
Gignit, & indignas lumine terra tegit?

Cur pede ſtat ſuber, capiti cur pluma ſuperſtat,
A capite ad calcem num cupis eſſe levis?
Dic quid cœcus amor, cùm naſcitur ille tuendo?
Viſu natus amor, cœcus an eſſe poteſt?
Qui cœlum videt unus homo, cur deſpicit unus?
Dic cur, quam pedibus calcat, adorat humum?
Navita cur longos, ut dirigat æquore curſus,
Sæpius aſtra, ſemel vix ſpeculatur aquas?
Nitrea quid revocant vetulas medicamina pelles,
Occupat & frontis picta tabella locum?
Dic mihi defectu cur ſol & luna laborent?
Aut cur ferali crine cometa rubet?
Unde leves veniant venti? quis viſcera terræ
Commovet? unde polus fulguret, unde tonet?
Sólque bis octogies terra cur major habetur?
Namque bis octogies cernitur eſſe minor.
Hæc mihi ſi ſolvas, quantum tua numina præſtent,
Quid mea relligio, quid tua, teſtis ero.

Ovidii Christiani Epiſtolæ Heroidum.





FRANCIADOS
LIBER SECUNDUS.

Auxilium postulat.



LUDOVICO
SUO REGI
NOVO GALLIA.

ELEGIA PRIMA.

BELLICA bis geminis contorque fulmina dextris.
Rege sate, & regum jam LODOICE sator.
Sustinet æquales justo libra pondere lances,
Nil justo & miti nomine majus habes.
Sis aliis justus, tibi jam justissimus ipse es,
Prolem æquas meritis nam, Lodoice, tuis.
Jam genitor natos numerabis, avúsque nepotes,
Aspicies supero serius axe patrem.
Jam ti nfacta prior tibi stamina parca retexit;
Felix ipse tibi prole superstes eris.
Edomitâ Delphin terrâ tibi mamora subdit,
Ad nutus current obsequiosa tuos.
Vel facilem statuent tibi soli flamina cursum,
Deinde vel segnem stante palude moram.
Victa ubi terra tuos cœpit solidare triumphos,

Jam ſtagnare ambit, ni ſuperetur aqua:
Ad nutus ſolitum renuens tranſire per alveum
Reſtagnante novum quæret in orbe locum.
Unda tibi tonſis, ut terra ſecatur aratris,
Tot teritur roſtris illa, quot iſta rotis.
Nobilis ut primùm fluitantia lilia claſſis
Undoſis vidi velificata jocis.
Dixi, non generant hanc noſtra roſaria meſſem,
Non ſimili noſter gramine frondet ager:
Spes nata hinc non vana fuit; ſis neſcio, ſceptris
Dignior anne tuis, utiliórve meis.
Me tibi devictam non exprobret Anglus, at orbem
Ante tuos ſtupeat non cecidiſſe pedes:
Quáque ruis, pavor antevolat, ſequitúrque ruina
Dextera fulmineis æquiparanda globis.
Lentus at in pœnas, velox in præmia ferris,
Déque reo pœnas ſumere pœna tibi eſt.
Si quis obex generoſa tibi molimina ſiſtat,
Aut facis aut reperis marte, vel arte viam.
Si numeres, quot noſtra dabit tibi ſylva coronas,
Pluſquam millenâ fronde vireſcet apex.
Vix auget ſuperata tuos Rupella triumphos,
Gloria nos rupes vincere major erit.
Urbs, quæ terror erat, ſi per te ſenſit aratrum,
Sectile cur noſtrum neſcit aratra nemus?
Namque tuum eſt, Canados feritatis monſtra, domare,
Si jacet auſpiciis hæreſis hydra tuis.
Nos mollire, feros plúſquam eſt cicurare leones,
Eſt per ſydereum, ducere ſaxa, Jovem.
Sic homines & monſtra domas, emis omnia, & omnes:
Hoc unum, ſerò me cecidiſſe, piget.
Conditio victæ, victoris honore levatur:
Gens celebranda minùs, ni cecidiſſet, erat.

Se tibi Delphinus sceptris nascentibus addit,
Qui geminata ferat sceptra, manùmque levet.
Dignius hoc regnas, quia summo subdere regi,
Incipe bis gemina sceptra movere manu.
Patrem non superas primæva prole, sed æquas,
Natum namque tibi das, Lodoïce parem.
Ecce thori ætherei fructus sub Virgine signo
Nascitur, ut casti fructus amoris erat.
Jam steriles bis dena thoros aspexerat æstas,
Hæc te, cum grandi fœnore, prole beat,
Et leviora solum, dando in Delphine, dedisset,
Prolem ipsum tribuit numen, ut æqua daret.
Qui tibi dat natum, det dignum aliquando nepotem,
Quique dedit patris, det quoque nomen avi.
Muneribus terræ, cœlum sua munera junxit,
Nam tibi terra nihil, quod superaddat, habet.
Ingentes animas seclis natura laborat,
Non brevis heroas procreat hora duces.
Brutorúmque inter, proles pulcherrima, fœtus
Serius à cerva parturiente venit.
Perge, novum peragra plantis victricibus orbem:
Res nova, res multò grandior orbe novo est.
Respice qua liquidum Phœbus lavat æquore currum,
Et cadit occiduis immoriturus aquis.
Ille tuum tulit huc, non merget in æquore nomen,
Solis in occasu gloria firma tua est.

❧ (o) ❧

RE-

REGINÆ CHRISTIANISSIMÆ NOVA FRANCIA.

ELEGIA SECUNDA.

SALVE, ô quæ partu celebres heroidas æquas,
Aſpice quám gremio dulce recumbat onus.
Gloria cunctarum, matri ſi ceſſerit uni,
Gloria cunctarùm quantula! quanta tua!
Pone metum, fœcunda probant ſe viſcera fructu,
Et timidos vana ſuſpicione levant.
Qui fuerat Gallis, timor eſt traductus ad hoſtem,
Victorem natum qui vidit eſſe ſuum.
Vagitus compeſce leves, toto orbe tonabit,
Poſtera cùm fortem fecerit hora virum.
Sceptrum rege beas, te nato, pignore Gallos,
Ambroſio per te Gallia lacte fluit.
Jam facili partu ſoboles ſe maſcula fundet,
Jam didicere graves prole tumere ſinus.
En ſpirat patrium puerili in pectore robur,
Maternus tenero ludit in ore lepos.
Digna puerperio merces, novóque labore,
Vel ſemel auguſtis baſia ferre labris.
Si ſua cuíque, dies reliquos, præmonſtrat origo,
Omnis & à prima pendet agenda dies,
Vis dicam qualis natus, quantúſque futurus?
Unum hoc: filius eſt, ô Lodoice tuus.
Vis iterum repetam quantus qualíſque futurus?
Unum hoc: & ſatis, eſt filius (Anna) tuus.
Luna erat in geminis, gemìnos contraxit in uno
Anna, & par natis iſte duobus erit.

Anna

Anna gemit; lacrymis naſcuntur lilia: cœlo
Mira venire queunt plus ſemel, unde ſemel,
Annaque bis denis ſuſpirans parturit annis,
Sed paritura ſacro nil Samuele minus.
Te per ego natum, per quidquid amabile nati eſt,
Per ſi quid nato carius eſſe poteſt,
Unum hoc, ſed lacrymis potius, quam vocibus oro,
Qui tuus eſt natus, ſit pater ille meus.

NOVA FRANCIA
ad antiquam Delphinum legat.
ELEGIA TERTIA.

FRANCIGENUM gens chara polo, gens lecta Tonanti
Gallia, non gemino, quem regis, orbe minor;
Parce, tuis ſocios jungam ſi conſona plauſus
Appendix ſceptri quantulacumque tui.
Scilicet æthereas animas, volucréſque, notóſque
Miror ad inſuetos proſiliiſſe jocos:
Exhilarata ſalit nutante cacumine quercus,
Antra repertinis ſunt animata ſonis.
Culmina ſubſultant in Gallica vertice prono
Littora turritum vertere viſa caput.
Mira ſolo: ſed adhuc creſcunt miracula Ponto,
Undoſum Nereus tollit ab amne caput;
Aptarique jubet celeres ad fræna quadrigas,
Tritonéſque cavis inſonuiſſe tubis:
Rumpite, ait, reſidis tranquilla ſilentia Ponti,
Et mutum ad voces cogite voce pecus.
Tum ſociant lætos Protheus, madidúſque Palæmon,
Najades, & Glaucus, Nereidéſque choros?
Squam-

Squammea tam Ponti, quàm pennata agmina cœli
Quidquid & æthra fovet, quidquid & unda tegit.
Denique plaudentis reſpublica perſonat undæ,
Reſpondet ſociis æmula terra ſonis.
Cantus erat, Delphinus Jo; ter Gallia felix
Vivat Jo, nova ſpem, Gallia, ſume novam.
Quæ lux tanta oculis retulit ſpectacula noſtris,
Noſtris lux oculis charior illa fuit.
Et priùs incomptis jacui quæ fœda capillis,
Explicui virides exhilarata comas;
Inſcripſi Delphina meis, Delphinaque truncis,
Penna ſtylus, quercus pagina, ſylva liber.
Reſtat danda ſalus: ſed quam dabit ægra ſalutem?
Certa mihi tecum naſcitur ipſa ſalus.
Officiis parebo tamen, volucrémque miniſtrum
Expediam, nullus quem remoretur obex.
Cærula quis cœli findet? quis cærula Ponti?
Marmora piſcis arat, nubila ſulcat avis.
Nec curſum mihi penna dedit, nec pinna volucrem
Rara mihi in ſterili marmore cymba natat.
Pennatis utinam poſſem plumeſcere membris,
Fato, Niſe, tuo, vel, Cytheræa, tuo.
Icare da volucres humeris ſublimibus alas,
Sim licèt Icariis præda futura vadis.
O vos pernici felicia numina greſſu,
Membra quibus fluido ſunt ſolidata vitro!
Quid faciam? Inter aves piſcéſque citiſſimus offert,
Æquoreus, vitreo cum grege, ductor opem.
Quíque mea Delphin Delphinum voce ſalutet,
Trajicit objectas officioſus aquas.
Sunt circum Rhombus, Melanurus, Purpura, Congrus,
Salmo, Trulla, Draco, Cænia, Scombrus, Elops.
Et muti piſces cum muto Infante loquentur,
Cor ſuevit muto fortiùs ore loqui.

Ire

Ire ego quà nequeo, facilis mihi nuntius ibit.
  Et tibi, quæ faustum littera portet, ave.
Gallia, te matremne mihi, dicámne sororem?
  Tu soror ipsa mihi, tu mihi mater eris.
Sed natam mater, soror ô me redde sororem,
  Redde tibi cultu, lege, deóque parem:
O soror: hoc toties repeto quid nomen? eadem
  Si non matre licèt relligione frui.
Heu; tua quando mei venient in colla lacerti?
  Quid toties ibo, quin semel addis, eo.
Quippe semel tarda penetras huc nave quotannis:
  Cum vertente tuus vertitur orbe labor.
Tardat an hiberni vos sævior æquoris unda?
  An lethæa leves unde bibistis, aqua?
Aucupor ad littus ventorum & murmura famæ,
  Spésque metum alternat fallere, spemque metus.
Vento vana fides, vitreo spes vitrea Ponto;
  Spem tamen, atque fidem ventus & unda fovent:
Cui sibus it junctis oculorum & marmoris unda,
  Quò citiùs reducem gestet adaucta ratem.
Nescia perfidiæ veniant mihi lilia; namque
  Ut Venerem, Anglorum me pupugere, rosæ.
Advena conquirat, quæ non sibi Gallia sumpsit:
  Si nescis, dominum gens habet ista suum.
Parce satos aliis manibus præcerpere fructus:
  Sit messo frugum, qui fuit antè sator.
O soror! una tuas expectat sylva secures,
  Ut qui fronde viret, messe tegatur ager:
Vos mare navigiis, vos vomere findite campos,
  Et quas terra feret, transferet unda dapes:
Regalísque tuus quia flore superbiit hortus.
  Exemplum ducent fertilitatis agri.
Plaude age quà Ligeris, quà lentat uterque Vibiscus,
  Quáque rapax Rodanus, quáque Garumna ruunt;

Gallia

Gallia navali bis victrix marte triumphat:
  Gallis, dum Delphin nascitur, unda favet.
Plaude age, nec venisse puta sine numine prolem,
  Quæ tibi bis dena messe negata, datur.
Vive diu, nullósque timens, cunctísque timenda,
  Borbonii limes nominis, orbis erit.



NOVA GALLIA Delphinum salutat.

ELEGIA QUARTA.

SALVE, Magne Puer, geminíque parentis in uno
  Grande decus, Patris gloria, Matris honor,
Exprime non solos vultus, sed facta parentum;
  Sis pectus matris, dextra capútque patris.
Subdita te poscit dignum, nova Gallia regem,
  Ad crines properat frondea silva tuos.
Marte satus, meritâ Martis petit arbore cingi;
  Herculeâ, satus ex Hercule, fronde tegi.
Laurea te natum, nascentem ut purpura, cinget:
  Laurea victoris, purpura regis erit,
Qualis eris, proh quantus eris! quem proximus astris
  Ipse pater natum se super esse cupit!
Tu vastæ, Delphin, qui nasceris arbiter undæ,
  Da desideriis vela secunda meis.
Non potuere meæ statui primordia gentis,
  Nobiliore die, nobiliore manu.
Ut te trajiciant toto ad nos æquore, nostra
  Ligna quid in celeres non abiere rates?
Rex maris, haud fluctus longumve vereberis æquor,

Traji-

Trajicies tuto Rex tua regna vado.
Magni quippe nepos & Justi natus, utroque
 Hæres dignus, avum laude, patrémque refers,
Támque benignus eris signo sub Virgine natus,
 Quàm justus pater est, quam tibi Magnus avus.
Colligis heroas, quibus & superaddis honorem:
 Flósque sapit fructum, prima juventa senem.
Virtutes natus patrias imitabere, majus
 Fingere nil possum, nil tibi velle minus:
Prima Deus patri cura est, natúsque secunda:
 Sit tibi prima Deus cura, secunda pater.
Cresce puer, tecum patris quoque gloria crescet,
 Non æquare patrem, non superare time;
Nam vinci placet, & grata est victoria victo,
 Quæque tibi veniet laurea, patris erit.
Es puer, humanis nec ficta puertia curis!
 Est puer, & curis sollicitatur amor.
Es puer? hæc ætas sacro respondet amori,
 Ipse sacer pingi parvulus ambit amor.
Blanda soporiferis huc te vocat aura susurris,
 Huc te somniferis silva canora sonis.
Illa tibi virides præbebit frondea cunas,
 Arboreósque lares, umbriferósque thoros,
Hic erit & vigilem quæ sopiit umbra draconem,
 Quilibet & Morphei virgula, ramus erit.
Cantus avis, vox suavis erit, quâ dormiit Argus,
 Quælibet ex campis herba, papaver erit.
Hinc Milvus fugient hinc noctua, Vultur, & omnes
 [illegible]turnæ sociâ cum legione striges.
Du[illegible] canent lectæ volucres, & in arbore nidum
 Ominis infesti nulla reponet avis.
Delphinus medico curavit vulnera tactu,
 Tergaque mergendis officiosa dedit.
Heu doleo, alternos non vena reciprocat æstus,

Méque

Méque docet, pulſu præmoriente, mori.
Viribus ipſa ſuis defecit inutilis herba,
Quæque operoſa magis, nunc operata minus!
Ni venias, Delphine, mea panacæa dolori,
Obſequiis reſtat pompa paranda meis,
O dignum ſuperis, ſed amabile ſydus in imis,
Sydere ſub tanto quid mea languet humus?
Sceptra tibi natura dedit, fortuna ſecundet,
Spem poteris noſtram vincere, vota nequis.
Æquoreus patris cùm Delphin regnat in undis,
En mea perpetuis ora liquantur aquis.
Humida inexhauſtis decurrunt lumina guttis,
Verſus & in riguas ſum novus Acis aquas.
Primaque ſiccato vix fugit lacryma vultu,
Cum ſubit in madidas unda ſecunda genas
Quid legem in verbis quæras? ſunt verba doloris,
Sed quæ verba gravis non capit ipſe dolor.
Me premit æternus, nullaque levatus in hora
Mane labor, gemitus veſpere, nocte dolor.
Preſſa reluctanti ſuſpiria pectore muſſant,
Altiùs obſtructo non datur ore loqui.
Has ego per lacrymas rogo te, per amabile quid-
quid
Ingenuus candor, frons puerilis habet:
Ne primam, Delphine, feram à te prima repulſam,
In vita nil dum te renuiſſe ſcio.



EMI-


EMINENTISSIMO CARDINALI
ELEGIA QUINTA.

SALVE, ô purpureo quem virtus murice cinxit,
Quem mare Proregem, quem novus orbis habet.
Si dubius forsan nutaverit orbis ab omni
Cardine, vel te uno cardine firmus erit.
Gallia pone metum, non lilia demetet hostis,
Lilia nam tignis sunt tria tecta tribus.
Liligeris ARMANDUS erat RICHELIUS armis,
Hoc armanda fuit Gallia consilio.
Francia te secura uno vigilante quiescit,
Téque nihil, toto quod fit in orbe, fugit.
Armatus per castra volas armatus in hostes.
ARMANDUS, tibi dum vita manebit, eris.
Si, dum regna dedit sapientia, sæcla tulissent,
Unus utrique polo jus dare natus eras.
Ipse precor, quando cura majore vacabis,
Si tamen est ullo tempore cura minor.
Ipse precor quæras quâ sim tibi parte levanda,
Nam mala, nulla aliis parte levanda, levas.
Dúmque tuis orbem cernis pendere lacertis,
Non fugiunt oculos inferiora tuos.
Utilitas non nota mihi est, licèt agnitus error:
Anceps quid fugiam nescio, quidve sequar:
Ipse vides, atque ipse potes, dubiúmque relinquis
An sis consilio major, an auxilio.
Quamvis, centoculis radiet nox lucida stellis,

Tu ſol unoculo lumine plura vides:
Qui tibi doctor erit, Delphinos ille natatum
Erudiet, refluam fune ligabit aquam.
En nova præcipiti nutat mergenda profundo
Gallia, & erectas tendit ab amne manus.
Heu ſuccurre rati, nutantibus Anchora nautis
In minitante ſalus turbine prompta venit.
En gemino quaſſata ratis ſuccumbit ab hoſte;
Fata ferente noto, fata ferente ſalo:
Nulláque jactatam mordax tenet Anchora puppim,
Nec tutum felix aura ſecundat iter:
Hanc tua præcipitem fæliciter Anchora ſiſtat,
Aſpiret ſtudii ventus & aura tui.
Cúmque brevis vitæ navem ſors cœca gubernet,
Attamen haud dubius, te duce, portus erit.
Non tua, cunctorum eſt tua dextra; priúſque rependit,
Quam mendicus opes, quam petat æger opem.
Quid, Plato, Socraticos ficta petis urbe miniſtros,
Doctorémque cupis regibus eſſe Jovem?
Si modo regales moneat Richelius aures,
Regi non fictum conſtat adeſſe Jovem.
Quod facis, id vereor ne fabula vana putetur,
Facta tua humanam non meruere fidem.
Fallor, in orbe deos ſi quondam fabula fecit,
Non alium, quàm te, finxerit illa Jovem.
Ipſa laborabit ſcriptori credere fama,
Non dabit illa fidem, ni leviora facis.
Præſtiterit feciſſe minus, ne maxima perdas,
Humanam ſuperant maxima ſæpe fidem.
Actáque ni taceas, & ni modereris agenda,
Ne merita ſperes poſteritate frui.
Demere de cumulo, nova quàm ſuperaddere præſtat:
Præteritis tollent adjicienda fidem.

Pons

Pone modum, nocet ipſa ſibi tua gloria; certant
Ipſa ſibi factis æmula facta novis.
Plus laudis diviſa feret, quàm juncta poteſtas:
Te major, vires non capis ipſe tuas.
Altera virtutis pars ſufficit, altera ceſſet:
Utraque nil operis, quælibet omne poteſt.
Inde pii ſurgunt alio ſub ſole labores,
Conſilióque Tridens non tibi ſorte datus,
Utraque demiſſas flectit tibi Gallia faſces,
Purpureóque patri, purpureóque duci.
Anchora quid faciles tua non auſura per undas,
Cui favet in regno Rex maris ipſe ſuo?



NOVA GALLIA
ANTIQUÆ FRANCIÆ
ELEGIA SEXTA.

QUID quereris ſteriles ſperatis fructibus annos?
Serò quidem victa eſt India, victa tamen.
Græcia ſerò quidem, ſerò Japonia victa eſt,
Serò quidem victa eſt Africa, victa tamen.
Si quâ clade potes, non eſt graviore moveri,
Si potes exemplo, non propiore potes.
Bellua ſum fateor, volucríſque; at bellua nexis
Retibus, & viſco decipiuntur aves.
Si qua parte fugax, non omni retia fallam:
Si nihil hic laqueus, nonnihil ille dabit.
Sic viſum ſuperis, nondum ſudoris abunde eſt,
Nec præfixa ſtatis fructibus hora venit.
Cuilibet eſt ſua meta viæ, compendia cœlum
Neſcit, ſed longis flexibus ambit iter.
Ipſa ſuo ſe ſe tempeſtas verbere frangit,
Plenior ipſa ſuo bulla tumore crepat;

Sic mea victa suâ rabies feritate remittet,
Barbariésque suo pressa furore cadet.
Prætentate vias, saltúsque aperite bipenni,
Arbor robustâ concidet icta manu.
Silva quidem ad primos obduruit hactenus ictus,
Cedet at artifici mox superata manu.
Ibit in egregias mox silva dolata figuras,
Surget & ad bifidas crux fabricata vias.
Insitus excisâ coalescet in arbore ramus,
Mox fruticeta vepres, mox nemus hortus erit.
Cedent & platani, quibus est pro fructibus umbra,
Dispositóque ferax ordine pomus erit.
Quo violenta nequit, pertingit lenta potestas:
Urget opus fervens, absque quiete, quies.
Adde parum parvo, parvum superadde pusillo,
Fit niveus globulus conglomerando globus.
Cuncta venenatæ mors frangit arundinis ictu,
Non tamen una videt, funera cuncta, dies.
Hi celeri festinant gressu, hi deside lentant,
Quo pede quemque ferox pergere Parca jubet.
Nec temnas sterilem cereali gramine campum,
Thesaurus sterili sæpe repertus agro est.
Si careant vepreta rosis, pomaria malis,
Sunt vitiata dolis mala, dolore rosæ.
Læsa fuit Cytheræa rosâ, pomóque Cydippe,
Non mihi mala, mihi non nocuere rosæ.
Qualis inexpertum tentans puer inscius amnem,
Sæpius indoctum mergit in amne caput:
Mox habiles ex arte movet sine subere palmas,
Securóque velut piscis in amne natat:
Naufraga sum fluviique rudis; sed remige corpus
Nare manu, notis pensile discet aquis.
Ipse fide à sancta Lodoïcus, Amantachas olim,
Nobile cognomen, nobile nomen habet.
Excussâ feritate jubas in vellera vertit,
Mul-

Multáque mutato regnat in ore venus.
Multa venus? veneris ſpurcum quid profero nomen?
Plurima in ore nitet gratia, nulla venus.
Fronte decor, ſedet ore fides, in pectore candor;
Gallica ſtat vultu gratia, lingua labris.
Ut reducem vidi, meus eſt ô qualis alumnus,
Sit Gallus, dixi, neſcio, ſitne meus.
Hiccine ſilveſtri de robore natus; & altus,
Qui mihi mortali pulchrior ore redit?
Non mihi ſi natus, , niſi qui tibi mollibus annis
In ſimiles artes erudiendus eat.
Tempore mandit equus lentas animoſus habenas,
Grande ſuo tangit tempore culmen opus.
Non metit inculta fruges tellure colonus,
Ut reddat ſegetes, antè ſerendus ager.
Aſpera junguntur lætis, atque humida ſiccis,
Alba nigris, duris mollia, blanda feris.
Sic fugit hæc regio, veſtiúmque recurrit in ævum,
Nec, quamvis jam ſim barbara, ſemper ero.



NOVA FRANCIA.

PATRIBUS SOCIETAT. JESU.

ELEGIA SEPTIMA.

O Ignatiadæ, virtus quibus æmula cælo,
Gens cujus ſtudiis invia nulla plaga eſt:
Huc properate, quibus Deus eſt ſola anchora, merces
Danda fides, navis gratia, ventus amor.
Eja agite; fortes faciendis vincite facta,

Turpe ratem medio deſeruiſſe lacu.
Unica vos pietas noſtros dat adire penates,
Exiliúmque vagos quærere, & exitium.
Longa via eſt? at cauſa viæ facit ipſa levamen,
Infidóque mari cogit habere fidem.
Longa via eſt, ſuperâ greſſus numerantur ab arce;
Fit gravis ex ſe ſe ſudor, amore levis.
Ille triumphatis ſol eſt Xaverius Indis,
Nullúſne occiduis ambiet eſſe jubar?
Sit licèt in noſtris novitas, & gloria rebus,
Non tamen ut videas, aut videare, venis.
Officio exilium, cedit diſcrimen amori,
Et toto non ſunt orſa minora Deo.
Divinis ignita flagrant ſi pectora flammis,
Invenies flammis, ut medeare, nives.
Frondoſis divinus amor latitare tenebris
Fertur, & umbroſis uſque latere plagis.
Hic habitat, greſsúſque tuos per inhoſpita ducet,
Crura dabit ſtabili firma locare gradu:
Objice ſi ſpinâ tibi fallit tibia greſſum,
Divino labens excipiere ſinu.
Sive cadas, felix caſus te tollet in altum,
Pulvinar capiti dextra Tonantis erit.
Eſſet & optandus tali cum fœnore lapſus,
Sæpius ut divâ ſuſtineare manu.
Plus ſatis, imo plus nimis eſt ad mille labores,
Numinis exceptum vel ſemel eſſe ſinu.
Nec vigilis timeas inſomnia tædia lecti,
Talia pro Chriſto tædia, ſomnus erunt.
Æger es? at morbus domino ſubſervit amori:
Quiſquis amat, ſanus, ſi modò ſanus amor.
Inter opus, tenerum ſpera ſuccreſcere robur:
Prodigus audendi vix malus auctor amor.
Cætera ne cures, amor eſt ſatis, affer amorem,
Ille vel irato marmore portus erit.

Nullus

Nullus odor thuri, nisi sole vel igne liquescat,
Suavius ut spirent balsama, secta juvat.
Es rudis in lingua subeunt pia munia linguæ
Vocales oculi, dextra, capútque loquax.
Nec pudet ore viros infanti verba secare,
Nec satis expertos dimidiare sonos.
Si quis verba tibi, si cui tu verba reponas,
Abnueris velox, annuerísve rogat.
Huc vos, non parvæ quibus ætas parvula curæ:
Ut majorem ætas parva requirit opem,
In quibus una fugit Pallas connubia Pluti;
Pura quibus semper virgo Minerva manet.
Si tamen inter vos nullo licet ære mereri,
Dant ubi discipulos pisa, fabæque tuos.
Aures discipulus vendit; non verba magister:
Nunquam aut hîc, venter flaccidus aure caret.
Qippe cibis avidi, solis his lusibus instant,
Sunt unæ pueris, núxque, trochúsque, dapes:
Quæso dapes, & quæso dapes, gemit, ingemit infans,
Unum hoc serò vale, mane precatur ave.
Et semel aspectas æternus adambulat escas,
Téque humero blandùm subsiliente rogat.
Deseruisse fabas pueris Canadensibus unum est,
Et Gallis pueris deseruisse nuces.
Quærite Diogenem, rabies si tanta fabarum est,
Is doctor vobis unicus esse potest.
Firmior annoso pueris est robore cervix,
Vix secet æratis ferrea lingua sonis.
Tótque modis toties trusum vix alpha reponit,
Prima redundanti vix nota fauce sonat.
Dic ubi Bistonius, moveat qui robora, vates?
Qui trahat auritum Thrax citharista nemus?
Perge age; rumpe moras, dum rebus idonea lux est,
Rerum, cùm rapido tempore, tempus abit.

Quíque teris tempus, tecum terit omnia tempus,
Saturnus natos devorat ipſe ſuos.
Rumpe moras, te clara vocat laus ſtirpis avitæ,
Si patriæ laudis degener eſſe fugis.
Invitant tardam fluentia gramina falcem,
Spes ingens cœpit fructibus eſſe minor.
Nemo poteſt noſtræ haud expertus gaudia vitæ,
Et licèt expertus dicere nemo poteſt.
Mille voluptates ſupereminet una voluptas,
Vel ſemel æthereis incubuiſſe thoris.
Rumpe moras: es rebus inops? te paſcet egeſtas;
Hîc nihil inſipidum eſt, dum ſapit ipſa fames:
Penſanda eſt hominum meritis, non tempore vita:
Quæ bona, longa ſatis; quæ mala, longa nimis,
Rumpe moras, celeres calcaribus incitat annos,
Currentéſque ferit curſor anhelus equos.
Fata ſeni ſenſim obrepunt, juveníque ſenectus,
Hora fluit, tum cùm quæritur, hora quota eſt?
Rumpe moras, primíſque novum ſuperadde triumphum,
Nec laudem hanc titulis inficiare tuis.
De vita elapſum, de vita tolle futurum,
Quantillum ex reliquo tempore tempus erit?
Rumpe moras vires peragrandis curſibus addent
Mens eques, & ſtimulus gratia, corpus equus.
Lingula virtutis, non clepſydra temporis annos
Cenſet, víſne diu vivere? vive Deo.
Rumpe moras, inſana labat ſubſtructio molis,
Déque fide certa, ſit tibi certa fides.



NOVA



NOVA GALLIA DELPHINO.

EN tibi ab utroque ſole palmæ ſeſe tibi offerunt, DELPHINE! pollicetur ex oraculis ſuas Idume, ſuas ex officio Nova Gallia, ut intertextis utriuſque ramis ſurgat tibi gemini orbis corona.

Venio ad te puerum, antequam adoleſcas, quia politioris ſermonis ignaram minùs pudebit coram infante loqui.

Æquoris vaſtitatem veniendo emenſa ſum, ut quantus eſſes, ex regno tuo colligerem; audeo dicere, majus eſt tibi natale imperium, quàm futurum eſt patrimonium, etſi ex patris victoriis nihil ſit, quod non ſperes.

Antea fragili cortice fluvii littus legebamus, Oceanum veriti; hactenus agris otium permiſimus, ſeculi imperiti. Nato Delphino fidem dedit & ſecuritatem Oceanus, exemplum fertilitatis duxerunt agri tui maximè laudis feraces.

Quo tempore natus es, ſol undecimam diei horam in antiqua Gallia attigerat, in Novâ eodem momento tecum naſcebatur, nec uſquam aliàs hîc meliori jure Gallus oriente ſole cantavit.

Eo die ſol cæli potuiſſet nobis non naſci, neque nox tamen ſolitò longiùs perduraſſet.

Sol horâ undecimâ flagrat ardentiùs, in primo

rider

ridet benignius crepusculo; si solis radios sequutur oculorum tuorum sydera, ardentiori vi es antiquam Galliam, benigniori lumine Novam salutasse.

Nata sunt cum LUDOVICO duo nova sydera, ut ejus ortum pluribus oculis cœlum aspiceret. Nunquàm clariùs intuitus est polus, quàm nascentem Delphinum: sol enim ad meridiem sine nubilo properabat.

Nascente LUDOVICO duo sydera cœlum aperuit, nascente DELPHINO syderum principem in medio explicuit: nascente Patre geminavit noctis oculos, nascente filio solis mundi radios duplicavit.

Natus es exeunte æstate, quo tempore nova Gallia primùm inventa est, ut idem mensis esset tibi natalis, & meæ felicitati.

Natus es ineunte Septembri, cùm classis Gallica novâ Gallia de more solveret, ut tuo in regno primi omnium tibi serviremus? visi sunt Tritones Delphinésque navi adnatantes, qui nostram tui salutandi felicitatem inviderent.

Natus es eo anno, quo educandis pueris Canadensibus seminarium extructum est; ut coætanei liberalitatem tuam experiantur.

Natus es ea tempestate, qua vindemia & messes colliguntur, ut meæ sterilitatis te misereat.

Non in urbe nasceris, quia nulli potestati tuæ muri, nulla mœnia; sed ruri, ut desertas regiones non despicis; sed prope sylvam, ut sylvæ incolas agnoscas; sed quâ labitur Sequana, ut suum aqua principem non longè desideraret.

Debuit nasci DELPHINUS, cùm RICHELIUS teneret anchoram.

Tu belli pacísque interpres accedis, quidquid de utro-

utroque ſtatueris, tota tibi ſylva vel laurus, vel oliva futura eſt: ſi dubium fuit an rectores terris ſingulari cœli beneficio, an caſu naſcerentur, feciſti ut conſtaret.

Sol erat in virgine dum naſcebaris, quia ope Virginis naſcebaris, cui dicata eſt antiqua Gallia, ut Nova Joſepho, ſoror utraque Francia utrique conjugi.

Expectabat noſtra hæc tanta calamitas aliquem, qui ſub Virgine ſigno natus benignitatem humanâ ſuperiorem exhiberet: ſed commodè, ſi me ſylva malorum undequaque cingit, Delphini liberalitas nunquam niſi cum Oceano exareſcet.

Luna maris dominatrix erat in geminis, ut gemini mundi commercium faceres: quod à nullo fieri potuit commodiùs quàm ab eo, qui intermedium mare tenet.

Inter miracula naſceris, quia perpetuum vita futura eſt miraculum.

Te viginti annis parentes genuere; quia ſolitò diutiùs in te deſudavit natura, opus non vulgaré paritura; nec unquam tamen properavit magis: viginti enim annis præſtitit, quod integri ſæculi juſtum opus erat.

Tarde naſceris, ſed quò longius fuiſti deſiderium naſciturus, jam natus eò major es amor populorum.

Magna eſt regum Galliæ in cœlo poteſtas, unde lilia duxerunt, curandorum morborum virtutem acceperunt, victorias reportant, liberos obtinent.

Timuerant Galli in ANNA ſterilitatem; ſed feliciter ille timor traductus eſt ad hoſtes, qui ſuum naſci victorem cernunt; Gallúmque, qui terreat leonem.

Age

Age igitur paternis te exemplis applica, dum nos obſequiis mancipamus.

Pater hæreſis hydram eliſit, tu crudelitatis idololatriæ portenta edomabis; ſed quod ille expugnatis civitatibus, tu hîc ædificatis præſtabis.

Nec illa timeas idololatriæ portenta: monſtra quidem terrent pueros, ſed non in cunis Herculem.

Omnia fortitudini dicuntur vel benignitati cedere; HENRICUS ſua fortitudine, DELPHINUS ſua benignitate præſtabit, quod meretur intermedii LUDOVICI juſtitia.

Pater inter Principes Chriſtianos Chriſtianiſſimus effecit, ut multi non eſſent hæretici, ut hæretici rebelles eſſe non poſſint; tuum eſt ex brutis viros, ex viris Chriſtianos efficere.

Debuit ſub DELPHINI auſpiciis mare trajicere D. Petri ratis, quæ littus noſtrum nondum attigit; huic aſpiret tui benignior aura ſtudii, Borbonica faveant ſydera, juvet RICHELII anchora.

Juſtitiæ filia dici ſolet benignitas, non potuit eſſe juſto filius alter, quàm benignus, hinc libræ vicina eſt virgo.

Reſpice è cunis tuis ad ſolis cubile, hic tui nominis ſplendor & claritas æternùm ſtabit, ubi ſolis lux quotidie occidit.

Niveus ille pueritiæ candor meas reſpiciat nives, quæ totâ latè terrâ ſuperfuſæ alterum tibi in terrâ regnum firmiter ſtabiliunt, cùm aquæ ſint, liquefactæ tuum in mari imperium augent.

Nudi vivimus eâ veſte, quâ puer naſcitur; tu Porphyrogenitus eos teges & proteges, qui nuditatem non niſi nemoris nocte operiunt.

Na-

Nasceris Adeodatus, ut mihi Deum des, quem ne nomine quidem cognovi.

Respice silvam, quæ tota in navium fabricam cedere ambit, ut debita Delphine classis in Oceano decurrat.

Mitte ferrum & gladium, qui amica cæde hoc nemus amputet, & exscindendarum urbium rudimenta faciat.

Gallia, nascente Delphino, navali prælio triumphavit; jam incipiebat Delphinus ultra Oceanum victorias protendere.

Hic tibi (quod nullibi reperias) dulcescit mare, quia pueris placent dulcia; lacus noster fluvii nomen habet à dulcedine, illius vastitas æquoris nomen meretur.

Denique regionem respice, cui nomen datum est Galliæ, dum pater populos devincit omnes, quibus est lingua Gallica.

LUDOVICUS aliis quidem hactenus Justus semper fuit, sed nunc est ipse sibi justissimus, quia suis meritis dignum sibi præmium in DELPHINO rependit.

Crescere te uno ad felicitatis culmen poterat pater, hic unus supererat gradus; hoc uno patre ad summam beatitudinem nasci poteras, hæc una erat felicitatis via.

Justi nomen habebis ex hæreditate, Benigni ex natali sydere, ex omnium votis, Magni, Victoris, Triumphantis.

Verùm quidquid fortiter, quidquid justè feceris, nihil nisi nepotem HENRICI, LUDOVICI filium præstiteris, quorum legata exsolves, vel opera miraberis.

Fallor, ne lacrymeris, parvule Alexander, ad patris victorias, en se tibi aperit novus orbis sub alio

sole,

ſole, victoriarum campus immenſus.

Terras omnes ambit Oceanus, tuo regno mi… eſſe non debes, ſed paribus cum tuo mari brachi… orbem circumplecti.

Quem ſit totum pater non devicit, ideò fuit, q… limites poſuit poteſtati ſuæ, tibique gloriæ camp… ſegetémque reſervavit.

Fui hactenus ſemper miſera; ſed tum miſerrim… cùm non eram tua: hanc gratiam ſi diſſimulem, nec merear; ſi non ſentio, ſim meis ipſa quercubus durior.

Juvabit igitur cognominem ſororem Gallia, nec priùs mei ſortíſque meæ, quàm ſui nominis obliviſcetur.

Si patris exemplo venatione delectaris, en ſe tibi aperit mille leucarum ſilva, brutis animantibus tibi depopulanda: ſic noſtram levare calamitatem tibi ludus erit.

Interea vive, ut vivam; & diu, ut æternùm.



DIVI



DIVI IGNATII SEPULCRUM.

Magnum aut Pompejum, aut Alexandrum cogitas:
His major ductor jacet Ignatius.
Suæ primo gloriæ, deinde divinæ studiosus,
Relictis castris, Deo militavit.
Pompejopoli, Pauli instar, ita cecidit,
Ut optandus fuerit casus.
Ex eo non suus vivit, sed ejus qui stantem perculit,
Et perculsum erexit.
Felix fuit pedibus offendiculum, ne à cœlo deinceps
Aut à seipso recederet longiús.
Quò pulchriores pedes Evangelisantis haberet,
Exciso osse amolitur pravitatem.
Medicis incertum reliquit, num totus ex osse constaret,
An labor esset in marmore.
Optasset errantium equitum fabulas, quas legeret,
Nullus domi errabat eques præter Ignatium.
Minorellæ antrum, crederes Vulcaniam,
Adeo verberibus resonabat.
In Palæstina nusquam diutius quam in Oliveto moratus est,
Totus futurus in Christi vestigiis.
Dum grammaticam addiscit, non in solis hæret verbis,
Oratorem agit operibus.

De-

Decretæ ſunt illi Pariſiis virgæ,
Sed ſolis vapulavit laudibus.
Mittendus ex humeris ſanguis properavit in vultum
Hoc velo modeſtia ſolet tegi.
Venerem in aquis, unde nata eſt, proprio in rege extinxit,
Ut alienam pudicitiam ſervaret.
Nicol. Zambec Secret Congreg. *Legionem in Eccleſia Dei fortiſſimam conſcripſit.*
Sub Jeſu nomine, non ſuo.
In quo oſtendit Deus quantum ei cura ſit
Eccleſiæ ſecuritas:
In quo miſerentis Dei bonitatem atque potentiam
Eccleſia Catholica veneratur
Grego. 15. Nicol. ſup. Zamb. *Quem proſtratum, tanquam Paulum, erexit Deus,*
Vt nomen ſuum coram gentibus portaret.
Quem ſuo Jeſu commendavit Pater æternus,
Cui Jeſus ſe propitium promiſit.
Qui Dei amans, non cœli; oſor mundi, non hominum;
Paratus excludi gloria, damnari pœna,
Gloriam divinam quocumque periculo quæſivit
Vitæ non prodigus, ſed contemptor.
Unde ejus ſocietas nullo eſt purpuræ ambitu prætextata,
Martyrio tamen eſt purpurea,
Quam ſummi Pontifices vocant, Divino oraculo
Alii *ſpiritu Dei conceptam.*
Greg. 15. Alii *ſacræ militiæ Societatem*
Paul. 3. Alii *brachium Eccleſiæ dexterum:*
Greg. Nutu ſummi Imperatoris, è ſtatione vitæ deceſſit
Pridie Kalendas Aug. 1556.

❧ (o) ❧

S. XAVERII SEPULCHRUM

Hîc ſitus eſt homo.

PRæmonendus fuiſti, ne divina lecturus (larunt.
Numen crederes eum, quem ita Japones appel- *Nieremb.*
Vix aliquid quod corrumpi potuit, imo non potuit,
Hîc ſitum eſt: vivit animus vitam charitatis.
State, heroes, quando Xaverius hic Jacet:
Imo ite; ſaltem in lachrymas:
Ad occaſum tanti viri, ingemuit oriens;
Ad commilitonis interitum militans Eccleſia.
Ipſe Jeſus in paternâ Xaverii domo
Lignea in effigie cruci affixus
Flens ſudanſque largiter collacrymavit
Non ſemel, inſolenti prodigio.
Ille eſt, qui Europâ major, alium orbem ingreſſus eſt
Duce Jeſu, auctore Ignatio, legante Pontifice:
Ille eſt, quem homine majorem illibata Virginitas;
Angelis parem incorrupta mortalitas,
Deo proximum corpus in vacuo ſæpe ſuſpenſum,
Mundo ſuperiorem conſtantia fecit.
Ille eſt, cujus ſapientiæ Bonſiorum ſcientia
Integritati ipſa mors ceſſit.
Qui inter cœli delicias exclamavit *ſatis*
Inter ærumnas *Amplius.*
Qui mortali vitæ reſtituit plurimos,
Immortali propemodum infinitos.
Qui non feciſſe minus à magnis Apoſtolis dictus eſt *Gregor. 15.*
Nihil ſe tamen feciſſe, nihil inchoaſſe dixit:
Qui decennio plures ſubmiſit Eccleſiæ Romanæ,
Quam multis ſæculis ſibi Romani.
Qui ſemper ſibi parum, Deo ſemel fecit ſatis,
Obiitque in Sanciana inſula derelictus. 1552.



PHILADELPHUS PHILADELPH[O]

TEMPLUM D. JOSEPH[O]

ÆDIFICANTI PROPE CAPELLAM B. Virginis.

Templa Pio, frater, ſtruxiſti ſplendida Fabro;
Ille tibi cœlo ſplendidiora ſtruet:
Eſt ſponſus ſponſæ, & vicina Capella Capellæ:
Nec procul eſt conjux conjuge quiſque ſuo.
Amborum excubiis tutum rege paſtor ovile;
Nil furtim inſidiæ, vis nec aperta poteſt:
Et tibi dum clarâ judex hinc nube ſedebit,
Captanduſque reo judicis inde favor;
Qui non ingenio, qui non tunc arte paratur,
Magnus Patronus, magna Patrona tibi eſt.
Quot templo ſurgunt lapides, tot ſigna ſalutis
Extant certa tuæ, teque tot ora ſonant.
Divini ſi vera canunt oracula Vates,
Huc populus cultu ſuplice vota feret.
Matres atque nurus, juvenes, genus omne, ſeneſque
In morbi aut rerum turbine thura dabunt.
Mens præſaga ſibi, & fauſto certiſſima cantu
Geſtit, & augurio pœnè ſuperba ſuo eſt.
Muſaque felices ad te gratata labores
Currit, & aſpectu gaudet ab ipſa tuo.
Aſt ego ſemotus (mihi nam non lævus Apollo
Annuit, inque ſuum me ſinit ire nemus)
Vatum Ederas, & quidquid habet ſibi regia Pindi,
Ha[...]

Hæc votiva prior munera figo tholis;
Vos pariter mecumque manu linguâque favete,
Vestraque cum votis jungite vota meis.
Salve, Magne Pater, cujus servata labore est
Virgo digna viro, major utroque puer.
Matris erat custos; Pueri, quo dignius orbis
Nil sub utroque capit cardine, tutor erat:
Hic quoque tutor erit: petras si protegat aræ,
Altera de *Petro* cura futura suo est:
Nec sinet ut vanis per tesqua Britannica ventis
Cassi, vel æquoreis vota ferantur aquis.
Saxea si templum subeunt durataque corda,
Malleus, & fabri dextera saxa domant.
Sed nos thura vocant: Josepho altaria fument:
Omnia festivis sint operata sacris.
Natus, Virgo, tuus: tuus, ô Josephe, puellus
Victima se se aris absque cruore vovet: *Sacrificiũ.*
Hoc epulum Mannæ gustus supereminet omnes,
Esca licet gustu prodigiosa suo est:
Fit Junonis avis, volucris fit Martis, & ales
Phasidos, & quidquid cuique libido sua est:
Omnia præstiterit: desunt tamen omnia plebi;
Pascitur, & mediis esurit ipsa cibis.
Ambrosiâ potior templo est, mannâque voluptas,
Quæ cupidis possit mentibus esse satis.
Sistimur ante aram, loquimurque potentia verba,
Nec mora præsentem sustinet ara Deum.
Felices aræ, cecidit quibus hostia Numen;
Vos superûm dicam sedibus esse pares.
Tuque polos, frater, struxisti, & numinis aulas,
Hospitis in terrâ magna theatra Dei.
Dum nova Romanis surgunt sacra culmina Divis,
Tingit fumantes hostia multa focos.
Ecce triumphali melior tibi victima cœlo
Labitur, augusto dignaque parque Deo.

Ipſe Deus quantuſque polo, quantuſque videtur,
Quantus ab æthereâ fulmina ſede vibrat:
Quantus & aſtra regit ſurſum, terraſque deorſum,
Et cuncta ad nutus vertit agitque ſuos;
Tantus & in templis habitat, tantuſque tenetur,
In manibus tantus, tantus in ore virûm eſt.
Eſto procul, qui pampineo perfuſus odore
Tempora, lætitiæ diceris eſſe dator.
Jam tibi Thebanæ peragant ſolemnia Matres,
Et tibi de Chio palmite ſerta ferant.
Certetur cyathis Thebis; mens fluctuet illic
Naufraga, ſit vino non maduiſſe pudor:
Quid tamen iſta juvant, ſi victa & pulſa recurrit
Faucibus, hoc potu non abitura ſitis?
Quod pendit Babylon, pellex Ægyptia miſcet
Exigua patera, nec levat inde ſitim:
Nil ſatis eſt, plenoque ſitit circumfluus amne
Tantalus, & mediâ ſemper egenus aqua,
Chriſte, recens ſtructis jam ſæpe renaſcere templis
Ex vero Numen Numine, verus homo.
Tu populis Cererem, frater, vinumque miniſtras,
Qua recreanda fames, quo ſatienda ſitis.
Quin calicem mutas inopem meliore metallo,
Serica quem plenum Numine vela tegunt.
Continet argento patientem in divite Chriſtum
Vitaliſque Dei funera ſculpta Calix.
Cæduntur rigidis argentea membra flagellis,
Et celata frequens brachia virga ſecat.
Et mœſtam miles ludens in arundine cœnam,
Rege ſalutato corruit ante pedes:
Acribus amentata jocis convicia torquet,
Regnatorem orbis voce manuque ferit.
A tergo cœlum quatiunt clangore puellæ,
Læſa fatigato dum pede membra trahit.

Euchariſtia omne delectamentum in ſe habens.

In Sculptura Calicis paſſio.

Nec

Nec pateris fordere rudes altaris amictus,
Vel i ns at nitidis ara ſuperba micat.
Quin oleo pingui templum, vigilique lucernâ,
Et cand. lab.is fulgeat ara ſuis.
Pax dives; plenoque redit nam Copia cornu,
Securoque ferax gramine gaudet humus.
Q o, reſerata diu, clauduntur limina Jani,
Joſepho pacis tempore Templa patent.
Nunc centum æratis Bellona coercita vinclis,
Hoc templo, veluti carcere, clauſa jacet:
Pax riſit, vultuque orbis ſubriſit amico:
Fertilior pacis numine nulla dea eſt.
Pulvere de noſtro, deque oſſibus herba virebat,
Sanguineaque virûm cæde tepebat aqua:
Hîc mellis poſſunt, hic flumina currere lactis,
Unde ubi viſa rubro decolor ire pede:
Diffugere procul furiæ, lethumque, pavorque,
Et ſecum quidquid viſque furorque trahunt.
Lapſa tibi, Mavors, Joſepho Templa reſurgunt,
Mille tholos ornant pervia ſcuta locis:
Huc properate gradum, ſecuræ à milite gentes,
Ramos ferte citi, granaque, pacis opus.
Jam viret hinc Campus bonus, illinc Alba Corona,
Hæc ſpem ramorum, graminis ille facit.
Hinc ſeges ampla tibi meritorum, & debita meſſis;
Hinc ſurgit templis Alba Corona tu is.
Ut nihil ipſe loquar, vocalia templa loquuntur,
Saxaque perpetuâ voce canora ſonant.
Non malim tibi Pyramidi, quam Græcia jactat,
Aut latiis ſculptum nomen ineſſe viis.
Longa dies illis furtim ſubducit honores:
Præcipiti ſortis turbine cuncta ruunt.
Annua donec erunt Joſepho ſacra, manet te
Magnus honor terrâ, perpetuuſque polo:
Summa dies veniet, victis miſcebimur umbris:

Extructũ Templum Anno pacis initæ.

Non minor hunc, aut hunc grandior urna teget.
Tecum habita interiore domo: neque ſcire labores,
Quo Bellona fugit tramite, quoque redit:
Quoſque tibi aura gravi ſub ſidere detrahet annos
Augeat è noſtris, reſtituatque Deus.
Non ego te laudo; ſua ſunt mendacia vati,
Fratris ab agnato ſanguine nulla fides:
Te laudat dum quiſque, tuis ſi laudibus errat,
Judicii culpam diluat ille ſui.
Ille ait occultas te rerum agnoſcere cauſas,
Altaque, nec vulgo cognita mente ſequi.
Hîc celebrata canit Fixani pulpita ludi
Reſponſis dudum perſonuiſſe tuis.
Prudentem atque pium canit hic, canit ille modeſtum,
Et dicti cauſam ſuſtinet ille ſui.
Quid, quaſi noſtra tuum læſiſſe Muſa pudorem,
Avertis vultus, & notat ora pudor?
Parce cheli & fidibus, quod ſi punire canentem
Ira parat: vires temperet illa ſuas;
Si quid peccatum eſt, peccavit Muſa tacendo:
Dictaque ſunt meritis inferiora tuis.
Sat tibi, ſatque mihi, ſi nos dignetur amicus
Joſephus famulis annumerare ſuis.
Ite, profana, procul, nec ſi me Muſa Poëtis
Inſerat, hinc famam carminis eſſe velim.
Nec mihi profuerit quod Vates numen habere
Credimur, & Divûm proxima cura ſumus:
Noſtra ſalus non eſt Ederis, non credita Lauris:
Eſt, Joſephe, tuo certa patrocinio.
Sum tuus, ô Joſephe; tuum me Muſa loquetur,
Curam tutelæ dicet, opuſque tuæ.
O ſacri ſalve aditus: tuque, ô nova, ſalve
Hoſpite Joſepho nobilitata domus.

Ferte

Ferte mea huc vota, ô ſuperi: tu nuncius ito,
Angelus, eſt curæ cui data cura meæ:
Tu ſperare jubes, nec fruſtra crederis ales
Augurii, quoties mittimus, eſſe boni.
Jam violas, jam quære roſas, *temploque* reporta,
Cinge aras, violis artificemque roſis.
Forſitan & vadam voti reus,; & mea ſacris
Carmina ſuſpendam qualiacumque tholis.
Inſcribam duris hæc verba perennia ſaxis:
Marmoreo conſtans hæc canet ore lapis;
hoc Templo, Ioſephe, dabis, quæ munera fratri.
hæc eadem mediâ ſunt data parte, mihi.



VESPERÆ MARIANÆ, SIVE PSALMI DAVIDIS

In vespertino Officio B. M. Virginis recitari soliti.

PSALMUS CIX.

Totus est de regno, Sacerdotio & potestate Christi.

Dixit Dominus Domino meo, &c.

HÆc Domino Dominus: lateri conside paterno,
Assignat meritum dextra propinqua locum.
2. Donec ovans fusos inimica cæde rebelles
Subjiciam plantis, ut tabulata, tuis
3. Nobilis è sacrâ tibi virga Sione virescet,
Adverso hostiles contere Marte globos.
4. Te manet illustris supremâ in luce triumphus:
Nondum nata dies, cùm mihi natus eras.
5. Juravit Dominus, nec eum jurasse pigebit,
Sacra quòd Antistes Melchisedecis agas.
6. Dextræ adstat Domin. latus ambit, brachia firmat:
Conterit irato regia colla pede:
7. Jus dabit, Angelicas cupidus reparare ruinas,
Et capita alta solo, cæde frequente premet.
8. Mortalísque bibet rubro torrente viator,
Augustumque adeo tollet ad astra caput.

PSAL.

PSALMUS CXII.

Provocat ad Dei laudes, qui cùm sit maximus, curat minima.

Laudate pueri Dominum, &c.

1. DIVINAS, pueri, tenero de gutture laudes,
Nec satis expertis dimidiate sonis.
2. Nomen adorandum, & sacro venerabile ritu
Tempora nostra canant, secla futura colant.
3. Continuos nomen Domini sibi poscit honores,
Quà sol nocturnas linquit, & intrat aquas.
4. Excedit velut auctor opus, quodcumque creatur
Cujus honor toto latiùs orbe patet.
5. Quis Domino certet, qui, quamvis incola cœli,
Dignatur curis inferiora suis?
6. Sordida divitibus mutat magalia tectis,
In turpi abjectis stercore præbet opem;
7. Et dat honoratos inter considere cives,
Et populi proceres demeruisse sui.
8. Solatus steriles, longo beat agmine prolis,
Quos Lucina thoros invidiosa fugit.

PSALMUS CXXI.

David felicitatem Hierosolymæ prædicat, præsentem gratulatus, æternam apprecatus.

Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, &c.

1. IBIMUS, optatus pepulit mihi nuncius aures,
Atria clausa priùs, jam reserata patent:
2. Spes erat hæc, cum templa pedes Solymæa tenerent

Præ

Præ nimiâ ſtante relligióne loci.

3. Urbs Solyma externas princeps ſuperemin et arces,
Hìc ubi mens una eſt civibus, unus amor.

4. Huc reduces venere tribus, populíq; frequentes,
Multáque luſtratis dona tulere focis.


5. Namque perorandis ſteterunt prætoria cãuſis,
Jeſſæa hìc ſedes, imperiíque locus.

6. Arma procul, Solyma, & pacis depoſce quietem:
Belli anno, pacis prævalet una dies.

7. Sit tibi pax, per te mutentur in horrea turres,
Occupet una arces, Marte ſilente, Ceres.

8. Longa tibi firmæ vovi ſolatia pacis,
Namque mihi frater, qui tibi civis erat,

9. Quod ſedem hanc arcâ Dominus temploq; ſacrarit
Civibus optavi proſpera quæque tuis.



PSALMUS CXXVI.

Spem in uno Deo collocandam canit.

Niſi Dominus ædificaverit, &c.

1. NI ſtabili divina manus fundamine firmet,
Nutantum ſequitur prompta ruina domum.

2. Ni ſuprema tuas ſervet cuſtodia turres,
Excubias vigiles miles inanis obit.

3. Vos jubar inſomnes vanum eſt prævertere: feſſis
Debetur noctis tempore, juſta quies.

4. Æternum famulis cùm juſſerit eſſe ſoporem,
Mox hærede dabit fervere prole domum.

5. Ut validis tela erumpunt contorta lacertis?
Sic qui fæx orbis, quiſquiliæque jacent;

6. Felix! qui pharetras iſtis compleverit armis:
Adverſi ſpernet jurgia rauca fori.

PSALMUS CXLVII.

Ad recolenda divini numinis beneficia Hierosolymam invitat.

Lauda Ierusalem Dominum.

1. NUMINIS in laudem Solymeæ assurgite turres,
Celsa Deum supra culmina tolle, Sion.
2. Namque seris portas validè obfirmavit ahenis,
Largus inexhaustas civibus auxit opes.
3. Qui tua vallantem posuit confinia pacem,
Melle suburbanos divite complet agros.
4. Candentes vestit nivibus, ceu vellere, colles,
Et cœlum, ut sparso pulvere, nube tegit.
5. Imperat; Imperium tellus aurita capessit,
Quæ gravis ad nutus obsequiosa volat.
6. Stagna gelu stringit : stant plaustra, ubi cymba cucurrit:
Quis juvet in tanto frigore membra calor?
7. Si jubeat, glacies resoluta liquescet in undas,
Erumper jussas, sit velit, Auster aquas.
8. Isacidas docuit missis, mandata, Prophetis,
Quæ dena in tabulis scripta duabus erant.
9. Haud simili gentes alias dignatus amore est,
Scita quibus legum non manifesta dedit.



CAN-



CANTICUM
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Magnificat anima mea Dominum.

1. MAGNIFICAT Dominum, divósque extol-
lit honores,
Quæ vix lætitiam mens capit ipsa suam.
2. Spiritus exultans effuso in gaudia sensu,
Suave salutifero numine carmen init.
3. Quod bonus ancillam vultu dignatus amico est,
Secula felicem posteriora canent.
4. Scilicet indulsit mihi maxima maximus auctor:
Unde memor sanctum nomen in astra feram.
5. Quos culpæ novit timidos, rectique tenaces,
Felici prolem sorte patrémque beat.
6. Firmavit nervos, exertáque brachia strinxit:
Corda procul votis, ambitiosa facit.
7. Quos decus inflavit, dejecit sede; locavit,
Qui se fortunâ continuere suâ.
8. Divitiis inopes cumulans, dimisit inanes
Aggestis visos intumuisse bonis.
9. Induit Isacio ductum de germine corpus,
Réque probat pacti se meminisse sui.
10. Ut seros habuere patres promissa per annos,
Abramiúsque parens, Isacidúmque genus.
Sit decus æternum Patri, Natòque perennis
Gloria, Spiritui non periturus honor.




AVGVSTISSIMÆ COELI REGINÆ VOTVM.

MUSA, cani solitas tibi laudes vespere, dicit:
Sis vatis, vitæ vespere, VIRGO, memor!

SI-



SELECTA EPIGRAMMATA.



DE ROMA EVERSA.

QUID veterem Romam Româ in præsente requiris?
In media Româ Roma sepulta jacet:
Palluit extinctum signis tabentibus aurum:
Romam multa dies fecerat, una tulit:
Romani Imperii solus manet Albula testis:
Mobilibus favit mobile tempus aquis.
Firma ruunt, dum fluxa manent: & dispare sorte
Lapsa est urbs stabilis, labilis unda stetit.
Quid non æquales ambo traxere ruinas?
Est Saturnus edax, sed fugit esse bibax.

Mercator Thessalonicam cum duobus liberis ingressus jubetur unum è liberis tortori dare, ut numerum expleat cadendorum: cùm non posset, casus uterque est filius.

UNA mihi superest saturanda victima cultro,
Victima de natis una legenda tuis:
Legem habet & numeros, certósque ubi fixerit ictus,
Vaginam repetet sica quieta suam.
Vota probo partim partim vota improbo; votis
Et potiar nostris, & potiêre tuis.
Elige de geminâ, quam nolis vivere, prole;

Et

Et quam de gemina vivere prole velis.
Aſpicit hanc, probat hanc; illam aſpicit, appr illam;
Utraque digna fuit vivere, neutra mori.
Quem legeret, neſcivit amor, neſcivit & enſis,
Et, quia cæcus amor, mors quoque cæca fuit.

De Sylva Bacchanalium die combuſtâ.

NE tibi cras capiti cinis imponenda deeſſet,
Sylva hodie cineres igne cremata dedit.

In Calvinum vetitis diebus carnem edentem.

SATURNI Veneríſque die convivia carne
Sternere Chriſtiadas Trina Thiara vetat.
Et dum paſſuro flet quadrageſima Chriſto,
Aſſidua terimus corpora noſtra fame.
Et dum grana Deum terris, meſſéſque rogamus,
Cæruleus reficit corpora noſtra cibus.
Calvinus carnem æternos mandavit in uſus,
An quia vult refici quæ fuit uſta cutis?
Nunquid Pytagoræ redierunt dogmata? nunquid
Calvinus priſco tempore Carneades?

De Divo Paulo moriente, & lac loco ſanguinis, emittente.

ENSE ferit lictor, lactis fluit imber ab ictu,
Dulcia nempe ſibi funera lacte probat.

Caligula petit equum in Conſulem.

QUID Fabios proſit cinctum veſtire Sabinum?
Turbáque nobilium quid trabeata juvat?
Sit collega mihi ſonipes, ſit conſul, & ultra,
Si quid Roma ſuo conſule majus habet.
Non miramur equum comitem tibi poſcere, Caji;
Poſtulat ille pecus, qui pecus ipſe fuit.
Parta tibi jam, Roma, ſalus, & gloria gentis,

Erige

Erige jam, Bruto consule, Roma caput.

De nive sub finem Decembris.

ALBICAT expirans niveo candore December;
Annum canities hæc docet esse senem.

De tumulo causidici.

MORS adeòne potens? Lites mihi mille licebit
Solvere; sola gravis lis mihi mortis erit.

De Ludovico Iusto moriente.

MAGNA potes, majora cupit te Gallia posse:
Regnantémque Jovi te petit esse parem.
Multa licèt possis, votum est te plurima posse;
Spem potis es nostram vincere, vota nequis,
Ast ubi te potuisse vident finire labores,
Optassent Galli te potuisse minùs.

De Porciâ post conjugis mortem.

PORCIA quid flammas quærit viduata marito,
Et rapido accensas ebibit ore faces?
Quod vulnus fecit gladius, confecit utrumque,
Nec malè disjunget, quos bene junxit amor.
Quid gladio occubuit Brutus, quid Porcia flammis?
Hic animam patriæ vovit, & illa viro.

De S. Lucia sibi oculos eruente.

LUCIA ne malè luceret, sibi lumen ademit,
Gratiùs & superis nunc sine luce micat.

Franciscus de Sales dicebat, si ablatos ab inimico sibi geminos oculos Deus restitueret, iis benignè inimicum aspecturum.

NUMEN corporeo si posset lumine cerni,
His oculis numen cernere dignus erat.

Mari.

Maritus epitaphium ponit uxori.

UXOR, Jo, jacet hìc: utrique eſt meta laborum,
Olli non major, quàm mihi, parta quies.

Margaritæ tumulus lacrymis aſperſus.

Híc tot inexhauſtis fluxerunt flumina rivis,
Ut meritò Oceanum dixeris eſſe novum.
Pro tellure fretum cernis, pro marmore concham;
Nam pretioſa diem Margaris intus agit.

Cur vita hominum nunc ſit brevior, quàm priùs.

TUNC rudis errabat vano mors ſæpiùs ictu,
Sed nunc experto doctior enſe ferit.

De Diogene, qui Herculis ſtatuam combuſſit.

CARBONES verſat Cynicus, cineréſque reverſat,
Si qua ſuo lateat flamma ſepulta foco,
Siccáque per vacuuam conquirit ligna culinam;
Friget at igne focus, torre culina vacat.
Quid faciat? cilice excuſum damnatur ad ignem
Herculis antiquo quæ ſtat imago tholo:
Alcidiſque cremans victricia brachia, dixit,
Vis nulla, aut noſtras molliet iſta fabas.
Qui totum infractis domuiſti viribus orbem,
Orbiculos lentes diſce donare meos:
Hic quoque ſudabis, domitíſque domabere piſis:
Lens mage bis ſenis eſt metuenda feris.
Tum molles tactu, ſuavéſque ad guttura ſenſit
Hercule perdomitas auxiliante fabas.
Tertius & decimus tandem fuit atque ſupremus,
Herculeos inter maximus, iſte labor,

❧ (o) ❧

In contumacem mulierem.

Uxori quem triſtis Hymen ſociavit iniquæ,
Illi equidem miſero ſors inimica fuit.
Si quid amo, pugnax ruit in contraria conjux,
Nec confert ſenſus ad mea ſenſa ſuos.
Si volo fortè nigrum, vult uxor protinus album;
Album ſi cupio, protinùs illa nigrum.
Anne hanc diſſidii nutrix academia fovit?
An ſævo Eumenidum de grege quarta ruit?
Sed quid opis miſero, vel quæ panacæa dolori?
Velle malum ſimula, tum volet illa bonum.

De Davide, dum ſitiret, aquam oblatam projiciente.

Quid facis ô Princeps? nunquid jam Syrius ardet,
Et cuncta æſtivus ſol tepefacta coquit?
Nunquid & exhauſtis Jordanes deficit undis,
Parcáque jam latices fontis origo negat?
Quin etiam ſiccâ cruciantur fauce phalanges,
Nec datur afflictis gutta petita labris.
Cur tibi, cur, princeps, oblatam projicis undam?
Undam, quæ tanto parta labore fuit?
O regem eximiæ mentis! nam ſorte ſub æqua
Quando ſitit princeps, plebs recreata bibit.

Vide Metamorphoſes in noſtrâ Eloquentia Poeticâ.





INDEX CAPITUM ET LIBRORUM.

Ecloga

Igna-

Threni,

S. Xaveriû



Pres

Chi serra fia compunta di cuore
la sua ferita poi [illegible] mora
[illegible] leg. [illegible]
perciò non po [illegible] felicemente

